HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ

SVB PRIMIS BORBONIÆ STIRPIS REGIBVS.

TOMVS SECVNDVS.

In X. Libros diuisus, ab Anno Christi 1589. *ad Annum* 1664.

Auctore P. BENEDICTO BONNEFOY, è Societate IESV.



TOLOSÆ,

Excudebat IOANNES BOVDE, Regis, & Comitiorum Linguæ Occitanæ Typographus. 1664.

Cum Priuilegio, & Approbatione Doctorum.



AVGVSTISSIMÆ VIRGINI
MARIÆ DEIPARÆ
MONSPELIENSIVM PATRONÆ.




ON *Te dimittam* (INTEGERRIMA SVPREMI NVMINIS PARENS ET VIRGO.) *donec ſecundò benedixeris mihi. Quæ tam beneuolè patrocinata es, dum priorem operis huius partem concinnarem, poſteriorem hunc librum tholis tuis in anathema perpetuum appendenti, parem, vt ſpero, imò & tantò vberiorem mihi opem & promptiorem impendes, quantò acceptius iucundiuſque futurum eſt tibi argumentum quod cepi. Ago ſiquidem de oppugnata fortiter Hæreſi non modò ſub Borbonijs Regibus, ſed per Borbonios etiam Reges. Meminiſti* (*Pia Cælitum, hominúmque Dominatrix*) *regiam hanc Borboniorum ſtirpem peculiari tibi ſacramento deuinctam, à D. Ludouico primordia petere ſua; hunc autem ex Tabore monte Nazarethum profectum, conſpectâ eminus natali domo tua procubuiſſe ſtatim in genua venerabundum, ac Auguſtiſsimum in cella tua Filij Tui Corpus ſumpſiſſe tenerrimo Chriſtianæ pietatis ſenſu colliqueſcentem. Dubitari non poteſt, quin à Sanctiſsimo Rege tranſmiſſum in poſteros Reges fuerit ardentiſsimum hoc erga Te pij animi ſtudium. Atque vt de antiquioribus dicere prætermittam; Henricus Magnus poſt ſolennem noui-*

tiorum errorum expiationem Marianum statim esse se voluit, vt perseueraret Catholicus. Quamobrem Romano aut iubente, aut adhortante Pontifice contextam precatorijs flosculis coronam sæpius obtulit Tibi, certum (opinor) in augurium Gallicæ non imperijs tantum, sed & nutibus etiam tuis à Ludouico filio Rege submittendæ tradendæque coronæ, vt non Cœli tantùm, sed & Gallici soli Regina vocareris & esses. Locupletissimum hoc munus optima, regiáque planè mente à tanto Principe datum, adeò comiter accepisti Benignissima Parens, vt in perpetuum grati animi signum imperare sola non sustinueris, ideoque Regem in amantissimum regni consortem filiumque assumpseris; & quia prolis expers adhuc erat, & mortalitati obnoxius, regiã ei prolem, & natos natorum impetraris, vt in continuata cohærenteque Borboniorum filiorum ac nepotum serie regnare nunquam desineret. Accipe igitur Immaculata Gallici regni Tutelaris, ac Domina in perenne obseruantiæ erga te meæ monumentum lucubrationem hanc meam, quamque iustis magnorum Principum armis oppugnatam hæresim repræsento, hanc tu bellorum consimilium non ignara, promptis è Cœlo telis expugna. Noli pati Nazarena cùm sis, hoc est florida Gallicum hoc regnum cælestibus lilijs cõsitum, à Borbonijs Regibus tibi traditum, quin & innumeris per te beneficijs emptum pestilenti commentitiarum opinionum aura corrumpi, ab Aquilone Germanico Belgicoque, vnde malum omne panditur, olim, recensq; profecta. Hoc à te communibus votis exposcunt, idque impetraturos se sperant Clientes omnes tui. Tu, quæ spei Optimæ Mater esse iure diceris, horum spes adimplere ne graueris, cùm æquissima petant. Sic te cunctæ ampliore, quàm olim, cultu prosequantur, beatamque prædicent Gentes, vnáque Christum I E S V M *Filium Tuum, in communem omnium salutem nobis concessum, passum, ac denique mortuum, cui, tibique quidquid hactenus scripsimus; olimque, si dederit ipse, scribemus, nunc ex animo referimus totum.*

Facultas Reuerendi Patris Prouincialis Prouinciæ Tolosanæ Societatis IESV.

EGO REMVNDVS BAILE, Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Tolosana, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. & Ludouico XIV. nunc regnante 23. Decembris 1650. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne Libros ab eiusdem Societatis hominibus conscriptos absque Præpositorum ipsius consensu typis edant, permitto Ioanni Boude Tolosano Typographo, vt Librum, cui titulus est, *Historia Hæresis in Gallia oppugnatæ sub primis Borboniæ stirpis Regibus*, à P. BENEDICTO BONNEFOY è Societate nostra compositum, & à tribus eiusdem Societatis Theologis recognitum ad decem proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas & officij nostri sigillo munitas dedimus. Ruthenis die vndecimo Sept. 1664.

REMVNDVS BAILE.



APPROBATIO DOCTORVM.

NOS infrascripti Academiæ Tolosanæ in sacra Theologiæ facultate Professores, perlegimus hoc volumen decem libros complectens, in quibus accuratè, & eleganti stylo describitur, à Reuerendo P. Benedicto Bonnefoy Societatis IESV Historia Hæresis in Gallia oppugnatæ sub primis Borboniæ stirpis Regibus, *nihilque in eis inuenimus Apostolicæ & Catholicæ Religioni contrarium, sed ad fidem & bonos mores conformes iudicamus, proindeque dignos censemus, quòd ab omnibus legantur, & ad publicam vtilitatem in lucem emittantur. Datum Tolosæ die 27. mensis Septembris 1664.*


F. SIMPLICIANVS Professor Regius, August. & Decanus Vniuersitatis.
F. ANDREAS LANDON, Regius Professor Augustinianus.
F. IOSEPH BRVNET, Professor Regens Conuentus S. Augustini.

HISTORIA



HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB HENRICO IV. REGE.



LIBER PRIMVS.

Ab Anno Christi 1589. ad Annum 1610.



EGNVM Gallicum tametsi post acerbam Henrici tertii necē variis ciuilium discordiarum turbinibus agitaretur, placandique illius collapsæ propemodum forent spes omnes, inflammata tamen cupiditate appetebatur à multis. Miros profectò sui amores excitabat potentissimum hoc imperium in vasta camporum æquora diffusum, quorum amœnitas cum summa ferè frugum omnium vbertate decertat. Videbant hoc in solo verè martio sobolescentem hominum multitudinem; homines porrò in Heroas priscis Heroibus pares, aut su-

Regnum Gallicum cur expeteretur à multis.

periores efformari, ingentia quondam à Gallis præstita operæ pretia, non patrium hoc in nepotibus consenescere robur, parem corporibus vigorem inditum, æqualem animis inesse præstantiam, nulla re cedere Maioribus suis, qui Romanos olim proceres immortalium speciem putidiùs ementitos, mori posse, dum eos iugularent, ostenderant.

Regni competitores. Inter regni tanti competitores metuendus præsertim erat Philippus II. Rex Catholicus, qui specie quadam aut tuendæ, aut Romanæ latiùs propagandę religionis Francicum hoc affectabat fastigium, quod & illi à Parisiensibus deferebatur quasi fortissimo sui temporis Herculi, qui enatis recens errorum, dirumque sibilantibus monstris orbem Gallicum totum repurgaturus esset; Hispaniam ab efferatis *Rex Catholicus.* portentis huiusmodi tutam hactenus esse seruatam, nullis affici Catholicum hoc regnum pestilentis doctrinæ corruptelis, quamobrem quia Gallicum regnum Catholicum esse percupiebat, Rex Catholicus sibi ferè vendicabat vt suum. Expetebat & illud idem pro Infante Henrici III. Christianissimi Regis sororis filia, & quia illia nere non possunt Gallica, nec arundine aut colo magna temperari possunt imperia, nuptiarum obtentu cum Gallo Principe celebrandarum conuelabatur hic ambitus. Seligendus itaq; vnus aliquis erat, qui regiæ titulum Maiestatis vnà cum connubialibus tædis ad Infantem Isabellam *Pro Isabella Inante.* transferret, is autem Guisius erat, quem emendicatis Ordinum suffragiis Hispanica factio prouehebat ad culmen, quòd in eum præ Principibus reliquis propter innatam formæ dignitatem pronior esse videretur hæc Infans.

Sabaudus etiam. Pari ferè cupiditate regnum idem appetebat Sabaudiæ Dux, & stimulabat magnum hunc Principem excelsa, quam sortitus erat indoles, & affinitas cum Hispano Rege contracta, hinc altioribus elatus animis post degustatum recens Salussiarum principatum, in Galliæ totius dominationem flagrantibus studiis imminebat, cúmque nihil ferè Magnates appetant, quod non simulata æqui, rectique specie obtendant, iure affectare se regnum contestabatur, prognatum quippe Margarita Francisci I. filia, posteriorum Regum trium amita, primumque se regios inter cognatos adnumerari, si propinquiores excluderentur hęretici; ideoque ne in tantæ dignitatis ambitu præteriretur, ad supremam Delphinatus Curiam literas dederat, nec ab hac petitione abstiterat, desiturusque videbatur, nisi postmodum intellexisset competitorem habere se Regem Catholicum, tutum autem non

esse tantæ dignationis viros, dum excelsum petitur aliquid, habere riuales, in quibus legum plerumque vim cupiditates obtineant, vnaque interdum habeatur pro ratione voluntas, quæ humanis viribus debellari vix possit.

Nemorosius præterea & Meduan. sed occultè.

Nemorosius Dux, & Meduanus si tandem ambirent, cautè premebant occulta mentis consilia, ne quid intempestiuè erumperet, pudoremque afferret, frustrata spe ingenti petitio ingens. Lotharingiæ Dux filio suo ex Henrici III. sorore genito regni tanquam hæreditarij ius asserere videbatur, sed hæc vota tantùm fuerunt, & quidem euanida, mussabant hi magis, quàm apertè sceptrum postulabant Gallicum, cùm nulla ipsis patrocinaretur æquitas, apprimèque nossent, imperium affectantibus nihil medium inter summa aut præcipitia statui posse.

Proniora in Borbonium Card. suffragia.

Cardinali Borbonio longè maius in Regnum videbatur ius esse, ni Caluinianos errores exueret Henricus Nauarræ Rex; in hunc itaque imbecillum & victum iam senem & in custodiam traditum prona erant omnium ferè Catholicorum studia, regni coronam deferentium. semoto procul ab eiusdem spe consequendi Nauarro. quia hæretico Sic enim differebant, iam inde à Clodouæi Regis sæculo Clotildis sanctæ persuasu Christianis sacris imbuti, Gallorum Regum neminem aut ethnicæ superstitionis erroribus aut pestifera hæreseos lue fuisse contactum, purum semper & integrum à sordibus huiusmodi extitisse regnum, quod maculari nefas esset, inquinandum haud dubiè, si Rex hæreticus foret à quo pestis tanquam à capite manans in vniuersum Galliæ corpus efflueret, è ciuilibus quippe politicisque rebus administrandis assurrecturum ad altiora Regem, & ad diuinorum regimen curas omnes & cogitationes erecturum. Nonne Henricus VIII, Angliæ Rex post lugendum auitæ fidei naufragium sacrorum in Anglia procurationem inuasit? Nonne sacri legum Patris exemplum sequuta est Elizabetha Anglicanæ Ecclesiæ caput, siue Antistita appellata? atque vt tam informe monstrum pareretur, & aleretur in Anglia, quot editæ Christianorum etiam pro eorum cædes? quot exhaustæ innocentium hominum venæ? Permoti his Anglicæ crudelitatis & impietatis exemplis in id conueniebant Catholici omnes, religioni primùm, tum suæ, suorumque saluti consulendum, prouidendumque diligenter ne horum alterum labefactaret Rex hæreticus, postularetque aut Romanæ fidei proscriptionem, aut parere cunctantium iugulum.

Hæreticorũ regimen Ecclesiæ noxiũ.

Senatusconsulta contra Nauar Regē.

Quod vt periculum auerteretur, detonabant pleraque contra Nauarrum senatusconsulta, Tolosanum inprimis, quo post nunciatam Henrici III. necem demandabat hæc curia Principibus, Præsulibus, Proceribus, aliisque cuiuscunque conditionis hominibus, vt consilia sua, neruosque in id præsertim intenderent, vt salua tecta conseruaretur Apostolica Romana religio, Principumque salus incolumis staret, hortabatur præterea delectos in animarum curam Ecclesiasticos, vt pro ea, qua supremum Numen religione percolerent, vota publica, ingesque pro Lutetia Parisiorum, aliisque regni ciuitatibus ab imminenti clade vindicandis preces conciperent, & ne metus deesset, potens admodum tum agendarum, tum præcauendarum rerum impulsor, atroces minabatur omnibus pœnas, qui Henricum Borbonium in Galliarum Regem agnoscerent, eumque aut suppeditatis consiliis, aut submissis auxiliaribus copiis adiuuarent, tum commonitos seriò volebat constitutos eosdem Gallicarum Ecclesiarum Antistites, vt si Romanæ Sedis autoritatem tuendi studio aliquo tenerentur, quam Sixtus V. ediderat Bullam, quæque promulganda mox erat, in suis quisque diœcesibus religiosè seruandam curarent, cui vt amplissima obsequeretur Curia, Nauarrum propter crimina nemini non explorata, & in diplomate recensita indignum esse pronunciabat, qui Gallico vnquam potiretur imperio.

Sixti V. Bulla.

Crudiora fortassis in humanissimum Regem decreta excusabat ardentissimum Tolosatum erga Romanam religionem studium. Sanè quidem vix vlla est ciuitas, in qua altioribus defixa sit radicibus fides, & intentior eiusdem propagandæ cupiditas. Et pias huiusmodi flammas è sacris Pugilum sanctorum, quos hospites habent, cineribus hauriunt. Incendunt Tolosatum animos beatæ tot Apostolorum, tot Martyrum exuuiæ, qui neces suas pro stabilienda Christi religione cruentatas, mentes verò morum innocentia candidas præpotenti Numini consecrarunt. Pugnabant itaque pro Romana fide Tolosates, dum euibratis senatusconsultorum telis Henricum Nauarræ Regem impeterent, quanquam in hæresim veriùs mittebantur hæc tela, quàm in Henricum, quem, simul ac falsa Caluini dogmata eiurauit, vt legitimum amplexi sunt Regem.

Ardens Tolosatum in religionem amor.

Non vni tantùm Henricum Borbonium regni iure priuabant Tolosates, communis omnium ferè Orthodoxorum vox erat, submouendos à potentissimi regni finibus hæreticos, & si quos Nauarrus nactus esset fautores, Ecclesiasticis illico diris configendos esse pronunciabat

Sorbonicæ scholæ decreta.

Sorbonica ſchola, altiúſque pertonabat Caietani Cardinalis autoritate ſubnixa, quem in Galliam delegarat Sixtus V. Pontifex Maximus ad componendum calamitoſi regni ſtatum, ac nutantem in eo Religionem firmandam: quanquam qui pacis Angelus aduenire debuerat, ob improuidam nonnihil agendi rationem, exaſperauit veriùs animos, quàm placauit; exquiſita quippe verborum lenitate, melle, vt ita dicam, delibuta, non autem incuſſo ſpiritualium armorum terrore denuntianda ſupremæ Sedis imperia; non inter horrendos tubarum clangores, ſed molles citharæ ſonitus pacis fœderiſque proponendę ſunt leges: & inamœnam hanc in Nuncio ſuo ſeueritatem iure coarguit Romanus Pontifex, tametſi auſteriorem nactus indolem, ouinam in eo teneritudinem adamaſſet, quem idcirco in Galliam miſerat, vt ſi quos agreſtibus, lupiniſque moribus efferatos comperiret, mitigaret immanem illorum naturam, molliorem iis afflaret genium, & columbinam ad auſcultandum rebus fidei ſimplicitatem. *Caietani Cardin. legatio parum vtilis.* *Reprehenditur à Rom. Pontifice.*

Cæterum Sixtum ipſum in legato ſuo loquentem venerati ſunt fœderati omnes, & ad ea, quæ Cardinalis edixerat, roboranda decretum condidit Pariſienſis curia, quo iuſſi ſunt omnes cuiuſcunque conditionis homines Carolum X. hoc eſt Cardinalem Borbonium pro legitimo Rege agnoſcere, prompta ei deferre obſequia, totiſque conniti viribus, vt ampliſſimum regnum miſera iamdiu ſeruitute oppreſſum, priſtinum reſtitueretur in decus. Eodem vetitum ſenatuſconſulto, ne quis aut ſua, aut aliorum vlus opera cum Henrico Borbonio, eiuſque adminiſtris aut conſilia communicaret, aut de pace miſceret colloquia; addita mortis per atrox ſupplicium inferendæ comminatio, ſi quis horum aliquid infringere attentaret, ac ſexto poſt die coram legato præſtitum ab omnibus eſt iuſiurandum. *Curiæ Pariſ. decretum.*

Nec ſegniorem operam pro componenda re Catholica impendebat Philippus Hiſpaniarum Rex, quod vt palam faceret, vtque vnius ſe religionis intuitu alienis haud inuitum implicari negotiis demonſtraret, diploma quoddam edidit, in quo non pauca de egregia ſua ad promouendum Numinis cultum, Romanamque fidem tuendam voluntate præfatus magnificis verbis oſtendit, huiuſce rei gratia pacis ſe fœdera cum Henrico II. Francorum Rege ſanxiſſe, militeque ſubmiſiſſe Carolo IX. eius filio contra ſectariorum exercitum, eorumque vim propediem erupturam, Tum addidit perpendentem ſæpiùs ſe potentiſſimum olim Galliæ regnum internecinis iam bellorum motibus concuſſum, innumeris attritum cladibus, non poſſe non commoueri animo, *Diploma Regis Catholici.*

edocerique in dies quàm fluxa, quámque labilis sit magnorum etiam Regum felicitas; atque vt accisis eius rebus subuenire aliquatenus possit, hortari se magnoperè Catholicos principes, vt hæresim tumultuum omnium bellorumque fontem consociatis armis exturbent, Carolum X. Regem libertati restituant, nec sinant inter carceris squalorem, pædoréque regiam deformari maiestatem, cui regia simul & Ecclesiastica dignitate, nec non auctoritate pollenti pronum futurum sit nouas hæreses, priusquam altiores agant radices euellere, studium ad id consequendum non mediocre suppeditaturam Ordinis sacri purpurã, admonituram quippe sanguinis pro tuenda Christi religione fundendi, non vsquequaque insolẽs esse duplici hac dignitate donatos fuisse nonnullos: apud Hebræos, qui Reges erant, sacrorum pariter Antistites extitisse, tum quàm prauè, quàm imprudenter à Gallis omnibus fieret haud absque certis exulceratæ mentis indiciis ostendit, qui bellicam fortitudinem sibi innatam, ciuilibus bellis, odiisque continuò excitãdis, fouendis, acriúsque inflammandis fatigarent, quantò honestiùs sanctiúsque, si iunctis cum Hispanis cohortibus, armis animisque, aduersus Turcas infestissimos Christiani nominis hostes robur illud exercerent, periculosos illos religionis turbines è solo, vt palmis consito, ita & Christianis olim illustrando victoriis facessere cogerent, ad hæc Orbis totius dedecora ex Orbis, si fieri posset, limitibus exterminanda Gallicum, Hispanicumque acuendum esse ferrum. Cæterùm si nouos, validosque exercitus parare cogeretur, aduersus hæreticos duntaxat effundendam vim illam esse professus est, non verò contra Catholicos, quorum salutem non Hispanicis tantùm opibus, sed & sanguine suo emptam, assertamque esse percuperet.

Hortatur Catholicos vt Carolo Card. opem ferant

Hæc non simulatè, sed ex animo Philippum elocutum affirmat satis flagrantissimum eius in Hæreticos Belgas odium, validique exercitus ad coërcendam eorundem audaciam comparati, qui non Principi tantùm suo, sed nefarium etiam Deo, Cælitibusque bellum indixerant, affectato Gheusiorum nomine, quasi tam impia tractare suppuduisset eos arma, nisi sub vili contemptaque persona; ita enim verò efferos in sacra profanaque conatus, cùm viri Principes essent, mendicabulorum mantica; centoneque contegebant. Eundem ipsum Catholicum Regem datis crebrò literis orabat, & per sacra cuncta obtestabatur Meduanus, vt religionis in Gallia per coniuratos oppressæ causam susciperet, nutantem procumbentemque sustentaret; nec sineret tam præclaram de Deo deque bonis omnibus merendi occasio-

Eiusdem patrocinium Meduanus implorat.

nempræripi sibi; antea cum occultis Dei hostibus fidem veram, pietatemque ementitis parum prosperas dimicationes fuisse susceptas, nunc aperto marte sectariis excussa pietatis larua in Gallicum regnum irrepere conantibus acriter resistendum, huiusmodique cœptandum esse bellum, in quo & cædere, & cædi perhonorificum sit, cum vtrinque blandiatur laureæ viriditas, aut per relatas victorias, aut per honestas Catholicorum congredientium neces vagatura; atque vt ad hanc expeditionem Philippum natura sua cunctabundum ocyùs impelleret, exquisitissimis hunc honoris titulis, quæ sunt aurea quibus Magnates trahuntur vincula, magnificisque compellationibus adoriebatur, dum eum esse diceret, in quem inclinata recumberet Fides, dum Romanæ religionis columen, Catholici ritus assertorem, bonorum omnium defensorem, impiorum hostem expugnatoremque assereret, dum aggestas eidem à munifico bonorum omnium largitore Deo diuitias affirmaret, autoritatemque tantam esse datam, quanta satis esse videretur ad Gallicum imperium tutum à nefariis Caluinianorum insultibus, interniperiisque seruandum; idipsum rogare affusam ad ipsius pedes Galliam vniuersam Catholicam, sperareque, vt tam æquis postulatis, precibusque pro sua Maiorumque suorum pietate obsecundet.

Atque vt idem accensa nonnullorum erga Regem studia minori cum difficultate restingueret, diploma tam suo (regii enim status vicarii sustinebat personam) quàm consilii vnionis nomine Lutetiæ Parisiorum instituti conditum, promulgandum in Senatu, aliisque passim curauit in locis, quo Principes omnes, aliosque tum sacra, tum profana profitentes tum qui primariæ inter nobilitatis viros censebantur admonebat efflictimque rogabat, vt quandiu (sic enim loquebatur) singulari Dei prouidentia factum erat vt è mortalium consortio raperetur, qui augescentes quotidie sectæ vires segnioribus studiis mitioribusque pœnis coercebat, obedientiam Regi suo Catholico, hoc est Cardinali Borbonio, tanquam legitimo his in Ecclesiæ regnique tumultibus cœlitus dato sibi Principi debitam sine vlla cunctatione, metuque profiterentur, fidemque suam coram constitutis Prouinciarum Præsidibus actutum obligarent, victuros se semper, morituros que cum è vita demigrandum foret, in Catholica, Apostolica, Romana religione, strenuamque pro eius propugnatione, & propagatione operam collocaturos, neque sectam se vllam à Romana fide auersam, aut mancipatos sectarum erroribus homines consiliis suis, aut vlla ope adiuturos. *Meduanici & vnitæ partis diploma.*

Nauarrus, cùm penitiora etiam hostium consilia mira ingenii sa-

gacitate perspiceret, ignorare certè non poterat has in se parati machinas, quas vt contrariis artibus depelleret, Cardinalem Borbonium é Chinonio castro, in quo detinebatur, Fontenaium Pictonum ductum arctiore custodia asseruari iussit. Sustentabat senem minimè malum in hoc carceris pædore possidendi spes regni, hæc hominem tot pressum ærumnis alebat, solabaturque cogitatio, imminere tempus illud auspicatissimum, quo fœdam hanc illuuiem repurgaturus esset oboritura sibi propediem regiæ Maiestatis splendor, nec attentè satis reputabat defectis præ senio grauioribusque curis animi viribus, alio sibi sub cœlo, imò & cœlo in ipso exuta mortalitate viuendum, quærendas alibi nunquam marcescentes coronas, vbi riualē habiturus esset neminem; è postrema enim hac custodia liber animus solutis corporis vinculis in Cœlitum chorum euolauit, magno sui apud Catholicos desiderio relicto. Obiit ex calculi doloribus ætatis anno sexagesimo septimo, corpus eius in Gallionensi Carthusianorum cœnobio ab eo quondam apud Normannos extructo conditum. Mortis aduentu, quā non tam expectabat, quàm ambire debuerat, data est illi requies, & vt sperare decet, æterna; sed non eadem fœderatis pax facta, à quibus trepidatum, turbatumque est magis, dubiis animi, eccui tandem Principi in tam cæcis, quæ Galliam totam obuoluebant tenebris, sua forent studia & obsequia delaturi, quo tempore quasi per interregnum, Catholici Regis administri nihil non moliebantur, vt Principi suo regni partem assererent, aut, quia vastiore tum erant animo & prurigine nunquam vacat habendi cupiditas, non in partes vtique sectum, sed integrum totum.

Arctius premitur Cardinalis Borbonius.

Moritur.

Occupatis in seligendo Rege fœderatis, excludendo verò Nauarro, ille quia ius in armis supremum à plerisque positum non ignorabat, occlusum sibi ob hæreticam nouitatem ad hæreditarium regnum iter ferro aperire constituit, sed vnus duntaxat obicem arduis illis cogitationibus opponebat Meduanus, fretus exercitu triginta bellatorum millibus constante, cùm ipse vix quaterna millia censeret. Ad postremos tamen experiendos conatus propellebat Principem interrita mens & prudentia variis certaminum periculis exercita, obuias quascunq; difficultates eluctata, sed altiores addebat stimulos illapsus eius in mentem Galliæ (vti appellare consueuerat) Genius aliquis, Gallicum haud ex vano sceptrum appromittens, auderet tantùm, ac porrò pergeret, conquieturas ex facili turbati regni procellas, cuncta disiectū iri repagula, quæcunq; viam ad debitum sibi maiestatis culmen obstruerent

Nauarrus in Meduanum pugnam meditatur.

struerent, quòd si opponendæ sibi hostium multitudini longè impar existeret, non ingenti exercitus moli, quæ plerumque ipsa officit sibi, sed virtuti victoriam spondeti, quæ quidem virtus in militum paucitate sæpius acuitur, in multitudine verò elanguescit. Ibat itaque Nauarrus præteritâ periculorum patientiâ mentem ad vlteriora toleranda semper obdurans, augebat animos ipsa rerum difficultas, vixque Dieppam versus iter flexerat, auxilia mibi Anglica & Batauica præstolaturus, cùm apud Arquas finitimum huic vrbi municipium à Meduano arctissima obsidione premitur, nec periculo procul abfuit hostium penè numero obrutus, iamque de Benearnensi (sic enim Nauarrum appellabant) actum esse, conclamatumque fœderatus putabat excercitus, cùm Rex, qui ventos alios aliasque tempestates interritus viderat, discrimen id omne incredibili virtute depulit, Meduanoque post ingentem editam fœderatorum stragem, tantam trepidationem intulit, vt aliò statím Martem animumque vertere compulerit, ipse verò sumptis è felici hac expeditione acrioribus animis, Anglicisque auctus cohortibus ad nobiliora semper tentanda bellicas curas omnes intendit.

Eius victoria ad Arquas.

Sequuta proximè est Iuriaca pugna, in qua, virtute, fortunaque sua opportunè Nauarrus est vsus nunquam non ipsi obsecundante, quòd vltra vires auderet. Delecta certamini porrecta in longum latumque planities, vt patentiore in campo apertiùs explicaret se se manum conferentium virtus. In Meduani exercitu è Gallicis cohortibus, Hispanicisque conflato, quaterna censebantur equitum millia, peditum verò tredecim. Quantò inferiores Nauarri copiæ extitissent, nì millium multorum vim animosque vel vnus impleſſet, haud ampliùs bina equitum millia, octona verò peditum aderant, acerrimè tamen dimicarunt, & ad hotum conspectum sub tanti Ducis auspicijs militantium, trepidabat Meduanus, nec ausus fortasse prælium fuiſſet, nisi territi Ducis cunctationi, suorumque virtuti diffidentis hispanicam opposuiſſet audaciam Egmundanus Parmensium copiarum ductor, iuuenis insolẽter arrogans, stolidè ferox, Martem linguâ, non manu circũferẽs, quippè bellicis parũ muneribus exagitatus; hic vnum se iunctum militibus suis Martios omnes Benearnẽsis spiritus vno momẽto difflaturũ spopõderat: & principio quidem æquatæ vtraque ex parte clades ancipitem, quà flecti se tandem fineret, librabant, morabanturque victoriam, vincebant, vincebantur pariter regij; periclitabantur partium sibi aduersantium ductores, hi bellatorum numerum, isti vir-

Iuriaca pugna.

Egmondani iactantia.

tutem aliquantò meliorem opponebant, vicit tandem pars vbi plus virtutis conspectû, illustrique potitus est Nauarrus victoria, fracti prostratique Meduanij, ex equitibus octingenti necati, germani pedites ad vnum occisi, capta ferè signa omnia, tormenta cum sarcinis erepta, cecidit & Egmondanus præfidentior ille iuuenis, virtutis nunquam à se intellectæ satis expertæque ostentator magnificus, debitas temeritati inconsultæque loquacitati pœnas persoluturus, cæsus præterea Ericus Brunsvicus nothus, è Gallis Ioannes Viuonus Castaneus, & Arconatus, captus Austfrisius Comes, Boscodelfinus, Mesdauyus, Ciconia, alijque complures. Meduanus Meduntam, illinc verò Sandionysium abijt, leniturus inibi calamitosæ diei illius molestiam, ac Parisiensium questus exprobrationesque ob rem improsperè gestam vitaturus.

Ceditur cum aliis multis.

Nauarro laureas ad Ivriacum pagum decerpenti, aliæ atque aliæ apud Issoriacum in Aruetnis Francisci Chabanij opera Marchionis Curtonij aggerebantur. A quo Ludouicus Rupifocaldius Randani Comes duxque fœderatorum, dum suppetias, post captam à Nauarræis vrbem, Issoriaco castro maturaret, debellatus lethaliterque sauciatus, ex acceptis vulneribus perijt; necati cum eo equites ferè ducenti, pedites verò trecenti; è Nauarræis haud plures nobilibus tribus occisi cum gregarijs viginti, extorta castri deditio, firmata Nauarri apud Aruernos autoritas. Non huc refero alias atque alias Galliæ ciuitates à Nauarro acceptas, fortuna semper, aut Numine potius Herois fortissimi conatibus velificante, nec adita ab eodem pericula mille recenseo, infinitas deuotatas ærumnas; ingentis sanè moliminis erat inclinatam regni salutem erigere, bis scilicet asserendum erat Nauarro locupletissimum Galliæ Sceptrum, hæreditario primùm iure, & quod ad augendam Borbonij nominis famam idoneum videbatur, armatâ, nesciâque cedere hostibus, tametsi potentissimis, manu; quo posteri commonerentur Reges, vti lilium spinas inter colligitur, sic & Gallicum, quod adirent, imperium inter horrendos bombardarum fragores, inter densas missilium telorum procellas, innumeras propè hostium cædes, inter ancipites triumphantium Principum casus, ac infinita rerum discrimina partum esse stabilitumque: quamobrem purum intactumque ab omni labe seruâdum, & quia non minor in tuendo, quàm in vincendo requiritur virtus, eodem animi robore ad regni defensionem tractandum esse ferrum, quo districtum olim ad idem possidendum fuit.

Issoriacum prælium Rãdano Comiti funestum.

Inter crebras huiusmodi dimicatones contra fœderatos initas præludebat Nauarrus Catholico; cùm Sacerdotes longè plures, quàm sectæ ministros in exercitu numeraret; non palam tamen profitebatur, quod animo tectum confouebat, tametsi varijs hinc indè hortamentis vrgeretur ad festinandum præclarissimum opus. Villaregius tum per semetipsum, tum per crebras Meduani literas id vt Galliæ daret, admonebat identidem, ac per Gallici regni salutem, tot fatigati prælijs, tot cædibus cruentati Nauarro supplicabat efflictim, vt hæreticas opiniones exueret, tranquillandi, imò & possidendi ab ipso regni remoram vnam, enim verò tametsi cuncta sibi obstantia ferro peruastaret, obices omnes perfringeret; infestos sibi hostes perdomaret victor, in corpora tantùm, non verò in animos adepturum imperium, quos nulla vnquam examinant arma, sed amor, & ratio à communi populi salute, & incolumitate petita.

Nauarrus benè affectus erga Sacerdotes.

Variorum preces vt Catholicus fiat

Nec abhorrebat ille à demutanda religione, si quæ à Caluiniana secta circa fidei orthodoxæ capita corrupta fuissent, deprehenderet, compertum illicò virus egesturus, ne mentem inficeret, perderetque. Interea, quia bellatorum animos acuit intentio, remissio frangere solet, ne per nimiam armorum quietem torpesceret miles, ad fortia quæque aggredienda, siue toleranda longâ iam armorum tractatione condocefactus, vtque probatam iamdiu in minoribus vrbibus subigẽdis virtutem, haud imparem debellandis maioribus edoceret, ipsam Regni totius principem vrbem aggredi statuit: & quia magno vastoque corpori ingenti cõmeatu est opus, pontes omnes Sequanæ confestim occupat, annonæ subsidia, quæ inde Parisiensibus conuehebantur, sublaturus. Durũ id profectò ciuibus fuit ferrum citiùs experturis, quàm famem, geminum scilicet hostem crudeliter fere cientem, quem vt procul à mœnibus arcerent, in aperta se vitæ pericula ruituros sponte iurarunt.

Nec multùm repugnat.

Parisienses aggreditur,

Annonæ viam præcludit

Memorabilis, & ad varios in populo concitandos motus potentissima instituta tum à Parisiensibus supplicatio fuit, quam armatam nuncupare iure poterit lector, in qua quod per Moysen inclytum Israelitici populi ducem, & Iosue, cuius imperio sol ne moraretur victoriam, moratus est diem, susceptum acriter fortiterque peractũ legimus, vt horum alter manus geminas ad Deum supplicabundus attolleret, alter verò aduersus Amalecitas strenuè dimicaret, id ab vnoquoque supplicantium est factum. Præibat Syluanectensis Episcopus altera manu crucem, altera verò hastam prætendens ambidex.

Armata supplicatio.

ter effectus crucis labaro Cœlites, aut Cœlitum voluntates, ense verò perduelles hæreticos, aut eorum asseclas oppugnaturus; subseque bantur diutina macie deformati Cœnobitæ spiritualibus bellicisque armis succincti, in communi religionis, quod imminebat, periculo martem profiteri haud quaquam dedignati, & in marcidis vietisque corporibus sacco suo, monachalique tonsuræ parùm apta conari. Prodibant galeati ac loricati omnes hastis & sclopetis instructi, atque è claustrali cinere, in quo perdiu latuerant, promicabant interdum in nonnullis viuaces animorum scintillæ. Hoc supplicantium simul & armatorum habitu ad principem vrbis ædem sacram progressi, compluribus ad id spectandum confluentibus stupori simul horrorique magno fuerunt, circumlatæ Diuorum lipsanothecæ, eorumque alternantibus per vrbis compita choris implorata subsidia, sequebatur vrbi præpositus Nemorosius Dux, & Claudius Lotharingius eques Hierosolymitanus Ducis Aumalij frater, aderant & clarissimi belli duces, qui post codicum sacrorum contactum per quam sanctè iurarent, nunquam se, tametsi millies oppetenda mors foret, religionis causam deserturos.

Conceptum à fœderatis iuramentum.

Nec inane fuit iusiurandum tam religiosa mente, imò & ipsa religione vallatum, nihil quippè à Nemorosio prætermissum, vt quod tam solenniter cum proceribus vouerat, effectum illico daret; selectissimos enim viros apprimè gnaros militiæ octonis præsidiariorum millibus præfectos censebat, ad hos infinitus propemodum accurrebat ciuium numerus, maioresque numero animi, corporum potiùs lacerationem, quàm hæreticorum principum imperia perpessuri, quæ quidē omnia ineluctabilem humanis viribus vrbem reddidissēt, nisi aduersus eam pugnasset Nauarrus, qui quamuis non eam confestim perdomuerit, ingentibus sanè cladibus & calamitatibus affecit, vt enim eam arctiùs premeret, bellica iam circunseptam indagine, Mantesium, Possiacum, Corbelium, Melodunum perennes vastæ illius ciuitatis nutriculas, tum Sequanam infra supraque densatis vbique excubijs insederat, ne quid in eam annonæ vlla ex parte deflueret, subductis cibarijs defecturam mox ciuitatem sperabat, audierat enim, legerat, quin & viderat ipse commeatus inopia flaccescere corpus ingens, debilitari populi membra, quo verò habitior est, hoc & fortiorem hostem iudicari. Obscœnam hanc extitisse famem memorant scriptores plerique, cùm ad eam leuandam Parisienses in fœda quæque animalia indiscriminatim proruerent, ad viti-

Obscœna fames Parisiēsium.

atas tabo carnes tanquam ad lautitias, gulæque torpentis irritamenta accurrerent, vacuas aluos porcorum siliquis saginarent, cùm interea malè pransi, peius vt cœnarent conniteretur Nauarrus, dum arctiore ciuitatem circumvallatione fatigaret, cuius suburbia vno impetu ea nocte occupauit, quæ festis ignibus lætissimo Sancti Ioannis Baptistæ natali præluxit, stupentibus omnibus tam certis promptisque è Cœlitum curia iuuari auxilijs, quem Catholicæ religionis exortem pœnâ potiùs mulctandum, quàm victoria illustrandum esse censebant.

Interea magis ac magis ingrauescebat annona, tametsi demigrassent ex vrbe ferendis annis parum idonei. Vix grauius aliquid in euoluendis totius antiquitatis monumentis obserues, quod experti Parisienses non fuerint, dum canes, feles, mures, asinos dapsiles inter sumptus adnumerarent, nihil obiectos inter cibos discernente stomacho, dum eius murmurillum conquisita vndecunque esculenta lenirent, stabant ære grandi computrescentia huiusmodi animalia, quibus consumptis in virgulta, ac nocituras etiam herbas decursum. Subueniebat vrgenti necessitati Bernardinus Mendoza Hispanus, cùmque suppeditatis largiter multis, sæuiret acriùs fames, id adinuenit edulij genus, vt multa polenta ex auenæ furfure decocta pascendis, aut ludificandis potiùs infimæ plebis abdominibus vbique prostaret, visebantur itaque per vicos & quadriuia fumantes huiusmodi ollæ nullo sale conditæ, ad quas accurrebat magna esurientium multitudo, verùm insipidum hoc cibi genus proritabat, non tollebat orexim, quin & aluos insuper distendebat, & crura, vnde quotidiana sequebantur deficientium funera, inflatis hydropum more corporibus miserè pereuntium. Scio qui locupletiores erant, pinguiori vsos esse demenso, præparco tamen, ne ad vnos tantùm petineret, quæ communis debebat esse calamitas, monerenturque ditiores mendicabulorum inopiam è sua æstimare miseria. Senæ panis vnciæ argento multo repensæ, octoginta nummis aureis æstimata bos, strigosos equos, & inualidos ære grandi coëmebant excubantes ad vrbis portas lanij, vt dissectos, & in frusta concisos grandiore diuenderent.

Inuentum Bernar. Med. pro lenienda fame.

Pertundebat artes varias ad sedandam ventris rabiem venter ipse ingenij largitor. Lithostilbe, lapis est tenues in laminas sectilis, in puluerem comminutâ, & in pistorium opus redactâ vescebantur, sed lapides isti panes non fiebant, merum potiùs erant frustrandæ

Lapidosa edulia.

famis ludibriũ, quale post paulò commentus est Mendoza idem, quo à Turcis dum quadã in arce obsiderentur vsurpatum esse dicebat, cõtusis cadauerũ ossibus pro farina vsos esse affirmans. Cohorruerunt illico ad feralẽ hũc cibũ Parisiẽses, quasi verò absq; interturbata piorũ Maniũ quiete conquiescere non possent latrantes amplæ ciuitatis stomachi; horrorẽ deinde abstulit necessitas vrgẽs, vescique cœpere insalubri hac esca nonnulli, quæ famis blandimentum, non remediũ fuit. Sed duriùs visũ id, quippe ab innata hominib⁹ humanitate abhorrens, cùm ad humanarũ carnium esum cõpulsi sunt aliqui, grãde sanè apud Catholicos nefas, versã quippe in saginam enectorum fame puerorum cadauera, crudius hoc, & barbarã feritatẽ redolẽs nutrimenti genus, ne latiùs emanaret à concionatoribus diligenter est cautũ. Eadem omnino poculorum caritas fuit, in œnopolijs enim prostabat aliud nihil præter ptisanæ malè coctæ vrceolos, cùm interea dissonis vocibus, & vlulatibus tota fremeret ciuitas aut panem postulantium, aut pacem, semesã vbique conspicerentur, & tabida corpora, quiritantia semper ora, deformati macie homines, iuncei, hominum veriùs simulachra, osseæque sine succo compages.

è contusis cadaverum ossibus panis coquitur.

Versa in saginam puerorum cadauera.

Importunæ huic fami subuenire satagebant non pauci christianã pietate insignes, vtque internum hunc hostem edomarent, nec pecuniæ parcebant, nec operæ. Atque vt ab Ordine sacro incipiam, cui potissimum familiaris esse debet misericordia, cum Numinis sit proprium misereri, Cardinalis Gondius Parisiensium Antistes, etsi nullo fœderatæ vnionis studio teneretur, statuit tamen tam arctis in rebus periclitanti de vita populo varijs, quæ Christiana suggerebat charitas, adiumentis succurrere, quamobrem supellectilem argenteam, quæ copiosa in plerisque asseruabatur ecclesijs, in monetales nummos conflari curauit, eà tamen lege, vt post egestatem depulsam ijsdem sacris in ædibus resarciretur hoc damnum; aureorum summam non exiguam largitus est Cardinalis legatus à Romano Pontifice missam, addidit & de suo argentea vasa, quæ in vsuales pariter nummos cudi, plebique distribui iussit, centũ viginti aureos in dies singulos spopõdit Mendoza. Ingẽs profectò liberalitas, ac planè aurea si fami tãtæ per ciuitatẽ magnã grassãti, aut pertũdẽdæ, aut proscribendæ par esse potuisset. His oppressi calamitatibus Parisienses Meduanum, datis ad ipsum literis, monent, videret seriò, diligenterque prouideret, ne quam tanto temporis interuallo præ se tulerant inuictæ mentis constantiam, exturbaret necessitas præsens; reputaret attentè certum

Gondii Cardin. studium pro fame depellenda.

Cardin. legati liberalitas.

Et Mẽdoza.

non vrbi tantùm magna ciuium parte exhaustæ, sed & Catholicæ veritati imminere naufragium, quam inter eos tueri difficile sit, à quibus depellenda est fames, quæ internecinus est hostis, duratum hactenus non sine crebris populi querimonijs cum agrestibus herbarum succis, cum obscœnorum animalium esu, cum derasis ossium comminutorum ramentis, cum putridis cadaueribus, meris pransorum vermium analectis, restare iam ciuium corpora macie torrida, & exesa, bellicis inepta muneribus, integros imminere, & benè habitos hostes, qui quod fames nondum extinxit, ferro, aut incendio corrumpere meditentur.

Diuersa tumultuantis tum populi studia erant, vt & dissonæ voces, dum alii consociatis votis pacem peterent, alii repudiarent, ne seruire cogerentur hæretico. Iamque maiora rixarum & dissensionum iaciebantur semina, cùm grauiores hinc exorituras clades veriti legatus, & Mendoza Hispaniensis orator, honestam se pacem accuraturos spoponderunt, quæ non modò curandis corporibus idonea foret, sed & augendæ religioni, animarumque saluti accommoda. Respirauit paulisper afflicta Ciuitas, tum pacis, tum panis, imò & vtriusque spe certissima data, præsertim cum Principes fœminæ tantam Parisiensium cladem, seruatamque in ea toleranda constantiam demiratæ, pretiosissimam supellectilem, muliebrem mundum, vniones etiam suos, carbunculos, ac cætera huiusmodi exotici luxus adiumenta, siue argumenta ad leuandam miserorum inopiam vltro deferrent. Henricæa Sabauda Meduani vxor datis ad eum literis per communes orabat, obtestabaturque liberos, qui coniugalis amoris sunt nexus, vt ad leniendas afflictæ plebis ærumnas expetitam toties ab omnibus inclinaret in pacem, id ni maturaret exequi, funestũ expectaret propediem de oppressa extinctaque familia sua nuncium, acerrimas iam intentari minas, non moraturam diu vindictam, & quæ cum illa coniungitur, atrocissimam pœnam, quod contra Patrem Parisienses nec deberent, nec possent, perfecturos in liberis.

Tumultuantur Parisienses.

Principes fœminæ gēmas suas deferunt in egenorum subsidium.

Meduanum hortatur vxor vt pacē velit.

Interea cingebatur vndique ciuitas, interceptisque commeatus itineribus intendebantur pereuntis populi questus, spargebantur quotidianæ aduersus vrbis rectores contumeliæ, atrocibus passim figebantur maledictis. Inter obstrepentes nouæ regiminis formæ comprehensus est Renardus in imis subsidijs cognitor, cui panem, aut pacem succlamantium auctori, ne quid deinceps hisceret, fracta est gula. At ne vlterius in tot homines defectos viribus, & ob diuturniorem

famis tolerantiam fatiscentes, panemque aut pacem postulantes sæuiretur, pacis iterum cum Nauarro sanciendę noua proponuntur consilia, quæ pax ne anathemate aliquo inuoluta videretur, exquisitæ sunt à Legato, Panigarolæ, Roberti Bellarmini, & Tyrij Societatis IESV sententię, postulatum siquidem, an, si cogente fame Parisienses hęretico se se principi dederent; diris subiacerent pontificijs, Sixtique diplomate comprehensi tenerentur, qui Nauarrum eundem adirent vt Romanæ Fidei aggregarent; à Doctoribus responsum est cuncta hæc citra noxam fieri posse, incurrendæque censuræ periculum.

Legati Pontificii plebem scrupulis eximunt.

Parisiensibus itaque omni scrupulo religioneque solutis, ad Nauarrum delegatus est Cardinalis Gondius cum Lugdunensi Archiepiscopo, alijsque Cleri Proceribus, delectum habendo colloquio Sancti Antonini cœnobium, finitimum vrbi, quo in loco Gondius post salutatum qua par erat veneratione Principem primaria tum nobilitate stipatum, ita demum orsus est dicere: vt afflictam, proculcatamque regni religionisque sortem multis cum lachrymis spectandam obijceret, pro qua fortiter ab omni errore tuenda extrema quæque varias perpessas esse ciuitates ostendit, nihil ergo iam noui moliri Catholicos, si paribus ad eam propugnandam armis insurgant; quid enim homini reliquum esse possit vera religione sublata, cùm vita ipsa nulla alia re magis, quam religione nitatur, quamobrem ad Clementissimum Principem legationem à se susceptam vnis collacrymantium Catholicorum querelis inductum, vt remedium aliquod Galliæ periclitanti afferret. Communibus his populi malis Nauarrus supra quam existimari potest, commotus, adeò flexilis erat ad miserandum naturæ, memorabile id subiecit. *Etsi iamdiu praeceperim animo certam de hostibus meis reportandam victoriam, triumphumque veriùs à me inchoari, quàm bellum, potior tamen mihi semperque futura pax est, quàm victoria hostium meorum, quos amicos optarem, cædibus cruentanda, pacem itaque gratiamque meam Parisiensibus indulgere cupio, quæ, quantumuis acceleretur, tarda tamen eius erit festinatio desiderio meo. Verùm compertum id omnibus volo, nunquam commissurum me, vt subditorum meorum internecione pax coalita esse dicatur, ingens enim hoc beneficium, cum à principe solo indulgeri par sit, in eundem cum debito accepta gratiæ sensu referri oportet. In eo res statu nunc sunt, vt pacatum me Parisienses vehementiùs optare debeant, quam infensum, cum quotidianas à me cumulari*

Gondius ad Nauarrum pro pace delegatur.

Nauarri humanitas.

mulari victorias videant easque partas auspiciis non aliunde, quàm è Cælo depromptis, experimento didici longè potentiorem humanâ pro me confligere, semperque conflixisse manum, nihil admodum afferri à me, aut allatum hactenus esse contra Gallia ferè vniuersa, exterarumque gentium conuersas in me vires prater exploratam causa mea æquitatem, nec inscius sum quantamcumque hostium multitudinem paucorum viribus hi ateri, si pro imposito sibi diuinitus Rege tuendo depugnare sustineant.

Addidit præterea non carere se acerbissimo malorum sensu, quibus sui opprimebantur subditi, incredibilique dolore affici, quòd in eos, quos efflictim amare perciperet, cogeretur irasci; verùm vsque adeò ad incommoda quæque obduruisse Parisiensium voluntates, ea vt perpeti mallent, quàm paternos in amplexus illabi, reputarent tantisper, quanta fœderati regno damna inuexerint, pergantque adhuc inuehere, neminem vnum esse, qui noui fœderis autorem extitisse Deum verè dixerit, quod Henrico III. Crudelissimam necem consciuerit, quod sempiternas Gallis, Gallicoque nomini dedecoris inusserit notas, si quid secum paciscendum sit, id enim verò commodè fieri posse, si Senatus Venetus, aut fœderatus Princeps aliquis pacem inter se Meduanumque Hispanorum viribus fretum componere studeant; verùm interesse dignitatis suæ, vt à Parisiensibus sibi obnoxiis non attentetur hoc decus, nec enim cum illis de pacis legibus transigendum esse, qui ad eas accipiendas cogi possint, imò & debeant; si quid ipsi sibi fieri postulent quod æquum sit, promptam afferri à se cuilibet gratificandi voluntatem; experiantur itaque beneficam Principis sui manum, ne pondus eiusdem armatæ cum suo suorumque damno sustineant, affatim miseriarum in vrbe nunc esse, quorsum eas obcæcatæ mentis peruicaciâ cumulare contendant? Adiecit postremò satis sibi virium fore ad difflandam fœderatorum coniurationem, tametsi auro, auxiliisque Hispaniensibus subnixam, non perinde in Galliam, atque in Brasiliam grassaturas externi Principis copias, obstiturum se acriter, ne nouæ in nobilissimum regnum deducantur coloniæ, Gallicarum opum expilatrices, probro id vertere omnibus in Gallia natis educatisque externo iugo accipiendo ceruicem inflectere, in spontaneam seruitutem incurrere, grauissimè à supremo scelerum vindice mulctandos eos omnes, qui praua rebellionis consilia imperiæ plebi suggerere pergunt, ægrè admodum prolapsum se esse, vt quod natalium prærogatiua iusque Gallicum sibi asserunt, id armata

Rex non paciscitur cum subditis,

manu extorquere cogatur ab ijs, quos filiorum in loco habere maximè vellet.

Hæc & alia miserantis simul indignantisque in speciem præfatus, legatos dimisit, cuius verba ne in sequiorem sensum aliquem fœderati deflecterent, adnotata, scriptoque comprehensa sunt, in cogendo proximè Parisiensium cœtu recitanda. Et quia pax bello quæri solet, pacem quam flagrantibus votis exposcebat Nauarrus, intentiore armorum vi, conatuque maiore quærere statuit, machinas igitur in Sangermano suburbio collocat, debiliorem muri partem aggressurus, quam ideo Nemorosius nulla interposita mora communiendam curarat, ad quem Rex literas misit paterni amoris simul & iratæ mentis indices, quibus cum memoria repetere iubebat antiqua cognationis iura, quæ ille in transuersum actus hostilibus ausis violaret quotidiè, tum comiter admonebat quantum salutis, rerumque suarum discrimen aditurus esset, si iusta Principis sui arma refellere non absisteret, cui toties famulata sit, famulaturaque haud ex vano speretur victoria, reputaret aliquando quanta ciuitati Galliæ principi Regumque suorum altrici damna imminerent, irato victori etsi coercendi sint intemperantiores animi motus, vix tamen effusæ semel iracundiæ statui obicem posse, torrentis in morem obuia quæque perrumpere, si resumenda iterum arma sint, integrandumque prælium, haud æquo Meduanum daturum se campo, fractum nempe non ita pridem, frangendumque semper; & vt experiri secum auderet, vinceretque, indecoram probrosamque fore victoriam, hæc si extraneo principi regni coronam imponat, excluso legitimo Principe ad Galliæ regimen ipso naturæ iure vocato. Varias ad varios eodem argumento literas dedit, nihil aut parum profuturas; parere quidem Regi nemo vnus detrectabat, sed hæreticum, in quem omnium odia ferebantur, discernebant à Rege, quem vltro appetebant, exuendus tantùm error illi restabat, omnium continuò in se vota mentesque tracturo.

Nauarrus ad Meduanum scribit.

Et ad Varios.

Interea regiarum curarum partem non exiguam impendebat Rex Catholicus, vt Romana fides per vniuersas Galliæ prouincias eadem qua olim majestate reflorescerer, quam Parmensi duci, suo è sorore nepoti mentē suggessit in Galliam pro iuuandis fœderatis cum auxiliaribus copijs ab se delegato. Hic è Belgio ciuilibus tum discordijs lacerato progressus, inexpectatum hunc in alienas terras introitum sic purgare contendit, vt nullius se aucupandæ gratiæ cupiditate incensum, nullo subigendarum prouinciarum, aut cumulandarum opum

Parmensis Dux à Catholico Rege contra Nauarrū mittitur.

ſtudio prouocatum tantum itineris aggreſſum ſe fuiſſe affirmaret, conſuitum quippe ſpecioſius aliquid, & ad nominis commendationem illuſtrius, nempe Caluinianorum errorum euulſionem, qui altiores pleriſque in ciuitatibus radices egerant. Meldenſem priùs ciuitatem attigit, quàm Regi de eius conſtitiſſet aduentu. Ferunt cum decem peditum millibus, tribus equitum, vigintique curulibus machinis in hoc regnum ingreſſum, comiteſque ſecum duxiſſe primariæ dignitatis principes proceresſque, quibus ſuas Meduanus cohortes adiunxit. Admonitus Rex externas huiuſmodi opes in regnum appulſas, non extimuit ille quidem humanis his affectibus excelſior, verùm ancipiti mente diſtractus pauliſper hæſit, conſultiuſne foret obſeſſam vrbem, & ad extrema vſque redactam acriùs premere, an verò bipartito exercitu copias aliquot ad obſtruendos annonæ aditus propter eandem relinquere, alias verò Parmenſi opponere; re in vtramque partem cum proceribus agitata, molem exercitus totam aduerſus Meduanas externaſque vires educere ſtatuit, Hercules vnus, ant eo maior, quippe congreſſurus in duos, & pugnaturus pro patria, cum infeſtis in eam armis videretur inſurgere.

Eius exercitus quantus?

Meduanus ſe illi adiungit.

Sed angebat eum magnopere, diuerſimque trahebat hæc cogitatio, quibus potiſſimum illiciis poſt ſolutam obſidionem ſub ſignis retineri milites commodè poſſent, horum enim pleroſque bellicis debilitatos laboribus ad poſtremos conatus edendos ſtimulabat ſpes vnica capiendæ diripiendæque locupletiſſimæ ciuitatis, quæ ſi dexereretur, haud fruſtra timebatur ne arreptâ confeſtim fugâ dilaberentur vniuerſi, cùm plerumque hoc hominum genus nullis lardis aculeis moueri ſe ſinens, priuatis acriùs commodis ſtudeat, quàm Principis, cui militat, gloriæ. Sollicitam Regis mentem expediuit hâc cura Bironus ſparſo vbique rumore non tam vrbem obſeſſam dimitti, quàm profectionem ad prælium cum certa victoriæ ſponſione reſumendum adornari; facta ſpes quanquam parum firma, ad milites tamen, qui receſſum meditabantur, in bellicis adhuc muneribus retinendos eualuit, nobilitatemque vehementiùs incendit vni ſecundum Deum litare gloriæ ſolitam, quam in decora profundenda morte poſitam Galli ſemper iudicauerunt heroes. Romani non vnis ſibi decus hoc afferant ardua pati ſe conſueniſſe ad æternandam nominis ſui famam, conſortes enim huius roboris nacti ſunt Francos, nobiles præſertim viros, animo ingentes, qui vel inter paratas ab hoſtibus flammas, ſcintillanteſque gladios vireſcentem gloriæ palmam petant. Digreditur itaque Pariſijs Rex, *Rex exit.*

Parisiis. ne conseruandam multis nominibus vrbem ad extrema quæque tentanda prouocaret. Sunt qui clementer, hæc dum obsideretur, habitam putent, quòd aduersantes sibi subditos filiorum reponeret loco, complecteretur que indulgentissimus parens, & hanc cum in potestatem redigere haud difficulter potuisset, arctiùs tamen premere abstinuit, ne subductorum alimentorum inopia contabescentem, infestus post victoriam diriperet miles. sanè quidem ferre non poterat ex obsessorum spolijs, militum augeri fortunas, parum idoneos ad pugnandum reputans eos,, si quid æris abstrusum in pera congressuri afferrent, hinc enim fieri, vt eius amittendi mentem percelleret timor, timorem sequeretur ignauia, sollicitiores quippè sunt conseruādæ pecuniæ, quàm acquirendæ victoriæ, quamobrem crebra solent ab ijs captari effugia, bellicus soluitur ordo, Segnes fiunt & meticulosæ velitationes, & cætera huiusmodi contingunt, quæ robur exercitus omne succidunt, militarem soluunt disciplinam, nulla re magis, quàm magistra paupertate constantem.

Eius humanitas.

Hanc humanissimi Regis indulgentiam intempestiuam putabat, palamque carpebat Angliæ Regina ferox animi mulier, majestatem nimium quantum deprimi rata, hæc nisi crebris subditorum suorum stragibus, cladiumque cumulis altiùs assurgeret, nihil odia suorum verita, dum metueretur ab ipsis Quantò feliciores populi, qui Reges nacti sūt obuia erga singulos benignitate patres, nō vero barbara ferocitate tyrannos. Et profuit haud mediocriter paternus hic erga Parisienses affectus, nā quos nimia seueritate coercere, allicereque sibi non potuit, natiua post modum benignitate perdomuit, sibique non repugnantes deuinxit, nempe quod violenta nequit potestas, tranquilla non difficulter assequitur. Scio plerasque alias obsidionis soluēdæ causas à scriptoribus multis afferri, magnam præsertim Nemorosij Ducis solertiam, virtutemque vltra fortissimi herois ætatem progressam, adiutores habebat ille Caietanum Pontificium legatum & Bernardinum Mendozam, quorum hic profusissima largitate solabatur egenorum inopiam, ille Romani Pontificis autoritatem singulari dispensabat prudentia. Recreabant etiam pauperum gregem Ecclesiastici sacris è suggestibus oratores, & ad fortia quæque pro religione tolaranda concitabant, dum interea Meduanus subsidiarias contra Nauarrum cohortes conscriberet.

Improbatur Angliæ Reginæ.

Pridie Cal. Septemb. an. 1590. Rex exercitu ex vrbe deducto Calas ire perrexit. Est id municipium cœnobio virginum Deo sacra-

Hostes fugat.

rum nobile; eò profecti iam erant hostilis metatores exercitus, quos Rex illico maiestatis suæ splendore perterritos terga vertere coegit. Parmensis apud Claiam, paludes inter hunc in modum castra sua firmauerat, vt nisi pugnam vltro peteret, ad illam adigi minimè posset. Rex verò dum Calis ageret, tam compositè, tamque ex arte militari aciem suam instruxit, vt Parmensi vicino è colle spectanti stuporem simul ac timorem incusserit, & quia haud mediocrem sui amorem virtus excitat etiam in hoste conspecta, hanc in Rege belli peritiam quamuis in se suosque vertendam plurimum adamauit, nihil, ex quo bella moderaretur, obtigisse sibi, quod magis metueret, apertè testatus, aciemque nullam inspexisse ornatiùs ordinatiùsque instructam. Censebantur in ea sexdecim peditum tum Gallorũ, tum Germanorũ milia, equitũ verò quina, qui omnes sub fortissimo, ac fœlicissimo Duce merẽtes opportunũ tempus locũque propagandæ per iterata certamina famæ præstolabantur, leuibus enim antùm cõgrediebãtur præliis æquata sæpius vtrinque belli fortuna, vnde cum nihil admodum memorabile gereretur, impatiens Rex moræ, quæ optima quæque consilia non raró corrumpit, tum bellicæ gloriæ appetens, quæ præclarè gestorum est comes, destinato properè ad Meduanum feciali, instaurandi prælii copiam fieri petit, hic ad Parmensem à Meduano dimissus, Solertissimi Ducis responsum hoc tulit se (quod benè prosperèque verteret) Philippi II. Regis Catholici iussu, non aliam ob rem in Galliam esse profectum, nisi vt florentissimæ ciuitati non milite magis, quàm fame circumuallatæ subueniret, vnicum hunc esse quem intueretur ille scopum, non prudenter satisfacturum se, si quod in manibus propemodum habebat, id fortunæ bellicæ temeritati committeret; si tantus tamen esset, tantusque apud omnes audiret Benearnensis Imperator, certam quandam rationem iniret, quà se in tentanda belli pericula traheret, constiturum illico tum Gallis, tum Belgis proceribus vter viribus potior sit.

A Parmensi laudatur.

Meduanum & Parmẽsem ad pugna prouocat.

Hæc eò fidentiùs proloquebatur Parmensis, quòd certò accepisset immisso in vrbem commeatu Parisienses à communi calamitate paulisper respiraturos, atque vt asportandis per naues cibariis commodior in vrbem aperiretur via, Latiniacum oppidum ad Matronam situm in potestatem redegerat, quod cum indignè Rex ferret, leuibus missis velitationibus, quæ maiore ferè partium periculo, quàm vtilitate committuntur, Lutetiam iterum aggreditur; Parmensem eò pertracturus, at cum iustam in aciem allicere non posset aggreditur

Parmensis Latiniacum occupat.

Nauarrus

iterum vrbē aggreditur. sancti Germani suburbium, occupaturus vtique, ni breuiores iusto scalæ spem irruptionis conceptā præcidissent, expectatæque victoriæ. Exin exitum in oppida & castella dimisit cum senis armatorum millibus hostes fatigaturus, quod in eo militiæ prudente ab eiusdem artis petitis *reprehenditur*, reprehensum non leuiter est, satius quippe censebant regias cohortes Regis tanti auspiciis, viribusque suis fretas, ad belli subita penes ipsum retineri, cum præsertim Parmensis copiæ paludibus suis inclusæ iniquitate loci, annonæque conflictatæ penuria oblatā tandē ad pugnā vltro proruissent, quarum exitio, quod vitari minimè poterat, conflatum euanuisset fœdus, & cum rupto fœdere intestina concidissent partium odia, nunquam deinceps orituta.

Vix regius dimissus erat exercitus, cùm Parmensis è paludibus, quibus vna cum copiis septus tenebatur, emersit, ac Corbelium *Parmensis Corbelium capit.* magna suorum clade vi cepit. Qui à communi fato superetant, siue diuturnioribus belli laboribus debilitati, siue ob prosperam Regis fortunam animum despondentes, fugam omnes moliri cœperùnt, *Dilabuntur eius milites. Ipse Belgium petit.* multisquè in dies dilabentibus, expertus tandem est Parmensis in Benearnensi, quem sic per ludibrium appellabat, magnum & improuisum hactenus aliquid esse, quod meritò formidare posset Hispanus, quamobrem cum exercitus sui reliquiis remigrauit in Belgium, insequente hominem bellicæ rei non prospetè satis in Gallia gestæ conscientiâ, sed grauiùs longè fatigante Nauarro, dum ad Artesiæ vsque limites (Attrebates vocant) fugientium terga premeret, interceptosque necaret. Complures de Meduano receptæ sunt arces, erepta, direptaque oppida; & quia de Parmensi nulla deinceps futura est mentio, cùm postpaulò mortalitatem simul cum armis exuerit, hunc laudum suarum præcones nactùm esse non paucos tradunt recentia scriptorum monumenta, quòd secunda moderatè, aduersantia verò sibi, quæ plurima contigerunt in Belgio, forti constantique animo pertulerit; hac enim in prouincia Cheusios Numini, Regique suo rebellantes, infestos sibi sæpius expertus est, tametsi crebris eos cladibus attriuisset.

Laudatur. Sanè quidē ingens animi, consilii sagax Parmēsis fuit, & vir sui nominis Alexander, Margaritâ Caroli V. filiâ prognatus, imperatorios ad se transtulerat mores, à matre verò virtutū omnium dotibus exornata, singularem erga Deum & cœlites omnes pietatem, incredibilemque in subditos benignitatem hauserat: & quia id quisque sapit quod didicit, dignus erat qui Belgis, aliisque populis imperaret,

quippe misericors; commendatur à multis profusa eius in egenos ac saucios præsertim liberalitas; obuiam illis, dum afferrentur procedere soliti, contueri vulnera, ad spem recuperandæ sanitatis erigere, iucundis allocutionibus leuare vim morbi, in tabernaculo, quod peramplum strui iusserat sollicita medicorum ac medicamentorum ope confouere. Nec purgandis ab errorum lue mentibus segniores impendebat curas, dum gnauos iisdem industriosque animarum pastores submitteret.

Traiecti Societatis Iesu Collegium erigit.

Rex Catholicus cùm arcem Traiecti iuberet erigi, opportunum autem, eius extruendæ tempus negaret Alexander, scriptis ad eum litteris fortius se spopondit impositurum Traiecto præsidium, quàm quod fieri præcepisset, nec mora Societatis IESV collegium inibi statuit, ex quo periti ad abigenda debellandaque hæresum, prauitatisque portenta, nec non constabiliendam morum integritatem volones educerentur. Castra nempe Dei sunt pia religiosorum hominum domicilia, vbi fortissimi contra repentinos spiritualium hostium insultus nunquam non excubant milites, armis tecti cœlestibus; diuinorum charismatum ope roborati. Benè, feliciterque sit Principi optimo, qui vt gloriosè Deo fieret, labori nulli pepercit, prorogaturus haud dubiè, nisi accelerata mors fuisset, vehemens illud, quo inflammabatur, promouendi cultus diuini, Romanæque religionis studium, quod in aperta heroem pericula, sed decora frequenter immisit. In hoc vno Principem tantum meo iure carperem, quòd in Henricum Regem hostiliter egerit, nisi Regem ab hæretico secreuisset, vt solum expugnaret hæreticum, cui ab externis viribus oppugnari profuit verius, quàm nocuit; nam dum bella gererentur, bellorum extinctus est fomes, erroreque ab Rege deposito concidere statim arma fœderatorum è manibus, factum denique vt amarent quem oderant, quæ dum agerentur, grauissimæ sunt difficultates subortæ, ad quarum explanationem stylum iam, manumque conuertam.

Romani Pontif. studium erga fœderat.

Vt igitur summatim id referam, non enumerabo varios partes inter sententiarum conflictus habitos, occupatas, redditasque aut spontanea deditione, aut vi facta ciuitates extortas, in hoc siquidem martis ludo, pilarum more, alterno quasi iactu mittebantur, & remittebantur vrbes nunc Catholicis, nunc hæreticis partibus asserendæ. Taceo inflammatum Gregorii XIV. Romani Pontificis in prouehendis fœderatorum rebus studium luculentis testatum indiciis: dum ingentes copias contra Regios pugnaturas in Galliam misit, delecto qui eas

moderaretur Sfondrato fratris sui filio. Non commemoro Ecclesiastica fulmina aduersus Regem à Pontificibus iacta, aut alia huiusmodi tela rebellium mentibus aut intorta, aut nisi saperent, intorquenda. Pugnam hic explico maiorem post homines natos, augustioremque in Gallia commissam, in qua sine sanguinis profusione generosissimum Henrici Borbonii Nauarræ Regis expugnatum est pectus, expugnatoque præter solennem congredientium morem, non verò præter æquitatis leges triumphalis adscripta est gloria. Sanè quidem quem Gallicæ, Hispanicæ, Belgicæ debellare non potuerant acies, vicit vna quæ diu contra ipsum militauerat ratio, agnitaque tandem Romanæ religionis veritas.

Copias mittit Sfondrato Duce.

Principio itaque ab regiis ipsis contra Regem conflata est coniuratio non minùs vtilis quàm amica. Erant enim qui eius partes sequebantur non pauci, quos internus aliquis noctes diesque increparet monitor, diuturniores à se pro tuendo Rege hæretico toleratos esse labores, regii ad Ecclesiæ gremium regressus sublatam spem omnem quotidianis ob id armorum fragoribus infremuisse, adhucque infremere Galliam ferè totam, Hispaniam, Angliam, Germaniam, Italiam, breuique dimanaturum in alias Europæ prouincias exitialis huius belli contagium, expectari vnum aliquid, postulatum toties, toties ab Rege denegatum, quod discussis tot rixarum motuumque procellis serenum inducat, non conquietura vnquam arma, nec odia, donec extortum id fuerit, quid porro cunctetur hoc annuere Rex, cùm hoc concesso, distractas à se regni ciuitates recuperaturus sit, & cum ciuitatibus ciuium corda, aduersus quæ nec præualuit vnquam, nec præualiturus est gladii mucro; monendus itaque seriò est, rogandusque vt in domestica Regum auorum exempla mentem erigat, felicitatem auspicetur ab Apostolica Romana religione, sine qua firmum nihil vnquam constansque sit futurum.

Incessit Nauarreos religio quod pro hæretico pugnarent.

. Verùm cùm vix vllus sit, qui monita Principibus palam ingerere audeat, quippe rarò auscultaturis sine aliquo monitoris ipsius damno, supplex concinnatus est liber, suppressumque ne dignosceretur, autoris nomen; fidenter enim solutique metu omni Principes magnos alloquuntur libri, atque è mutis istis nunc hortatoribus, nunc obiurgatoribus nihil periculi veritis, edoceri solent, quid potissimum clamatura, aut expostulatura vox populi foret, ni graui pœnâ taxaretur interdum lingua euagata licentiùs. Hoc autem in codice postulabatur, vt hæresim Rex citiùs eiuraret, si differet id exequi, admoneretur

Libellus Nauarro datur, minaque intentantur nisi fiat Catholicus.

neretur plerosque confestim ab eo dilapsuros, qui pro afferendo ei Gallico sceptro periculosa diutiùs arma tractarant. Sunt qui scriptum id Cardinalis Vindocinensis iussu post demortuum Cardinalem patruum, Borbonij cognominati dimanasse confirment, actumque apud Dei vicarium, vt, quia Nauarrus hæresi mordicus adhærebat, & renunciandus erat Galliæ Rex aliquis, Cardinalis ratio haberetur, Contium enim Principem fratrem eius natu maiorem, aurium, linguæque vitium excludebat à Galliæ regimine, Hæc clam agitata, consultoque pressa confestim erupere consilia, auditumque cum horrore aliquo extraneos Gallicum regnum affectare Principes, præpingui huic inhiare bolo Hispanos, Sabaudos, & alios, quæ competitorum vota vtrum ad amplectenda sanioris doctrinæ consilia Regem impulerint, haud satis liquet, vnus certè tot hostium viribus obluctari decreuerat, & par erat in omnes, nec passurus erat imperari sibi, quam amplexurus erat religionem, nec ad profitendos eius ritus vi se adigi, solis nempè rationum momentis adhæsurus.

Ambiunti terum regnum Principes aliquot.

Accedebant ad euellendos Regis circa fidem errores creberrima tum Principũ, tum primariæ nobilitatis vota, ingestaque sæpius monita, terrebantur qui opem ei præstabant tum pontificijs minis, tum fulminantibus in eundem Tolosanæ curiæ, Burdigalensis, & Rotomagensis edictis, videbant haud sine stomacho acerrimoque doloris sensu in exercitu regio tum Caluinianorũ nostratium, tum Puritanorum, tum Reistrorum millia multa censeri, probrosumque fore Catholicis, si hæreticis cedere cogerentur, turpe verò Regi, si vincerentur hæretici, euolutum iam esse biennium, quod temporis spatium ad exuendas sectæ fraudes sibi Rex sumpserat, iisdẽ tamen errorum vinculis compeditum teneri, inuiolatam in omnibus præterquã in vera religione præ se ferre constantiam, quocirca nisi sibi diligentiùs consuleret Rex, quæque verbo pollicitus erat, facto sanciret, ab eius partibus defecturos se non occultè minabantur omnes, ne certantes pro hæretico, impijs contra Deum Deique religionem armis pugnarent.

Defectionem minantur exercitus Nauarræi ductores.

Id cùm non ignoraret Bironus Regis continuus, ad eum confestim iuit, nobilitatis indicaturus consilia, nunquã regem eum habituræ, si hæreticus perseuerare obfirmaret, vnicum hunc superesse nodum, quem si dignaretur abscindere, confluxuras ad eum illico Galliæ ciuitates vniuersas, regiam hanc inflammatis omnium votis ex-

Bironus Regem hortatur ad exuẽdã hæresim.

pectari frugem, hanc sui ipsius victoriam sempiternis in cœlo laureis adornandam, auos ac proauos Reges in Romana fide innutritos, eiusdem semper extitisse cultores, standum in hac Catholicæ religionis firmitate, quæ fuit ab Apostolis propagata, Sacrarum Litterarum monumentis consignata, tot tamque decoris Martyrum illustrata victorijs, tot miraculorum testimonijs roborata, nuperas istas errantium opiniones mera hominum somnia esse, pugnantia inter se loqui nouatæ religionis autores, à Caluino Lutherum, ab vtroque Zuinglium, à Zuinglio dissentire non paucos qui sana possit hæc esse religio, eius si conditores tam discrepantibus inter se pugnent sententijs? Denique fixum hoc animo haberet, aut deponendam possidendi spem regni, aut hæreticam prauitatem eiurandam.

Respondet Rex. Ad hæc Rex nihil admodum in se esse, deprehendique, in quod acerbiùs inuehi tum fœderati tum alij possint, cunctationem in jis, quæ ad religionem pertinent, vix vllam in reprehensionem cadere posse, propendere se quidem animo ad Catholicam amplectendam fidem, verùm inter arma, infinitasque bellantium cædes, nec vllum disputationi locum, nec opportunum posse dari tempus, sine quo discuti, euoluique nequeant religionis, qui controuerti solent, nodi; armorum itaque feriis opus esse, vt firmatis nondum satis in religione mentibus tranquillitas fiat. Simul ac motus per Galliam excitati, hostiumque resederint odia, diligentem daturum se operam, vt omnibus propter religionis dissidium, obsequia sibi deferre cunctantibus cumulatissimè fiat, memori se mente tenere, quæ per Nicolaum Fumeum Bellouacensem Episcopum ab Antistitum cœtu perlata sibi fuerant. Hæc auspicata traduntur Regis ad Romanã fidem alliciendi primordia, quamuis non tã externis hominũ monitis, quàm secretiore Numinis conscientiam vellicantis afflatu, illapsuque ad deponendã hæresim induceretur, & ne quis titubantem adhuc mentem scrupulus angeret, viros sanè graues & eruditos in consilium adhibuit. Primarii fuere Reginaldus Belnensis, Bituricensis; Philippus Becus Nannetensis, Nicolaus Thuanus Carnotensis, Claudius Angenæus Cenomanensis Episcopi omnes, Iacobus Dauid Ebroicensis designatus Antistes. Cardinalem Borbonium eò nullius inuitatu profectum Rex, qui occultas eius machinationes exploratas habebat, à Præsulum cœtu facessere iussit, perinde quasi non tam testis, quàm maleuolus rerum, quæ gererentur, explorator aduenisset. Quin & per iocum addidit, se tametsi in Theologicis peregrinum &

Viros eruditos consulit.

rudem, doctrinæ tamen periculum cum Cardinale facturum, cui vel ob ipsam purpuræ prærogatiuam nota meritò esse debebant, quæ controuerti solerent religionis capita.

Hoc in sapientum piorumque consessu pronas Doctoribus aures accommodauit Henricus, & quod optatius omnibus erat, dociles. De religione differenti Bituricensi Episcopo assentiebantur præsules reliqui sectæ nouæ inania luce clariùs demonstranti, comptam eam quidem & ornatam videri, sed è meris compactam esse figmentis, Sacrarum Literarum ignaram, reiectam à Patribus Sanctis, omnium rectè de Deo sentientium opinione damnatam, mirari satis non posse prudentes eruditosque viros, Principi tanto, tamque in peruidendis cunctis acuto, fucum à sectæ concionalibus factum, vilissimis cœnobiorum fucis & retrimentis, non sana ab insanientibus suggeri posse, quos libidinum sordes è religiosarum familiarum claustris extraxerint ad infame hoc cœnum quò impuniùs, hoc licentiùs deuoluendos. Rex gratias habere se maximas pijs monitoribus dixit, non pauca doctum se asserens, quorum ignoratione tenebatur, sementem ab ijs sparsam esse eamque frugiferam, curaturum se diligenter vt in vberrimam messem excresceret.

Oratio Bituricensis Episcopi.

Tametsi rem gessisset Henricus omni dignam præconio, hanc tamen, quia nimia fraudi solet esse credulitas, criminari statim cœpere fœderati, coactam & adulterinam hanc esse mutandæ fidei voluntatem interpretati, idipsum quotidianis in concionibus præcones clamabant Ecclesiastici, simulatè Nauarrum agere, mentirique velle Catholicum vt in Gallicæ regni possessionem irreperet, rediturus postmodum ad priores Caluinianorū ineptias. Sic nempè iste notus Vlysses! Quid si non pristinos tantùm resumat errores, sed eos etiam, regno potitus per cunctas Galliæ prouincias, ciuitates que latè disseminari præcipiat, ecquis tantæ resistet autoritati regia potestate communitæ? Apud Hæreticos mæsta erant omnia, comploratio vbique, consternatio, crebri lugentium, querentiûque clamores hoc Atlante semoto ruiturū illico nouæ religionis erectum iam culmen, obtusum iri gentilitium sectæ gladium, ni Nauarri gladius pro eius tutela depugnet; quin & datis ad Geneuenses literis cœptum à Rege saluberrimum opus corrumpere satagebant. Contrà verò Catholicorum grex omnis insolita gestiens hilaritate, ac sacra quodammodo canens, ad Sancti Dionysij Galliarum Apostoli templum agminatim procedebat, lætis propiùs inspecturus oculis, quod Galla etiam desperasset credulitas.

Fœderati Nauarro obtrectant quasi simulatè agenti.

Mærent hæretici.

Regis reconciliatio apud S. Dionysium

Dominica dies, quæ vigesima quinta Iulij fuit, in Regis reconciliationem deligitur, auspicata sanè, tametsi Diuo Iacobo Hispanorum tutelari sacra illuxerit, nec enim Principum rixis implicant sese Cœlites regnorum patroni, quibus nunquam non altissima pax est Numinis aspectu fruentibus, quamque ipsi mortalium in mentibus altè defigere ambiunt, beatissimam illam Sionem, quæ pacis visio dicitur, in militante Ecclesia quoad fieri potest expressuri. Mane igitur sub octauã processit Rex amictu candido magna principũ procerumque multitudine septus præuiisque Scoticis cohortibus, ac tubicinibus duodecim, ad Ecclesiæ valuas constitit, vbi eum Bituricensis Archiepiscopus in cathedra candidis operta stragulis considens, ac sacros Euangeliorum codices manu prætendens cum Antistitibus aliis præstolabatur, aderant enim cum Cardinale Borbonio Episcopi Nannetensis, Sagiensis, Diniensis, Maleacensis, Carnotensis, Cenomanensis, Andegauensis, Baiocensis, & Ebroicensis electi, aliique tum Abbates, tum variarum Ecclesiarum Decani. Bituricensis simul ac Nauarrus prodijt, ex eo percontatus est, quisnam esset, quidue peteret; ille Regem se esse, & Catholicum velle se fieri clara voce respondit, addidit Præsul, Tune id verè, atque ex animo postulas? Rex id optare se etiam atque etiam dixit, mox prouolutus in genua *Profestor* (inquit) *ac iuro coram Omnipotente Deo, viuere me velle & mori in religione Catholica Apostolica Romana, eamque protegere, ac defendere aduersus omnes periculo sanguinis & vita mea, renuntians omnibus hæresibus contrariis doctrinæ sanctæ Ecclesiæ Apostolicæ Romanæ.* Post editam fidei professionem charta comprehensam, manu propria subscriptam, ac Bituricensi Archiepiscopo datam, ab eodem & Cardinale Borbonio in pedes erectus ad principem Ecclesiæ aram adducitur, vbi post iusiurandum iteratò conceptum: efformatâ crucis Dominicæ specie, quasi in hoc signo victurus, altare ipsum reuerenter osculatus est, sacraque absolutione impertitus, augustissimo Missæ Sacrificio pia mente interfuit, à Nannetensi Præsule ritè celebratæ personantibus toto templo gratulantium, ac diuturnam Regi vitam comprecantium vocibus.

Præsulum qui aderant nomina.

Regia fidei professio.

Explicari non potest quantis incesserit lætitiis Catholicorum grex omnis ex auspicato Regis ad Ecclesiam matrem reditu, rediturã citò pacem haud ineptè augurantium: solennis gratiarum à symphoniacis decantatus est hymnus. displosa multo cum fragore tormenta, Regis insignia lemniscatis palmis ac floribus coronata, sparsa in plebem

missilia. Regiam mensam configurato crucis augustissimæ signo, conceptisque Catholicorum ritu precibus consecrauit sacerdos, exin Rex ad vespertinam profectus hymnodiam concioni sacræ à Bituricensi habitæ cum Principibus aulicisque suis interfuit, tum conscenso equo, manifesta vbique veræ, non simulatæ frugis indicia relicturus, ad Martyrum montem religionis causa perrexit, beatos illos pugiles comprecaturus, vt qui olim larga nobilissimi sanguinis sui effusione corrumpendam nunquam lauream emeruerant, hoc sibi mentis robur suppeditarent, quo parem de prostratis Catholicę religionis hostibus posset referre victoriam. Pium hoc Regis facinus improbatum à multis, excusarunt scriptores non pauci, non diffitentur quidē pontificij muneris esse illigatum censuris Principem absoluere, verùm cunctationes aulæ Pontificiæ rem diuturniores minimè moras passuram in longiora, ac exitiosa temporum spatia extracturæ videbantur, cùm interea humanitus aliquid Regi periculosam quotidie bellorum aleam tentanti euenire potuisset; sanè quidem prouidendum erat ne ille ob contractas per hæresim noxas, semotusque à Catholicis sacris corpore simul & anima interiret. Hæc illi. Absolutionem etiam vrgebant quotidianæ ferè contra Regem ab hostibus intentatæ machinæ in extraneum aliquem imperio Gallico præficiendum vota sua, studiaque conferentibus, vnde periculosum Ecclesiæ Gallicanæ timebatur diuortium.

Pergit Rex ad Martyrū montem.

Improbatur à nonnullis Regis absolutio, excusatur ab aliis.

Parisienses cum Hispanis & fœderatis reliquis contra Regis reconciliationem acriter debacchabantur, obstrepebant palam pulcherrimo facto, & quia tutum quod quis arripuit iter, suspectum est aliis, & eiusmodi quisque fore putatur qui olim fuit, extemporaneam pietatis laruam ab Rege assumptam criminabantur, vt hinc hæresis per vniuersam Galliam disseminandæ caperetur occasio; metum sanè grauem incutiebant falsæ, vti arbitrabantur, ab eo virtutes indutæ, & vera postmodum vitia reditura, varijs è scriptorum monumentis petebantur exempla non pauca, quibus Regem Gallos nimio plus credulos ludificaturum astruerent, Constantium adducebant imprimis nominis sui parum memorem, qui à Vitaliano Romano Pontifice in Ecclesiæ matris gremium admissus, quam spoponderat mutandæ nunquam mentis constantiam minimè tenuit, dum vrbem militi fœdandam sacrilegijs, miserèque deuastandam permitteret. Paris quoque inconstantiæ labem nomini suo Georgium Bohemiæ Regem inussisse, qui post Romanæ fidei professionem solenniter editam, regni iam, vo-

Hispanorum clamores.

Constantij impietas.

Et Bohemiæ Regis.

torumque omnium compos effectus, ingens à Romano Pontifice munus acceptum non agnouit satis, dum eius legatos in vincula daret, haud absimilia Regem esse facturum augurabantur, magni quippe moliminis esse prauitatem hæreticam cum eo natam adultamque rescindere, Ioannæ matris in eo pertinaciam conspici, non verò flexilem ad Ecclesiæ placita Antonij patris, quem æmulari debuerat, voluntatem. Præcipuæ contra Episcopos audiebantur querelæ, quos Pseudoepiscopos contumeliosiùs appellabãt, quasi supremæ authoritatis inuasores, quæ solis Romanis Pontificibus inest, homines nequam, qui tetrã per inductum schisma scissura inconsutilem Dei vestem, hoc est Romanam Ecclesiam abscidissent, alia atque alia passim ingerebantur conuitia ad magnificum hoc disturbandum opus, quod sanctius fecit, longéque populis acceptius habitã Romano Pontifici obseruantia, á quo vera ac minimè dubia impertita est Regi salus, dum vera impetrata est absolutio, quæ res cum omne rixarum, bellorumque ciuilium nubilum dispulerit, stylum ad se hoc vehementiùs rapit, quo iucundior futura est eius repetita memoria.

Querela aduersus eos qui Regem absoluerant.

Pactis Regem inter & Meduanum per trimestre spatium inducijs, Rex ad supremum Christiani gregis pastorem legationem adornauit, cui præesse voluit Ludouicum Gonzagam Niuernensem Ducem illustri admodum genere in Italia natum, & affinitatibus ac clientelis eadem in regione pollentem, strenuus admodum vir erat, & ingenij dotibus ad cœptandũ prouehendumque hoc opus apprimè instructus huic additi Claudius Angeneus Cenomanensis Episcopus, doctrinæ, pietatisque laude inter reliquos Galliæ Præsules clarus, & Ludouicus Seguierius Ecclesiæ Parisiensis decanus iuris Pontificij scientia præstãs Missi pariter Romam à Meduano Franciscus Ioyosæus Cardinalis, & Claudius Bellofremontius Senescæus, præmissique qui cautè Pontificem adorirentur, occuparent eius animum, Regiæ legationi obtrectarent occultè, aurésque pontificias ab excipiendis eorum postulatis auocarent, tanta erat à fœderatis ad peruertendum hoc opus adhibita cura, tantæ tamque sollicitæ vigiliæ, nihil vt unquam inflammatiùs attentarint, nihil infelicius egerint, humana consilia disturbante optimorum consiliorum principe Deo. Legato regio præmissus erat Isaias Brochardus Cliella cum litteris quibus Rex supremũ pontificẽ de suo ad Romanam fidem regressu commonebat, quæ sanè litteræ multorum animos varias in partes distraxerunt, anxios omnes, & omnia Regis tuta, suspecta habentes.

Pontificia Regi procuratur absolutio.

Niuern. Dux Romã mittitur,

Et Cardina. Ioyosaus.

Auſpicatus hic Regis ad Eccleſiam regreſſus portus alijs, alijs verò ſcopulus videbatur; angebat præſertim Romæ commorantes Hiſpanos, dum vegrandem illum, quē iam ferè deuoraſſe dicebantur, felicitatis coloſſum euerteret, concidebat ſiquidem omnis, quæ competitores diu ſuſtentarat potiundi Gallici regni ſpes, conquiſitus ille cadebat in irritum armorum apparatus, atque id cauſæ fuit, cur nihil non mouerint regis hoſtes ad auertendum maximum hoc (vt interpretabantur) Hiſpani Regis, Eccleſiæque dedecus, prodijtque commentarius à Conſaluo Pontio Legionenſi ſcriptus, in quo relapſum, nulla, ne apoſtolica quidem autoritate ad regnum diſpenſari poſſe dicebat. Pruriens nimiùm & immodicus Magnatum aſſentator calamus non cautè ſatis attendit in quantum ſæpè nefas impingat, nec ſatis verum ab inani diſcernit. Temerarium hunc ſcriptorem eruditè confutauit Arnaldus Oſſatus Gallus, vir ob morum candorem, integritatem, ac rerum agendarum peritiam haud ita multo poſt in purpuratorum Patrum Collegium adrogatus, nec docuit ſolùm licitum id eſſe Romano Antiſtiti (is tum erat Clemens VIII.) verùm inſuper addidit muneris ſui partes non vſquequaque impleturum Clementem, niſi Henricum Borbonium Regem, antè, vt ferebatur, relapſum ad hæreditariam Francici regni poſſeſſionem idoneum pronuntiaret, enim vero cum vicarias in terris Numinis partes Pontifex agat, & impendat ſe diuina bonitas omnibus tametſi peccatorum mole prægrauatis, in ſinum ſi tandem ſuum confugerint; quorſum à paternæ charitatis gremio exerrantes oues Romanus Paſtor arceret, cùm tam vigili ſollicitudine Chriſtus Dominus deuiam vel vnam reliquis aggregare feſtinet.

Hiſpanica factio opponit ſe abſolutioni Regis.

Conſalui liber improbatur & ad Oſſato refellitur.

Plures ad emolliendum Pontificem rationes accumulabat Oſſatus idem, potior inter omnes videbatur Eccleſiæ vtilitas ac neceſſitas ſumma, ſic enim euenturum, vt qui diſtrahendi eſſent à ſuprema ſede, vt Regi ſuo hoc in rerum articulo ſubuenirent, eidem nunc arctiore vinculo conſtringerentur, priſtinum in decus redituram Galliam ob ciuiles motus varias in partes diſciſſam, hæreticos, qui principem habere ſe gloriabantur Caluinianorum errorum propugnatorem, eius ad meliora traducti aut æmulaturos virtutem, aut eius arma, poteſtatemque formidaturos; addebat reſtitutum iri Numinis cultum variis in vrbibus armorum licentia proſcriptum, ſcelerum monſtra, quibus abundabat tum Gallia, cùm nulli iamdiu Domino pareret, ideoque impunita magis ac magis inualeſcerent, exterminatum iri è potentiſ-

Qui abſolutionem pro Rege petit.

ſimo regno, quod fœdos huiuſmodi partus tolerare non poteſt. Nec tacebatur quod hac in cauſa primarium erat, ſuccurrendum eſſe regno tot bellis ciuilibus oppreſſo, quod quidem regnum ſupremos Eccleſiæ antiſtites ſimilibus diſcordiis agitatos tutum alicubi receptum expoſcentes paſſo ſemper ſinu excepit. Quot enim prælia pro tutando Chriſti Vicario à Gallis ſuſcepta confectaque? quot mortes ab iiſdem obitæ? ecquam deinceps ſortituri ſunt arcem Romani Pontifices, quod perfugium, dum nouis concutietur turbinibus Eccleſiæ nauis, ſi ſuis iam viribus Gallia ruat; & haud dubiè concidet, ni ſupremus Chriſtianorum omnium parens, rixarum infinitarum cædiumque cauſam amputet, admiſſo ad Eccleſiaſtica ſacra Henrico Rege, quæ vna pacandæ Galliæ tranquillandarumque mentium ratio eſſe putatur.

Gallia Romanorum Pontificum asylū.

Hæc & pleraque alia ab Oſſato ſuggerebātur Pontifici; quæ Niuernēſis dux ſuſcepta legatione confirmaturus mox erat, qui cū ad Rhætos cum adiunctis ſibi Præſulibus perueniſſet, obuium habuit die decima tertia Octobris Antonium Poſſeuinum Societatis I E S V ſacerdotem rerum gerendarum peritum, multis quidem prudenter obitis, ſed Moſchouitica præſertim legatione ſub Gregorio XIII. ſuſcepta inſignem, fiduciarias ille ſecum Clementis literas ac mandata deferebat, quibus ſignificabat Pontifex magnam capere ſe animo voluptatem ex inſperato Regis in tutam Eccleſiæ ſtationem regreſſu, verùm quia plurima non Galliæ tantùm, ſed & orbi terrarum vniuerſo commoda paritura res erat, optare ſe vehementer, nihil vt prætermitteretur, quod ad operis tanti molitionem neceſſarium foret, quocirca neutiquam poſſe Sanctitatem ſuam induci, vt ipſum in Henrici Borbonij legatum admitteret, quem nondum vt Regem agnoſcebat, alio ſi nomine Romam proficiſceretur, colloquium ei non modò non denegare, ſed ſtudium omne ſuum polliceri. Niuernenſis tam inſperato nuncio perculſus, anceps animi hæſit, timuitque ne felicem, vti ſperarat, ſortiretur commiſſæ ſibi legationis exitum, cuius tam inauſpicata ſeſe dabant initia, confirmato tamen nonnihil animo Romam ire perrexit Poſſeuino remiſſo, cuius precibus magnam in ſpem venerat fore vt benigniorem erga Chriſtianiſſimum Regem Clemens mentem indueret.

Poſſeuinus ad Niuernēſem legatur.

Pontificia in eum ſeueritas.

Sed ecce dum Niuernenſis iter acceleraret, aliæ atque aliæ interuenere remoræ; perlatæ namque ſunt Sangeorgii Cardinalis, qui Clementis ex ſorore nepos erat, literæ, quibus admonebatur Dux, vt cum-

Sangeorgii Cardin. literas accipit.

cum exiguo admodum comitatu accederet, tum, ne denos amplius dies commoraretur in vrbe, quæ licet permolesta forent, inchoato tamen itineri insistendum esse censuit, ac per Angelicam portam introiuit in vrbem, non verò Flaminiam, quæ solis Principum Oratoribus cum pompæ splendore intrantibus patet. Eodem quo Romam attigit die, ad pedum admissus est oscula, questusque primùm est angustius sibi rei maximæ pertractandæ definiri tempus, tum de interdicto sibi Cardinalium colloquio, ad quos Regias habebat literas, expostulare occœpit, in vrbe Catholici ritus principe indignè haberi Christianissimum Regem contestans, ipsique, qui Romanus esset Antistes, per confictas de Rege, & contra Regem fabulas manifestè illudi, rogari itaque sanctitatem suam, vt falsas huiusmodi criminationes auribus respueret, tanquam exitiosas Christianæ reipublicæ pestes.

Vrbem ingreditur.

Queritur coram Pontifice.

Ad hæc Pontifex, maturè se cum Cardinalibus deliberaturum respondit. Interiecto bidui spatio Niuernensis eadem ferè coram Clemente dequeritur, tum ad explicandum Galliæ statum opportunè digressus, non eo vsque abiectam Regis esse sortem ostendit, vt grauius ei damnum ab hostibus instet, quod ipse depellere nequeat, contra verò si alias vnquam, animis nunc viribusque fretum aspirare posse ad illud honorum fastigium, quod Hispanus tametsi fœderatorum auxilijs corroboratus iure desperet, Regi depellendis armorum periculis innutrito arduũ nihil obijci posse, quod non facilè perrumpat exercita vis eius, atque constantia; nihil à pristino Nauarræ Rege Henrico deflexisse Henricum Nauarræ Galliæque Regem, manere robur idem heroicæ mentis, quin & accessu nouæ dignitatis augeri, quamobrem certam hanc esse spem, Principem tantum non tam annorum, quàm victoriarum numero quod reliquum est ætatis computaturum. Sub id ne solis Regis viribus ad molliendum Pontificem vteretur, vocem ad implorandam eius misericordiam supplicabundus inflexit, adiecit lacrymas singultusque, potentissimos ad euincendum aliquid oratores, effictimque rogauit, vt Cenomanensis Episcopus, & Seguierius ad pedum admitterentur oscula, regiæque reconciliationis rationem redderent, Pontifex hac de re seriò deliberaturum se pollicitus, quarto post die per præpositum cameræ suæ magistrum Niuernensi significari iussit, vt reditum in Galliam adornaret, cùm enim vt priuatus tantùm aliquis fuisset admissus, nihil subesse causæ, cur diutiùs moraretur in vrbe, quodque antè petierat,

Laudat eius potentiam.

Cardinales inuiseret, sed nec etiam indulgeri hoc posse, vt, quos secum comites duxerat Præsules alloqueretur, quin priùs Sanseuerinum Cardinalem sacræ inquisitionis præsidem & maiorem Pœnitentiarium visêrent, rerum in Gallia gestarum rationem reddituri, quod ne fieret Niuernensis inhibuit. Sunt qui duriorem se Galliæ votis præbuisse Clementem asserant, quod falsi contra Regem rumores, quotidianæque iacerentur contumeliæ, quasi nihil in eo esset quoad religionem sinceri, laruam hunc pietatis induere, priuatis constabilitis commodis cum magno religionis opprobrio deponendam.

Indignatur Niuernensis. Mirum quantum angebatur Niuernensis, quòd à communi Christiani gregis pastore tam austerè fuisset acceptus, cùmque eum, dum postremò alloqueretur, in priore obfirmatum sententia mitigare non posset, liberiore aliquantò voce carpsit ignotam sibi hactenus Romanæ curiæ seueritatem, adeò regiæ maiestati, Gallicæque tranquillitati contrariam; addidit sensisse se semper præcipuum id esse munus Pontificis prouolutos in genua vnà cum legatis suis potentissimos Reges, ac apostolicam eius gratiam implorantes erigere, indulgenter omnes habere, à paterno sinu, affectuque neminem excludere, tum versâ ad Placentinum Cardinalem oratione asperiùs in eum inuectus est, quòd contra quàm communis pacis sequestri leges, ac iura sinerent, ducem se partium ac promotorem videretur agere, totumque se Hispanorum votis ac petitionibus accommodaret, quasi verò potior esse debeat in Romana curia Hispanus Rex, quàm primogenitus Ecclesiæ filius, aut propensiora illius ad sedis Apostolicæ defensionem studia fuerint, quàm Christianissimi Regis, qui eam nunquam vt Hispanus oppugnarit, sed debito semper amore cultuque prosequutus sit. Hæc coram Clemente Niuernensis dequestus Venetias iter intendit, cum intereaRexMeduntæ tum agens quantam caperet animo voluptatem, ex quo Caluinianæ sectæ nuncium remiserat, dato, vulgatoque super hac re per Galliam vniuersam diplomate significari iussit, nempe consenescentibus pristinis erroribus, Catholicæ fidei ematurescebat in eo veritas, quod ille munus sibi post tot difficultates concessum Diuinæ primùm bonitati, è lapidibus Abrahæ filios excitare non ignaræ referendum esse censebat, tum iugibus subditorum suorum precibus votisque flagrantibus, quibus permota bonitas eadem minimè passa erat se eum veritatis animæque suæ detrimento Caluinianarum fraudum laqueis diutius irretiri, eiuratos à se recens nouæ religionis errores, Ecclesiæ matris gremio per Episcopos restitutum se esse,

Rex diuinũ agnoscit beneficium.

curari per Niuernensem Ducem, ratum vt id habeatur à supremo Christiani orbis parente, mandare itaque se fœderatis Præsulibus, nobilibus, ciuitatibus, ciuitatumque præsidibus, aliisque sibi subditis omnibus, vt cunctis ablegatis partibus, dissolutisque fœderibus se pro legitimo Rege à Numine concesso agnoscant, debitaque præstent obsequia, quod si dederint, præteritarum offensionum veniam, & impunitatem largiter pollicetur.

Abstraxere complures à fœderatorum consortio paterna hæc Regis inuitamenta. Ludouicus Hospitalius Vitrius ciuitatis Meldensis Præfectus, qui vno religionis intuitu fœderatorũ à partibus stabat, euulso hoc, qui mẽtem angebat, scrupulo, Regi se, vnà cum Meldensi ciuitate primus adiunxit, quæ adeo grata Regi & accepta res fuit, vt eò statim profectus regiam ciuibus gratiam impertierit, veteraque priuilegia nouis immunitatibus auxerit, largè pollicitus commissurum se nunquam, vt in vrbem multis sibi nominibus amplectendam alia præter Romanam illaberetur religio. Exin aliæ atque aliæ ciuitates, quanquam crebrò vociferante ac Ecclesiasticas pœnas comminante Placentino legato Regi sacramentum dixerunt, Aquæ-Sextiæ, Lugdunum, Aurelia, & Bituriges vltro dedidere se Regi, semotâ enim religionis causâ nihil omnino erat, cur humanissimi præstantissimique Principis iugum detrectarent. *Vitrius Meldensem ciuitatem Regi tradit.*

Lutetia ipsa saniorum consiliorum exempla ex inferiorum sibi ciuitatum factis depromens, vix cohibere se poterat quin effractis Hispanicæ dominationis vinculis, Regis in amplexum rueret, totamque se eius manciparet obsequio, verùm priusquam id aggrederetur, præmittenda videbatur solennis Regis inauguratio, quo planum omnibus fieret eum non occulto simulationis artificio, sed candidâ fide, planèque sincerâ pietate in regiam inuehi maiorum suorum dignitatem, peracta est Carnuti celebritas fœderatis obstrepẽtibus, perinde quasi vitio facta fuisset, quæ Remis fieri debuerat. Verùm pleraque Regum nostrorum aliud commonstrabant exempla, quos variis in vrbibus ritè inunctos è Gallicarum rerum scriptoribus certissimè constat, neque enim vno tantùm loco coarctari debuit cæleste hoc munus in Francorum Reges per ministerium Episcopale defluens; vnctus itaque est, coronatus, atque inauguratus Henricus. Carnutum allata est ampulla ex adyto maioris monasterii proximè Turonum reuerenter ac religiosè extracta, delapsa quondam è Cœlis raro sanè stupendoque prodigio, nempe vt sanctus Martinus Turonum Episcopus subitâ prolap- *Regis inauguratio.* *Vis Sacra*

Ampulla. sione sauciatus pristinæ redderetur valetudini, quod certò contigisse affirmant Sulpicius Seuerus, Venantius Fortunatus Pictauiensis Antistes, aliique non pauci. Reconditam autem huic oleo vim aliquam adfuisse ad corroborandos athletas Christo I E S V nouo Sacramento adactos è sanctissimi Præsulis contactu depromptam haud ex vano mihi persuaserim, in hoc enim sacris nondum infulis decorato tantam animi fortitudinem hæsisse tradunt scriptores Ecclesiastici, vt solo salutiferæ crucis signo communitus, in medias sese intrepidus cataphractorum hostium acies inferre minimè dubitaret, quin & certam auderet sibi polliceri victoriam.

Euanida fœderatorum spes. Post inauguratum feliciter Regem, fractæ illico elanguerunt fœderatorū vires, quin & fœdus ipsū perinde quasi ruptis cōpagibus resolutisque neruis extabuit: contrà verò suauissimo sacri huius olei odore deliniti regias ad partes agminatim accurrére ferè infiniti, quos falsæ de ficta Regis emēdatione suspiciones distraxerāt. Eucharisteria musicis

Sparsa in inauguratione munera. concentibus decantata, sparsa in astantes munera, cusi ad æternandam gloriosissimi facti memoriam, ac Episcopo, dum sacrum peragerer, oblati sunt nummi, quibus in anteriori parte visebatur affabrè insculpta Regis effigies, annusque simul inscriptus, in posteriore

Cusi nummi. cælatus erat Hercules, non horridus ille quidem ac teter, cædesque anhelans; qualis vulgò depingitur, sed qui humanum aliquid oculis, vultuque toto spiraret, ad Regis similitudinem expresso; addita autem hæc erat epigraphe *Inuia virtuti nulla est via*, scenicus enim Hercules, vt in fabulis est, ardua quæque multisque implicata difficultatibus dicebatur aggressus, varia confecerat monstra, quin & Cerberum ipsum domiturus, inferorum manes adierat, & quod vix concessum illi, gradus victor reuocarat. *Perrupit Acheruntem Herculeus labor.* Hæc autem Regi Herculi verè Gallico non inuenustè quadrare affirmabant, quem inditum menti corporique robur per auia quæque innumeris intricata difficultatum ærumnis ad metendam gloriæ nunquam interituræ segetem incitarat. Sequutum est conuiuium magno ciborum apparatu, delectuque instructum, edita pleraque alia gestientis, ac vix se se cohibentis lætitiæ argumenta non dubia, plausus vndique dati, posteaquam spes certissima rediturae post ciuiles discordias felicitatis affulsit.

Rex S. Clodoaldum adit. Et quia nouendialis, more maiorum Regi post sacram inaugurationem peragenda erat statio, cùm nulla tum S. Marculphi in agro Remensi adeundi foret opportunitas. S. Clodoaldum elegit

binis haud amplius leucis Lutetia Parisiorum dissitum. Hunc, vt eò proficisceretur induxit tū perantiqua loci, Sanctique, qui piè colitur illic, religio, tum Principis Galliarum vrbis vicinitas legitimi Regis sui tutelam ambientis. E Sancti Clodoaldi oppido tanquam è specula circumspectabat identidem Rex, si quo modo primariam hanc regni ciuitatem absque ciuium cædibus, à quibus plurimùm abhorrebat sub iugum mittere posset, nec prohibebat Brissacus Lutetiæ præfectus, imò regijs clam votis obsecundabat; sed cùm arcana super hac re miscerentur colloquia, viri sexdecim, qui per hæc Galliæ turbamenta Parisijs imperitabant, veriti ne robur omne autoritatis suæ concideret, si penes vnum summa regiminis foret, qua occultis cuniculis qua manifestis aggressionibus, quod inchoatum erat feliciter opus, disturbare adnitebantur; moram præterea opponebant turbulentæ nonnullorum conciones, iactæque in eos, quos politicos appellabant, contumeliæ, quæ omnia, vt & alia prolata licentiùs compressit illico promulgatum supremæ curiæ senatusconsultum. Pacatis itaque rebus Brissacus quod consilium ceperat, paucis ijsque Regi sibique fidis aperit, tum selectissimorum virorum millia circiter quatuor vigesima die Martij 1594. tacitè per designatas ab se portas introducit in vrbem; vbi ad nouam peruentum est, increpuit rumoris aliquid, trepidatumque primò ab stationarijs Germanorum è pube collectis, nec mora correptis armis regias adoriuntur copias, sed à bellica sorte deserti, quam prosperam sibi fore censebant, aut à regijs generosè repulsi, aut ferro necati, aut in proximum flumen præcipites acti sunt omnes.

Turba Parisijs excitantur.

Stationarij cæduntur.

Rex per hanc portam ingressus simul ac in regiam Luparæ arcem deuenit, haud ignarus principum comitatem potentissimum esse ad hostes etiam sibi deuinciendos illicium, nouumque imperium inchoantibus vtilem esse clementiæ famam, pacifici se regis nomen adamare certis manifestum fecit indiciis, quamobrem vt extinctis bellorum facibus subditorum animos præteritis distractos factionibus in se vnum colligeret, omnium, quæcunque à Parisiensibus contra se legitimum eorum principem parum reuerenter suscepta, duriùsque peracta fuerant, obliuionem sanciuit, missique confestim per singula vrbis compita æneatores qui regiam hanc gratiam in singulos nullo discrimine spargendam indicerent. Hæc regni primordia à clementiæ laudibus ducta immortale regi decus, ciuiumque omnium obsequia pepererunt, quæ Principis optimi toties ab

Rex Vrbem ingreditur, Præteritorum memoriam obliterat.

Hispanis lacessiti læsique moderatio ad eos vsque peruenit, cùmque iure belli seueriùs in eos animaduertere potuisset, indulgenter tamen habuit omnes, ne quid in sancienda ipsis pœna de innata sibi humanitatis laude detraheret, Duci Feriæ, alijsque Philippi Catholici Regis administris syngrapha securitatis concessa. Neapolitanis indultum, vt impunè cum armis & impedimentis bellicis, explicatis etiam signis abirent. Cardinali Placentino, ne qua in re ad suos remigraturo noceretur, prospectum; iniuriæ denique omnes, contumeliæ, coniurationes aduersus Regem, regnumque conflatæ paterno Regis in calumniatores, & coniuratores affectu pensatæ, nec defuerunt qui auspicatas hostium culpas fuisse iactarent, quippe talem, tamque beneficum muneratorem sortitas.

Datur Hispanis securitatis Syngrapha.

Prodigio par erat Regem, contra quem tot senatusconsulta decernerant, tot sparsi libelli, tot iacta maledicta, conspirantibus omnium votis magnaque gratulatione acceptum, quod diuinitus factum agnoscebat; & profitebatur Rex ipse, dicere solitus vnius Numinis esse magnas vel puncto temporis inducere animorum mutationes, quamobrem debitas bonorum omnium largitori Deo grates persoluturus ad principem Diuæ Virginis ædem armatus cum cataphractis comitibus iter accelerauit, & quanquam hoc indutus bellatorum habitu inijciendæ formidini propior, quàm excitandis in se amoris facibus videretur, acceptus tamen est vt clementissimus Rex, vt benignissimus parens, obuiam ei prodijt sacer Ordo prælato Dominicæ Crucis simulacro, effusa ante conspectum eiusdem ingens gratulantium multitudo, pacatissima nec non diuturna tam pacifico Regi vitæ spatia eo nprecantium. Incessit deinde spectantium omnium animos admiratio ingens, quòd vrbs amplissima restinctis ciuilium bellorum reliquijs tota se repente ad pristinum decus, libertatem veterem, ac iucunditatem flexisset, vix enim ternæ ab ingressu Regis effluxerant horæ, cùm apertæ passim vrbe tota patuere mercatorum officinæ, commerciumque sine cunctatione resumptum.

Rex Diuæ Virginis ædem petit.

Pax & libertas Parisiensibus dita.

Placentinus Cardinalis quanquam accitus perhonorificè, Regi tamen sistere se noluit, & quia post legationem obitam repetenda supererat Roma, datus ei comes fuit Iacobus Dauy Perronius, qui Montargirium vsque profectus lenibus omnique eruditione refertis colloquijs vsque adeo Cardinalem exhilarauit, vt perhonorificam de eo coram Pontifice mentionem fecerit, simul ac peruenit in vrbem. Hic post paulò quia fluxa est ac fragilis hominum conditio, dum ex

Placentinus Cardin. Romam repetit

morbo decumberet, acceptssetque Regem Lutetiâ Parisiorum magna ciuium iucunditate potiri, tam insperato perculsus nuntio, quem religioni fatalem esse putabat, versa subito ad lecti spondam facie, vitam cum morte commutauit. Luxit eius obitum fœderatorum perexiguus grex, cum ad Regis obsequium variis ex vrbibus infiniti cateruatim accurrerent. Exin ne qua veterum odiorum scintilla adhæresceret, conquisiti vndique libelli discerptique, quos atrocibus in Regem contumeliis, dirisque confertos audax nimium scriptorum turba vulgarat, ordinatus senatus, respublica, cæteraque in vrbe ritè feliciterque constituta, priuilegia, priscæque immunitates redditæ, cautumque ne alia quàm Romana religio denis ab vrbe leucis permitteretur. Pium sanè ac salutare decretum abrupit pertinax in erroribus suis tutandis propagandisque heterodoxorum secta, opulentamque vrbē inuasit hæc pestis dum excubitores, ne quid dāni religio pateretur, à Deo cōstituti, segniores agerent in eius tuitióne vigilias. *Eius obitus.* *Lacerati libelli contra Regem vulgati.* *Ordinata Respub.*

Interea Rex, quia virtutis laus in recto decoroque, non in simulata recti decorique specie consistit, rebus iis omnibus accuratiùs intēdebat, quæ omnem à se fucatæ religionis speciem amouerent: quare sanctiore, quæ multo cum Christianorum luctu peragi solet, hebdomada, quâque mores hominum in prauum inueterati correctricem manum ferre solent, semetipsum Rex inspiciens, & ingentem gratiarum cumulum sibi per communem mortalium omnium reparatorem largiter datum attentè perpendens, variis pietatis muneribus totum se impendit, in cathedrali Dei Genitricis Ecclesia absolutioni publicæ, populo de more impertitæ magno cum religionis sensu interfuit, postridie pauperes duodenos, quorum pedes abluerat, regiis dapibus, erogataque largiter stipe recreauit, tum ipsa redíuiui Christi festiuitate cœlesti pastus epulo curatrices septingentis circiter strumosis manus imposuit, quæ piæ religiosæque mentis indicia dum attentè respectaret Parisiensis academia, extinctis veteribus odijs obsequiū Regi tanquam legitimo regni successori præstandum edixit publicasque preces ac priuatas pro eiusdem incolumitate fundendas. *Regis pietas.* *Pauperum pedes abluit.* *Strumosos curat.* *Parisiens. Academiæ decretum pro Rege.*

Et quia ciuratis sectariorum figmentis, vni se Deo Rex mortalium omnium parenti sanctissimisque Ecclesiæ matris placitis adiunxerat, eius etiam se partibus ciuitates aggregarunt non paucæ, solutis præsertim post academiæ Parisiensis decretum omni religione formicantium animis, veterique incurrendæ censuræ timore sublato. Paruit illico Rotomagus cum plerisque Normanniæ vrbibus, paruit & Ab- *Ciuitates Re-*

gi reddita. atis-villa necnon Picardia tota, aduenere Trecæ, Senones, Ricomagus in Aruernis, Aginnum, Pictauium, Remi, Ambianum, Bellouacum, Macloüium, quorum omnium post indultam de more impunitatem Rex antiqua priuilegia rata esse iussit; Catholicam his omnibus locis religionem conseruaturum se pollicitus, ablegatâ qualibet aliâ, quippe nullâ veritate constanti. Lugdunenses, vt candidâ mente fideque sincera obsequium profiteri se demonstrarent, Philippi Regis literas Mantua Carpetanorum ad se missas palam concerpsere, quibus adfuturum breui spondebat auxilium. Excitatæ passim in vrbibus pyræ in noua lætitiæ gestientis indicia, fasciæ candidæ pro baltheo indutæ, inter ciborum lautitias postulatum est maioribus poculis, inter quæ Rex centies faustis ominibus & gratulationibus acclamatus. Laudunum regiis armis resistere ausum, post insperatam cladem acceptam, frementibus incassum Hispanis, Regis in potestatem receptum.

Laceratæ à Lugdunēs. Catholici Regis literæ.

Vnum id restare videbatur ad stabiliendam arctiùs pacem, vt quæ Galli Præsules pro Rege in Catholicæ religionis corpus adrogando moliti antea fuerant, Apostolica firmaret auctoritas, ad quod indulgendum proniora longè quàm anteà videbantur Romani Pontificis studia, & sanè cunctationis tantæ Romanam pœnituisse curiam, sunt qui non ex vano referant; constans enim adeò in reiiciendis Oratoris regii precibus sententia Gallicanam Ecclesiam tetro schismate scissura credebatur, quin & apostolica ruitura videbatur auctoritas, si absque Romani Antistitis nutu Ecclesiasticæ deinceps sancirentur à Gallis Episcopis leges. Clemens itaque per Cardinalem Gondium significari iussit decretum sibi nunc esse Regis Galliæque totius desiderio morem gerere, mitterentur itaque legati aliquot, si quid prioribus responsum seueriùs, totum id temporum necessitati, aut veriùs iniquitati esse tribuendum. Hæc cum ad Regem perlata essent, lectus est obeundæ legationi Iacobus Dauy Perronius Ebroicensium Antistes, Niuernensi quidem Duci dignitate inferior, sed ingenii doctrinæque præstantia maior, quæ duo naturæ industriæque munera, quibus ad miraculum inclaruit, magnam ei apud Romanum Pontificem Cardinalesque omnes existimationem pepererunt. Huic datum illico à Rege mandatum vt quæcunque in pontificia curia transigenda forent, Ossato Gallicarum rerum coram Clemente Curatori communicata vellet, non vulgarem in eo prudentiam affirmabat difficillimis in negotiis tum discutiendis, tum componendis iisdem diu antè

Clemens petit denuomitti ad se legatos.

Perronius legatur.

antè sibi perspectam, præsertim cùm per regiorum Oratorum absentiam omne in eum Gallicæ procurandæ rei onus incumberet. Perronius medio circiter Aprili Romam attigit, moxque cum Ossato Pontificis pedibus aduolutus supplicem ei libellum obtulit; cuius hæc erat summa; vt quidquid pro Christianissimo Rege Catholicis aggregando peractum hactenus fuerat, ratum esse iuberet, meminisse dignaretur tantisper, ex quo praua Caluini dogmata Rex eiurarat, prætermissum ab eo nihil fuisse, quo Romanæ sedis gratiam, amoremque Romani Antistitis emereri valeret, destinatos statim Romam legatos, qui cereum flexilemque eius ad religionem animum, & obedientiam Dei Vicario præstandam offerrent, extorrem hunc à Catholica communione, ac planè degenerem diutius quàm ipsi Gallisque omnibus expediret, vixisse, cupere nunc etiam atque etiam in partem & societatem sanctorum admitti.

Cum Ossato Pontificem adit.

Pontifex accepto libello cùm super hac re, soluta curis grauioribus mente deliberaturum se respondisset, die secunda Augusti anni 1595. accitis in Quirinales ædes suas Cardinalibus, quid hoc in negotio motus hactenus fuisset, quantaque feueritate cum supplicabundo Principe actum, longa satis oratione exposuit, laudauit amplissimè singularem Regis in Apostolicę veniæ petitione constantiam, qui semel, iterumque cum aliqua sanctæ Sedis morositate repulsus, idem tamen per missos iteratò legatos efflagitare non cesset, maius fortè nullum post fundatam in Vrbe Ecclesiam apud Apostolicam sedem transmissum agitatumque negotium, quod vt è diuina mente, voluntateque perageretur, omnes ex animo cohortari se dixit, vt semotis prauis affectibus, qui omne rationis lumen obnubilant, pensique nihil habitis Hispanorum, fœderatorumque super hac re precibus, & obtestationibus, in vnam præpotentis Numinis gloriam, Catholicæ religionis incrementum, Gallici regni pacem & tranquillitatem puram mentis aciem intenderent, non priuati hic hominis rem agi, sed potentissimi Principis qui bella quam plurima auspicatò susceperit, feliciùs consummarit, non itaque exacerbandum hunc esse diuturniore gratiæ cunctatione, sed clementiâ; quæ obstinatissimos quosque mitigat, demerendum.

Pontifex Cardinales ad commune Ecclesiæ bonum hortatur.

Quinto post die Cardinales sententiam quisque suam rogantur à Pontifice, exin implorata diuina bonitas, almusque consiliorum sanctorum præses Spiritus, vt quod optimum factu videretur, Pontifici vicarias Numinis partes in terris agenti non dubijs, quanquam occultis

Supplicatio à Pontifice instituta.

afflatibus significaret, ne quid inconsultè faceret, quod sera pœnitudine retractari par foret; indictæ ad singulas vrbis basilicas supplicationes, Pontifex ipse luculento pietatis exemplo præiturus reliquis, ne quid Numini non acceptum aggrederetur, continuis Cælites omnes votis, contentisque precibus ac præsertim Dei, misericordiæque Parentem, orare instititit, obtestarique per intactum mentis ipsius corporisque candorem, vt quæ non expultrix tantùm, sed & hæreseon interfectrix iure dicebatur, vel tenues hæresum fibras ex Henrici Borbonij mente dignaretur euellere, Ecclesiæque matri primogenitum suum redderet, quasi modò genitum infantem, saluberrimò deinceps veritatis, pietatisque lacte pascendum. Ferunt è Quirinalibus ædibus ad Diuæ Mariæ Maioris excalceatum, exiguoque septum comitatu progressum esse Pontificem, postque conceptas ad Deum, & Deiparam ritè preces nudis item pedibus, demissoque capite impertitâ nemini benedictione flentem lamentatemque in palatium remigrasse, quod idem pietatis opus iterauit die Assumptæ in Cœlum Virgini sacro.

Appositæ absolutioni leges.

Itum in conditiones aliquot, quarum hæ præcipuæ ab Authoribus referuntur. Vt iureiurando sese Procuratores Regis nomine obstringerent supremæ Sedis Ecclesiæque mandatis nunquam non obsequuturos, Caluinianum virus tum à se, tum à subditis suis omnibus depulsuros; vt Rex in Benearnensi principatu Romanam religionem iam diu ablegatam restitueret, vt intra currentis anni spatium Condæus Princeps ab hæreticorum potestate consortioque segregatus Catholicorum magistrorum curæ traderetur, imbuendus sanctioribus sacris; Regem quippe hominem esse communibus mortalium casibus obnoxium, cui in arduis semper periculosisque versanti, si humanitus aliquid obtingeret, in priores difficultates aut fortasse maiores relapsurum regnum, si legitimus eius hæres improle tum Rege in hæreticorum adhuc esset tutela. Item vt Rex in honorum partitione Catholicos semper potiores haberet hæreticis, Tridentinum promulgari iuberet Concilium, precariam immaculatæ Virginis coronam quotidie debito pietatis sensu decurreret, ambiretque deinceps Magnæ illius Dei Genitricis, hominumque tutelaris patrocinium, vt quarta quaque feria Cælitum opem solemni nomine'atu a imploraret, interessetque quotidie augustissimo Missæ Sacrificio, vt quater in singulos annos expiatis ritè apud Sacerdotem peccatis Diuinæ Mensæ accumberet, Catholicos Principes de suo ad Romanam Ecclesiam reditu per litteras commoneret, tum iuberet per regnum vniuersum immortales agi Numini gratias, quod tam salubriter ipsi

tam prosperé Catholicis omnibus, tam pacaté regno, religionique fecisset.

Cum in leges huiusmodi conuentum esset, aliud supererat nihil, quàm vt ouem à Catholico grege semotam pinguibus Ecclesiæ pascuis supremus animarum Pastor restitueret, ad quod propendere se satis absque cuiusquam impulsu tum maximé significabat, cum frementes atrocesque minas intentantes Galliæ hostes conticescere iuberet, hanc non Regis tantùm, sed & ipsius Numinis voluntatem esse contestans, cui nefas esset non obsequi. Absolutionis solennia die Dominica, quæ vigesima septima Septembris illuxit magna cum celebritate, plaudentisque populi iucunditate peracta. Vix auspicatior eligi poterat dies. Dominica siquidem Regem Galliæ fortissimum, Dominumque potentissimum ab optimo maximoque Pontifice Ecclesiæ totius Domino locupletissimum munus accipere designabat, quodque DD. Cosmæ & Damiano Medicinam olim professis sacra foret, innuere videbatur cœlestem è pontificiis apothecis purgando à vesanis erroribus Regi medicinam deprомptam, quodque stupendum est magis, quâ procreatus Ecclesiæ filius Rex ac primogeniti prærogatiuam sortitus est die, hac eadem euolutis aliquot annis filium Galliæ primogenitum dedit Ludouicum XIII. Regem, ingens sanè non Europæ tantùm, sed & terrarum Orbis totiùs miraculum, quia potentissimum prodigiorum multorum antè postque decursam mortalitatem effectorem. Basilica sancti Petri ad pompam maiorem, apparatumque magnificentiorem delecta, cuius in porticu trabeatus aderat Pontifex in sublimi solio ad Ecclesiasticam maiestatem consídens; assidebant Purpurati Patres præter admodum paucos; eundem in locum præter Præsules, ac Pontificiæ curiæ administros confluxerat innumera penè hominum vis, Romanæ Sedis amplitudinem in spontanea Regis veniam comprecantis abiectione visura. Et sanè Deo dignum erat spectaculum supplicem in Legatis suis intueri Principem, qui quot bella gesserat, tot ferè numerabat victorias.

Absolutionis Ceremonia.

Delecta Dominica Dies.

Adfuere confestim Regii Procuratores Perronius & Ossatus, postque libatum Pontificiis pedibus osculum, supplicem oblatum recitatumque libellum ex præscripto formulæ Caluinianam hæresim eiurarunt, Regem in religione Catholica Apostolica Romana perseueraturum, ac conditiones allatas obseruaturum contacto sacrorum Euangeliorum codice sanctè religioseque polliciti. Interea dum Psalmus quinquagesimus concineretur, Pontifex sumptâ in manum virgulâ vtriuſ-

que humeros iuxta veterem formulam leuibus aliquot cædebat ictibus, qua quidem formula manu mittebantur apud Romanos serui, sic qui ob noua sectæ commenta fœdam peccato seruitutem Princeps seruierat, importunum illud iugum per clementem illam Pontificis vindictam excutiebat, quam proximè subsecuta est absolutio, Pontifex enim sumptâ tiarâ, conscensoque solio, perinde quasi indutâ Iudicis personâ absolutionis sententiam altâ distinctâque voce pronuntiauit, & auctoritate Omnipotentis Dei, BB. Apostolorum Petri & Pauli, & sua Henricum Regem à vinculo excommunicationis, quam ob hæresim incurrerat, ritè absoluit. Tum reseratæ Basilicæ fores, in eamque Procuratores inducti, Ambrosianus mixtis vocum fidiumque concentibus decantatus est hymnus, dati iteratique ab ingenti hominum multitudine plausus, tormenta ex arce Sancti Angeli magno cum fragore displosa, ciuitas tota incredibili perfusa gaudio vota Numini pro Pontificis, Regisque salute nuncupauit, cusa præterea numismata, in quibus Clemens Dei Vicarius, & Henricus Borbonius Galliæ Rex affabrè visebantur insculpti, absolutionis diploma, quo rei totius gestæ series continebatur, ad Regem transmissum, & vna cum diplomate missa regni felicitas, Petri gladius, qui censuræ regiæ nodos absciderat, exertum ad ciuilia rursus tentanda bella ferrum conquiescere iussit, scrupulosque quibus fœderati cruciabantur euulsit.

Cardinales aliquot suffragati sunt Regi.

Toletus præsertim.

Magnifico hoc in opere prouehendo, consummandoque fidam ac per quam diligentem operam collocarunt Cardinales nonnulli, quos inter Aldobrandinum adnumerari scio Pontificis nepotem, Paleotam, Veronensem, Morosinum, Camerinum, Iustinianum, & alios, palmam autem inter omnes retulit Franciscus Cardinalis Toletus è Societate IESV vir tum in philosophicis, tum theologicis studiis, tum sacrorum codicum intelligentia, tum ijs in explicandis scita quadam perspicuitate longè clarissimus. Extant pleraque doctissimi sapientissimique doctoris monumenta typis edita, quibus non Societati tantùm nostræ, quam professus est Iunior, sed & sacræ purpuræ decus æternum parauit. Is cùm à sacris concionibus, & consiliis secretioribus Pontifici foret, quanquam genere Hispanus, mitia tamen semper pro Christianissimo Rege suggerebat consilia, Ossatus ipse datis ad regem literis totum hoc absolutionis munus post Deum & Clementem Romanum Antistitem, Toletano Cardinali tribuendum existimauit, atque vt mirata est Gallia salutem quodammodo ex inimicis tum suis partam, ita & indignè tulit Hispanica factio gentis vsque adeo suæ immemorem

Ossati de illo iudicium.

extitisse Toletum, vt quæ Regi suo necessaria probè nosset, tam accuratè diligenterque curaret, quod & eidem exprobrauit Sessius Regis Catholici Regis orator. At ille conscientia fretus, politica quæ contra suggerebantur omnia, præpotentis Dei voluntati, Pontificis existimationi, Christianissimique Regis saluti post habenda ostendit. cui Sessius indignanti quàm ridenti propior, mutares haud dubiè Tolete mentem istam, ac meliorem indueres, si arcana mentis meæ consilia perspiceres, at tu (subiecit Cardinalis) diuersa planè sentires, ac in alium migrares, quàm nunc sis, si theologicis perinde in huius esses, atque aulicis equestribusque studiis. Ingens sanè Societatis nostræ laus est, eius è gremio vnum emersum aliquem, qui tantum ad conficiendam rem tantam momentum afferret. Vtinam partum sibi decus hoc ingens continuatis pro Regum suorum incolumitate votis emereri pergat Societas, suosque iis labores semper addicat, vitam consecret; id tam etsi fecerit, non antiqua satis perlabit merita, par enim exaggeratæ Regum in se munificentiæ reponere nequit, vt maximè velit.

Candidam fidei Catholicæ stolam à se recens indutam adeò non corrupit Christianissimus Rex, vt eius semper augere decus institerit, quod ex eo planum fiet, quod iam referam. Nobilium aliquando virorum corona stipatus, cùm incidisset hæc quæstio, quo quemque studio erga Romanam religionem affici par esse videretur, in hunc ferè præfatus est modum. Equidem non ignoro quanta criminum mole prægrauatus nunc sim, olimque fuerim, quæ haud vanos mihi metus incutiunt; nemo vnus est, cui maius admissarum tota vita noxarum pondus incumbat. Quod verò ad Catholicam fidem spectat, ad quam me diuina vis, non humana compulit, ita me Deus amet, ferrem lubentiùs viuo mihi non secus ac Diuo Bartholomæo pellem detrahi, aut cum Diuo Laurentio subiectis ignibus in craticula ad mortem vsque torqueri, quàm vt vel latum vnguem à fide semel suscepta desciscerem. Hæc cùm tam affirmatè loqueretur, prosiliebant vbertim eius ex oculis lacrymæ, candidissimæ mentis fideique testes, altè nempe animo infixerat stare nullatenus posse regnum, quod vera non firmaret religio. Prodebat insuper sincerum, quo flagrabat conseruandæ fidei studium, singularis eius in Apostolicam sedem obseruantia, & in promouendis Ecclesiæ negotiis, hæreticisque Christo adiungendis incredibilis ardor; Venerabatur impensè supremum sacrorum Antistitem, hunc vt vniuersæ caput Ecclesiæ vicarias Numinis partes agentem mentis oculis intuebatur, cunctos autem oderat, qui sacram eius dignitatem di-

Constans Regis animus in Catholica fide.

Et obseruantia erga summum Pontif.

uinæ propemodum parem maligno dente arroderent; atque id causæ fuit cur prædicantes Ministros Pontificiam identidem autoritatem conuellentes seuerissimis verbis non semel increpuerit.

E mirabili Regis in Dei Vicarium obseruantia emanabat singularis eiusdem in sacrum Purpuratorum Patrum Senatum propensio, ex his singulos quanta veneratione prosequeretur, verbis ostendebat & factis, nec id solùm egit Catholicis imbutus mysteriis, sed multo antè tempore Caluinianis implicatus fraudibus eosdem supremi Numinis Mystas reclamantibus frustra sectæ præconibus veneratus est semper, eximiosque à communibus bellorum cladibus militarique licentia vbique præstitit. Hanc religionis morumque mutationem quasi locupletem thesaurum aliquem auspicatò repertum, non vni tantùm sibi concessum optabat, sed quia haustæ diuinæ fidei Christiana comes est Charitas, dimanare percupiebat in omnes, nihil enim ab eo indagatum frequentiùs, quàm vt opportunæ inirentur viæ, quibus populi sectæ commentis delusi Catholicæ veritatis luce perfundi possent. Trecentis amplius locis neglectos Romanæ religionis ritus restitui iussit, inter quæ numerabantur non pauca, vnde non tantùm Apostolica fides, sed eiusdem etiam exularat memoria. Societatis IESV Patres Rupellam iteratis iussionibus induxit latrantibus diu ac rugientibus contra hæreticis, qui Seguiranum eiusdem Societatis concionatorem ex vrbe facessere coegerant, nunquam deinceps admissuri, nisi regio in eam intromissus fuisset imperio. Et quia non Regis tantùm, sed & amantissimi Patris genium pectusque induerat, degeneres filios mitiore quàm seueriore via ad frugem reuocandos esse dicebat; leni quippe citiùs, quam armata ferro manu sanari ac coalescere vulnera, mollioribus, non acrioribus fomentis indigere sectarios, medicos plus interdum quiete, quàm mouendo, atque agendo proficere.

Optat omnes fieri Catholicos.

Soc. IESV Patres Rupellæ commorari iubet.

Ex hac naturæ ad benignitatem factæ indulgentia Patri Gonterio eloquentissimo Societatis IESV concionatori, posteaquam locupletes ei tum facundiæ, tum eruditionis gazas gratulatus fuisset, abundè facis (inquit) mi Pater auditoribus tuis, si vnos hinc hæreticos eximas, sunt enim hi omnes fastidioso, nauseantique stomacho, pretium operæ feceris si cum illis perinde ac cum ægrotis egeris, suaderi potest fides, non cogi. Hinc incredibili efferebatur lætitia, quoties increbresceret rumor segregem aliquem factum esse Catholicum, beatissimos illos esse prædicabat, quibus fidei veritatisque lumen illuxisset, horum nomina studiosè censeri, variisque ex vrbibus ad se mitti iubebat, cui regis manda-

Mitius cum sectariis agendum censet.

Conuersorū elenchum ad se mitti iubet.

to incorrupta planè fide paruerunt Societatis IESV religioſi, tranſmiſſo cunctorum, qui ſe ſe recens Catholicis aggregarant, elencho. Cenſa ſunt ſexaginta ſex animarum millia Caluini fraudibus erepta, in his complures fuerunt primæ nobilitatis viri, prædicantes non pauci ſuos inter eruditione præcipui, doctores Medici, Iuriſperiti, Magiſtratus denique varii. Verùm ne quid nouis fidei candidatis deeſſet ad victum, munifica Regis, Clerique liberalitate perfectum, vt accipiendis omnibus publica inſtitueretur domus cum annuo liberalique prouentu.

Proſpicit omnibus.

Simul ac Regem Deo Pontifex, Eccleſiæque reſtituit, feſtinarunt confeſtim ad obſequium fœderati, fœderiſque autores præcipui. Meduanus abdicatis Hiſpanorum partibus Regi ſacramento dixit, Sueſſionas inſuper, & Cabillonum (Chalonium vulgò ad Ararim uocant) obſequi iuſſit. Hic quanquam infeſta contra regios arma ſumpſiſſet, cauit tamen ſemper, ne quod occultis artibus connitebantur Hiſpani, quodque aucbant cupidiùs, in Gallia ſtabilirent imperium. Regis pedibus aduolutus tam benignum expertus eſt Principem, quàm ſeuerum ſibi fore timuerat; & quia inter cæteras Regis dotes ſingularem elucere clementiam apprimè norat, illataſque ſibi iniurias ſolitum obliuiſci, quod præcipuum erat veteris illius Imperatoris inſigne, haud difficulter impetrauit, vt omnium, qui contumaces hactenus :xt terant, ſi modo ad præſcriptam diem reſipiſcerent, obliteraretur rebellio.

Meduanus ei ſpondet obſequium.

Multus fui in nobili hac Regis de ſemetipſo enarranda victoria, non tamen aberraui à propoſito mihi ſcopo, nam cùm palam facere decreuerim, quid contrà molita, & quibus tandem annis ſub Borboniis Regibus oppugnata fuerit hæreſis, à nobiliori certamine, vtilioríque longè victoria auſpicari meritò debui, magnum enim periculum erat, ſi Caluinianus eſſe perſeueraſſet Henricus, ne peſtilens hæreſum lues Galliæ capiti pertinaciùs adhæreſcens, in vniuerſum corpus redundaret. Præterea nihil enarrari poteſt iucundiùs quàm ſors hæc optima, quæ Regem Galliæ ſuæ, Galliam autem Regi ſuo nexibus amoris aſtrinxit, quæ labantem, ruituramque penitus religionem effulſit, accenſas ciuilium bellorum faces, acriuſque accendendas extinxit. Noua tum Eccleſiæ facies inerat, hæc velut poſitâ viduitatis lugubris ſtolâ priſtinæ ſe ſe dabat hilaritati, effloreſcebat ſingulis in regni partibus ortodoxæ fidei cultus, quidquid debacchante licentia præreptum Eccleſiis fuerat, reſtitui curabat æquiſſimus Princeps, quæ dum agerentur, quia proſperis amara plerumque ſuccedunt, Pariſienſes quaſi nondum ſatis

Gallia Catholica.

intestinorum bellorum tempestatibus attritos pestilentis morbi vis inualuit; Rex ne quid auræ nocentioris hauriret, de medicorum sententia Rotomagum inire intendit, dumque in amœnissima Gaglionis villa missis grauioribus curis laxare mentem pergeret, adfuit illico sectariorum turba per libellum supplicem grauiter expostulantium, quòd ille abdicatis nostræ religionis partibus, Papistarum in castra demigrasset, non arbitrari tamen se, Regem tantis inuolutum tenebris esse, vt cum Romanis, variarum superstitionum fraudibus delusis verè sentiret, sanctioribus ab infantiâ præceptionibus excultus, simulatum potiùs ab eo papisticæ fidei studium, vt tempori, regni commodis, sibique soli seruiret. Excanduit illicò Rex ad temerariam legatorum vocem & impudentem audaciam, oblatum sibi libellum concerpsit, apertéque mentiri asseruit, qui ambigua se fide versatilique dicerent, ac inanem tantùm & futilem Catholici ritus induisse personam. Hæc cùm seuerè minaciterque respondisset, qui eius erant in comitatu hæretici paulatim dilapsi sunt omnes, cumque ex infelicibus vepretis ad Ecclesiæ pascua commigrarent non pauci, auctus eorum est mœror acerbè quiritantium decrescere fidelium numerum, crescere verò Papistarum colluuiem, cassam illam spem esse, quam de impertiendo sibi Regis auxilio frustra conceperant, obsolescere sectæ maiestatem præcipuo eius cultore, & propugnatore auulso.

Rex hæreticorum impudentiam castigat.

Rex qui errores vehementiùs quàm homines ijs implicatos oderat, pro innata sibi mansuetudine indulsit, vt in Castro Heraldi apud Pictonas cœtus suos, siue conciliabula instituere possent. Conuocatis ad comitia sectæ proceribus Tremollius præfuit vir vt antiquæ, ita & primariæ in Gallia nobilitatis, qui cum sororem suam Condæo Principi nuptum dedisset, quò arctius eum sibi obstringeret, à Catholicis partibus ad sectariorum instituta deflexit, non attentè satis reputans quàm turpe sit illud vinculum, quo quis dum homini coniungitur, separatur à Deo, hunc tamen exactis annis aliquot ad frugem prioraque Catholicorum castra rediisse fidem faciunt Gallicarum rerum scriptores. Interea Rex ne pestiferum aliquid suo in conuentu contra publicam tranquillitatem molirentur hæretici, Scombergium Comitem, Augustum Thuanum, & Calignonium Parisiensis curiæ Præsides eò delegauit; tum, quia querula semper est rebellio, indignè se habitos dequesti sunt, quod Rex non accitis ipsorum copiis, solo fretus fœderatorum auxilio Ambianos in potestatem redegisset, grauius tamen longè vulnus acceperunt, cùm Sancium, Spondeum, vtrumque Rebulsium, Baronem Salignacum Catholicorum.

Hæreticorũ Conciliabulo præest Tremollius.

Delegati Magnates.

Proceres aliquot hæresim eiurant.

tholicorum coloniç transcriptos fuisse fortunatus attulit rumor; sed contabuere penitus audito fœminæ Principis ad Romanam fidem regressu; ea fuit Carlota Catharina Tremollia Condæi Principis mater, Alexandri Medices Florentini Cardinalis operâ Deo Religionique reddita, qui deinde Clementi VIII. magna populi gratulatione suffectus, Leonis XI. nomen assumpsit.

Et Carlota Tremollia.

Dum pleræque redirent ad obsequium vrbes, Rex Lutetiam venit pontificium excepturus legatum, quo testatum relinqueret supremum se omnium pastorem in misso ad se nuncio venerari, adijt autem illum sine pompa, regalique magnificentia, veredario vectus equo, cum Principibus tamen, quos inter Meduanus haud absque multorum, qui aderant, admiratione conspectus; hincque intellectum est, quam Principes olim non pauci firmando tutius regno seueritatem quasi præuiam & adiutricem acciuerant, ab Henrico reiectam, regiæ, cuius semper amantissimus fuit, obsequuturo clementiæ, nec enim indecorum putauit si prætergrederetur interdum æquitatis terminos, nihil honestius ratus culpa benignitatis, si tamen vlla in regiam hanc virtutem culpa cadere possit, nempe quam sibi à clementissimo Deo noxarum præteritarũ veniam factum iri sperabat, spargebat ipse in plures, præiturus quasi Deo editis humanæ misericordiæ argumentis, vt diuinę particeps foret.

Rex Pontificis Legatum excipit.

In hostes misericors.

Dum proximè Lutetiam aduenisset Legatus, ad eum visit cum illustri Procerum comitatu Henricus Borbonius primarius regii sanguinis Princeps, cuius eximiam indolem, & acerrimum ad ardua quæque complectenda ingenium demiratus est nuntius tem ab Ordinibus cunctis consalutatus solenni pompa vrbem iniit; facultates ipsi á Romano Pontifice datæ, recitatæ, ac dummodo sancta starent semper integraque Ecclesiæ Gallicanæ iura, Rege sic iubente reuerẽter acceptæ. Venerat autem Legatus Pontificis missu, vt promissas ab regiis procuratoribus, dum Ecclesiæ Rex aggregaretur, conditiones exigeret, factamque Romæ reconciliationem ratam in Gallia habendam significaret, ne quis capiendorum deinceps armorum obtentus rebellibus foret, perinde quasi inanis esset absolutio, aut Pontificia Gallos hactenus ludificasset autoritas. Fremebant interea hæretici, & ne auulsis sectæ membris præcipuis totum eius corpus flaccesceret, cœtum apud Sanctæ Fidei oppidum in Nitiobrigum tractu indixerunt, non refero quæ conuocati decreta sanxerint, quorum audaciam reprehendunt scriptores plerique, destinarant quippe nouam in Gallia cudere reipublicæ formam, quam & suis & imploratis externorum opibus com-

Legatus inuisitur ab Henrico Borbonio.

Conciliabulum apud S. Fidem.

muniturosse passim in triuijs popinisque iactabāt, debitas meritò pœnas daturi, ni consultius existimasset Rex peruicaces filios varijs paternæ charitatis illicijs ad frugem & veritatis amorem compellere.

Et Salmurii. Nunc de conciliabulo Salmurij celebrato pauca delibabo, quo in loco communibus omnium votis decretum fuit, vt supplices ad Regem mitterentur horum aliqui, ab eo postulaturi vt nouæ religionis munia per cunctas Galliæ prouincias obire liceret; vt dandum ministris suis aliisque instituendæ pueritiæ delectis præceptoribus minerual, siue *Postulata.* stipendiū regio peteretur è fisco, vt ciuilium nec non capitalium rerum cognitores sumerentur è secta, parique numero, & autoritate per Galliam vniuersam cum Catholicis forent, vt idonea sustentandis præsidiarijs suis æra regijs è vectigalibus promerentur. Hæc Regem Lugduni tum agentē ab hæreticis multa cū exprobratione perlata, quasi parum grato memori que animo esset, quòd Sectæ partes innumeris ab ea deuinctus obsequijs eiusque religionem abjecisset. Hic, quia Picardiam armis tum infestam habebat Rex Catholicus, importunas legatorum preces non repudiauit omnino, congruentiora repulsæ tempora præstolaturus & *Non reiiciuntur omnino.* sanè vix horum aliquid indulgere poterat absque grauibus fœderatorum querelis summique Pontificis exprobratione, qui absolutionem ei recens impertierat, tum ne fluxa Regis fides videretur, odium sempiternum in vesanos sectæ ritus polliciti.

Pax Veruini sancita. Dissensiones inter Christianissimum Regem, & Philippum Regem Catholicum conflatas locis aliquot attigi; nunc pacem inter eos Veruini in Veromanduis sancitā sic referam, vt pactis eius conditionibus prætermissis, incredibile tantùm gaudium renouem per Europam ferè totam diffusum; communis lætitiæ particeps fuit Clemens Romanus Antistes, omnesque sanctæ sedis administri extinctum fœderis huius *Grata Clementi Pontifici.* nexu ciuilium externorumque bellorum incendium vtrique Principi gratulati, auguratique pacificum fore deinceps Gallicum Hispanicumque regnum, nec imbuendum Christiano sanguine ferrum, congruentiùs in Turcas, aut exitiales huiusmodi religionis pestes vertendum. Parisiis nihil ad publicam testandam hilaritatem omissum. Interea quia plurimum interest implere magnificè quam quis personam induit, vt impositam regni molem cum dignitate sustineret Henricus, innatam sibi prudentiam in auxilium identidem aduocabat, hac fretus præcipuo id studio accurauit, vt mansuræ quàm diutissimè pacis semina iaceret, post compeditum vinculis armorum furorem Augustus verè futurus, Sacrum Ordinem, & nobilitatem collatis abundè beneficijs

ſibi obſtrinxit, qui fœderi ſtudioſiùs inhæſerant, eos datis largè pecunijs demereri inſtitit, ſectarios autem, ne quid in regno turbarent deinceps, regia autoritate compeſcuit, nobiles, bellorumque præfectos qui aut nimia Henrici III. indulgentia, aut ciuilium tumultuum occaſione ſublimiùs ſe ſe, quàm cuiuſque ſors pateretur, extulerant, ad modeſtiorem ſtatum deiecit, contrà verò nouitios, aut de nouitiorum genere homines, dummodo in eis tum ſingularis prudentiæ, tum elimati ſigna promicarent ingenij, vt fidos ſibi conſiliarios haberet, ſuppeditatis vltro muneribus pelliciebat, peritiſſimus ingeniorum arbiter, & æſtimator æquiſſimus, commodaturus non dignitates viris, ſed dignitatibus viros. *Rex ſubditos ſibi conciliat.* *quoſnam in conſilium adhiberet.*

Nec abſtitjt vnquam crebris hortatibus vrgere ſectarios; vt illuceſſenti Catholicæ religionis veritati mentis oculos aperirent, ludibria cuncta conteſtans illaqueandis ſimplicioribus idonea, quæ prædicantes Miniſtri blaterare cõſueſſent. Erant enim qui falſitatis tuendæ propagandæque munus arripuerant è cœnobiorum ſordibus emerſi non pauci, quibus arctior quondam inſuauis fuerat diſciplina domeſtica, intolerabilis caſtigatorum morum conſtantia, quamobrem ſeruire detrectantes, ſuauiſſimum Chriſti abruperant iugum, religioſæ domus clauſtra perfregerant, vt licentiori vitæ fræna laxarent. In eos præterea qui ganeis, & ſphæriſterijs auguſtiſſimum Dei nomen petulantibus dictis polluerent, ad plectendam ſacrilegæ linguæ libertatem ſeuerè pronuntiari iuſſit. Nicolaus Meſſeus paris impietatis compertus; carpento tractus Pariſijs; fune de collo pendente, tædamque manu geſtare coactus, pro foribus primariæ ſacræ Virginis ædis procumbens in genua, impia ſe in Deum ac Dei Genitricis Mariæ honorem protuliſſe confeſſus, circulatricem linguam cãdenti ferro perforandam, ac ſecanda pariter labia carnifici præbuit. Alius profanas huiuſmodi execrationes, quibus linguam mentemque contaminarat, ſuſpendio luit. Impijs his in Deum Cæliteſque ſcommatis erant qui ſtuperdum omnino pietatis genus opponerent, tantùm præpotenti Numini decus conciliaturi, quantum conſcelerata huiuſmodi capita detrahebant; & quidem parerat ſingularia exhiberi ſanctitatis & fortitudinis exempla hoc præſertim tempore, quo Rex Catholicis ſe ſacris addixerat, vt nouo in Romana religione tyroni planum fieret, quàm fortes & generoſos Athletas hæc alat Eccleſia, qui vt ad diuina faciliùs & difficiliùs aſſurgant, æternum immenſis opibus, cunctiſque corporis voluptatibus nuntium animosè remittunt. *In Numinis contemptores animaduerti iubet.*

G 2

Ioyoseus rediit ad Capucinos.

Henricus Ioyosæus, qui dum intestina bella flagrarent, Capucinorum centonem cum militari lorica, multorum inductus precibus commutarat, posteaquàm rem bellicam fortiter gessit, vt Romanus ille dictator L. Quinctius ad aratrum aut boues redijt victor, ita & ille ad cilicinum habitum regressus est, monachalemque cucullum, Capucinum secundò professus, vt in cellulæ suæ angustijs, seu potius nidulo suo, quem marmoreis regum præhabuerat ædibus, mortalitatem exueret immortalibus aggregandus. Admiratores habuit infinitos, imitatores paucos aut nullos inaudita ferè Viri magni felixque pietas, quòd quam in opum, dignitatum, omnium denique rerum affluentia reperire non poterat, in cinere, & sacco, voluptatumque omnium abdicatione quietem inuenerit. Non vni tantùm sibi, sed & infinitis alijs ex ordinis sui instituto mirificè profuit, nam illustri, quod reliquit, sanctitatis exemplo, magnas vbique morum inducere mutationes idoneo, vocem etiam addidit rectè factorum excitatricem; eius enim, dum concionatoris munus obiret, haud exiguam in dicendo vim gratiamque demirati sunt tum Parisienses, tum alij, tametsi nullis eloquentiæ septus præsidijs, nec tam pacatis eruditæ Palladis studijs, quàm bellatricis eiusdem ardoribus innutritus præclarè factis institisset vehementiùs, quam verbis. Laudauit Rex quàm maximè illustre nobilissimi viri consilium hoc potissimum nomine, quod per quam difficilem tam arduo, quod inchoarat olim, operi addidisset constantiam.

Laudatur à Rege.

Et hoc, & alijs compluribus, quanquam diuerso in genere pietatis exemplis lapsi in Gallia restituebantur mores, silebant arma inter leges, prostrati iam hæretici vitam agebant in obscuro, reflorescente vnà cum Catholicorum partibus religione, disrumpebantur omnino, querebantur contemni se in lætiore Regis fortuna, qui in afflicta eiusdem sorte magnis affecti honoribus fuerant, non iniqua postulare se, si pares cum Catholicis magistratus, dignitatesque ambirent, Refellebat Rex postulationes iniustas, hi verò refellentem importuniùs aggrediebantur, nunc obsecrantibus similiores, nunc propiores minantibus, nunc supplicibus votis, nunc trucibus, armatisque verborum terroribus instantes vehementiùs, rati priora subuerti beneficia, hæc nisi nouis, amplioribusque cumularentur.

Edictorum querela

Edictũ Nannetense.

Rex importunis eorum precibus euictus, edictum Nannetense condidit turbarum multarũ seminarium, cùm enim eius vi ad dignitatum communionem in maioribus minoribusque curijs, & ad præfecturas omnes pari iure vocarentur, cumque de vtraque religione liberè sen-

tire, & arbitrariam in Gallia vbique profiteri liceret, festinati ab Roma venere nuncij, qui Clementis Pontificis luctus, querelasque perferrent, acerbius nihil aduersus Romanam religionem sancitum, quàm pessimum hoc, atque ex hæreticorum voto conceptum recens edictum, quod nulla prorsus expresserat necessitas, cùm Rex non magis Dominus sui, quàm suorum semper extitisset; complanatam se veritati viam strauisse, quæ tot annis proscripta in florentissimum Galliæ regnum remigraret, nunc eandem à Christianissimo Rege Caluinianæ fraudis vinculis expedito, eorumdem errorum sentibus asperari, à quibus quanquam abhorreat ipse, immunem se tamen præstare non possit, cùm in Gallia latè propagari permittat, haud inania sibi à Catholicis Principibus iniecta monita, videret maturè, pensaretque diligentiùs, quem tandem in Regem agnosceret, cui sacræ munus absolutionis impenderet, non rectè in eo Ecclesiastica collocari dona, qui ad prauos hæc vsus conuersurus sit, repudiatos à se non prudenter satis prudentium virorum monitus, lætaturos religionis hostes Apostolicæ sedis indulgentiam in ipsius probrum contemptumque vertisse, cùm ludificata sic fuerit. *Improbatur à Romano Pontifice.*

Offatus qui has Pontificis querimonias ad Regem perscripserat, aut negare, aut saltem eleuare factum aggreditur, sed accedebat interdum, vt non nihil mitigato nouæ rursus erumperent lacrymæ, indulgentiorem erga hæreticos fuisse Regis animum, segniores pro admittendo in Gallia Tridentino Concilio curas ab eodem impensas. Hæc & alia flebiliter admodum querebatur Pontifex, contrà verò Rex edicti huius necessitatem obtendebat, colere se Antistitem summum, Ecclesiamque cuius primogenitus esset, summissa mente venerari, sed in hoc Gallicarum rerum articulo vt canibus buccam panis proijcimus ne violentiùs latrent, ita & hæreticis indulgendum pulpamentum aliquod, ne inclementiùs mordeant; satis hactenus in Gallia ob ciuiles discordias fusum sanguinis esse, nihil emolumenti è cumulatis hæreticorum cædibus partum, nisi vt grex ille sobolescat magis, & maiorem susceptis semel erroribus contumaciam addat, monere rectè sapientes ea frequentiùs admitti scelera, quæ vindicantur frequentiùs; non aggrediendam ferro pestilentem hanc Galliæ strumam, quæ lenioribus egeat medicamentis, satius esse, qui merâ peccant ignorantiâ, salutaribus eos monitis reuocare ad frugem, quam recalcitrantium latera feriatâ nunquam manu contundere, compertum est mihi non defore, qui paternam hanc in me lenitatem increpent, sed nihil *Offatus Regem excusat.* *Rex etiam factũ excusat.*

moror perstrepentes huiusmodi varijs è suggestibus tubas, qui rebo-antia machinarum æ nearum tonitrua interritus hausi. Nec mihi quisquam obtendat violari à me Pontificiam sedem, quasi verò is sim ego qui haud ita pridem Ecclesiæ matri redditus, tantum ei dolorem inurere velim, si de me querantur Gallici nominis hostes, calumnias diluent, refellentque Oratores nostri.

Improbatur à Clero & Sen tu Parisiensi.

Promulgatur

Hæc & multó plura Rex in Principum, Procerumque cœtu disseruit, quæ non ab omnibus eadem sunt mente accepta; dissentiebant enim è Parisiensi curia Senatores non pauci, auersus erat omnino Clerus, pestilentem hæreseos sementem per vniuersam spargi Galliam ægerrimè ferens, verùm mollijt nonnihil querentium animos spes omnibus ab Rege facta, versurum id Ecclesiæ bono, dum se sibi, prudentiæque suæ concrederent. Promulgatum itaque est edictum die vigesima quinta Februarij an. 1599. in quo comprehensa sunt vnum & nonaginta capita publica, sex verò, ac quinquaginta secretiora, quibus præter ea, quæ à superioribus Regibus indulta olim fuerant, alia insuper pro ratione temporum videbantur adiuncta, quæ Clementem Pontificem grauiùs exulcerassent, nisi excusationis fomenta commodùm apposuisset Ossatus. Per Nannetense hoc edictum religioni Catholicæ in eo saltem consultum est, quod eius munia ijs, è quibus proscripta fuerant locis, restituta fuerint.

Pontificia litera ad Episcopos Galliæ.

Haud ita multò post Clemens Pastoralem ad Ecclesiæ Gallicanæ Præsules parænesim scripsit, qua queinque commonebat, hortabaturq; vt pace Christianos inter Principes stabilitâ, diligentiùs in animarum curam intenderent, idoneum pietati aduenisse iam tempus ostendens, quo nouandus ager dominicus esset, euellendæ noxiarum herbarum radices, prauorum exemplorum tollenda frequentia; in ijs autem ciuitatibus contentiore laborandum esse studio, quas pestilens afflauerat hæresum aura, necessariam ijs præsertim Sacerdotum gnauorumque operariorum industriam. Institit & Pontifex idem quidquid in cœnobitica disciplina fluxum & languidum erat, per decreta generalia ad primigenios monasticæ vitæ reuocare canones, quo purius in expurgatis mēbris suis omnibus Ecclesiæ Romanæ corpus efflorescceret. Post fundatam in Gallico regno pacem, stabilita omnino videbatur felicitas, quæ ne aliquando concideret, quia vltimus vnicuique mortalium præfinitus est dies, prouidendum Rex existimauit, & quia non nisi Regum è vigilijs laboribusque subditorum nascitur quies, ipsique tandem fato Reges concedunt, Rex quod de se polliceri non poterat,

per stirpem regiam præstare decreuit, & quia nihil dum liberorum è Margarita Valesia coniuge susceperat, huic multas ob causas repudium remittere statuit, quas ne deliberare quidem huius est operis *Rex Margaritam repudiat.*

Occurrit iam percelebris illa Perronij cum Plessio Mornæo de controuersis religionis rebus disceptatio, quæ quia instituto nostro congruentior est, hanc explicatiùs dabo. Secesserat Rex ad Blaudi fontem, seu Fonbellaqueum, affectam nonnihil valetudinem curaturus, cùm de Philippi Mornæi libello religionis quæstionibus farto, qui tum omnium manibus terebatur, cœptum est agi. Erat is vir militiæ gnarus, & Salmuriensis olim arcis gubernator, nec indisertus omnino scriptor, quamobrem vt egregio sectæ defensori, in quo spei plurimum collocarent, syluam multam suppeditarant eorum, quæ controuerti solerent Prædicantes ministri, hæc vt ille styli nitore collustraret, sicque nouitios errores specie veritatis obtegeret; restiterant hominis fallacijs Societatis IESV Sacerdotes duo, Ludouicus Richeomus, & Fronto Ducæus. Inter alios quos proseminarat errores, librum idiomate Gallico de Missæ, vt impiè loquebatur, abusibus ediderat, & antiquo Eucharistię vsu, falsi plerisque in locis conuictum, deprauationibus, corruptelis, truncatisque Sanctorum Patrum autoritatibus refertum, quę SS. PP. loca, seu testimonia subministrarant sectæ ministri, aut mutila, vt iam dixi, aut in contrarium planè sensum detorta, sic plumas quisque suas submiserat, quibus recens hæc coalesceret cornix, elegans oppidò, sed è fraudibus, & mendacijs tota compacta, Perronius enim quingenta amplius loca è priscis Patribus, & scholasticis doctoribus falsò à Mornæo citata commonstraturum se spopondit. In disceptationis locum electus est Fonbellaqueus, vbi laticibus ipsis pellucidior è Perronij loquentis ore defluxit Ecclesiæ Romanæ veritas. Aderant cum Rege pro Catholicorum partibus Iacobus Augustus Thuanus Parisiensis curiæ præses, & Franciscus, Pithœus; Pro Caluinianis verò Philippus Canaius Fraxineus bipertitæ Castrensis cameræ præses, & Isaacus Casaubonus. Ante certamē Pōponius Belleurius Franciæ Cancellarius cunctis qui aderant, significari iussit non eam Regis mentem esse vt aliqua de fide dogmatis moueretur quæstio, quod attentari iura prohibēt, nisi forte interuenerit Romanę Sedis autoritas, quamobrem conuenisse tantùm vtriusque partis doctores ad discutiendam Ministrorum in adducendis Patrum & Doctorum autoritatibus fidem.

Disceptatio Peronii cū Mornæo.

Fons Bellaqueus disputation's loc'. Disputationis arbitri.

Scoti primò, & Durandi de præsentia & transsubstantiatione panis

Truncantur ab hæreticis Patrum SS. testimonia. in Christi Domini corpus expensi sunt loci, pronuntiatumque ab omnibus Plessium pro decisionibus obiecta sumpsisse, aut allatas ab ijs rationes meditato præterijsse silentio, perinde ac si Doctor aliquis adeunda nunquam templa diceret, vt profani in his aliquid peragerentur, sic retulisset Plessius adeunda nunquam esse templa, idque à Doctore Catholico aut pronuntiatum, aut scriptum; attulit pariter SS. Chrysostomi & Hieronymi de Sanctorum inuocatione mutila pleraque; manca & interpolata, quæ risum, indignationemque Catholicis, Mornæo verò, sectariisque quotquot aduenerant, ruborem incuterent; verùm si minùs erubuit, expalluit saltem hæreticus pugil, armis non satis instructus, morbumque inde contraxit, aut simulauit potiùs, ne si postridie certamen instauraret, spiritualibus aduersarij Catholici telis euerberatus concideret. *Mornæus cedere cogitur* Hæc victoria, vt non vulgari fidei in Gallia confirmandæ munimento fuit, ita & Perronio Ebroicensi tunc Episcopo ad Romanam obtinendam purpuram mirum quantum eualuit, *Perronius victor* cui de prostrato fortiter Mornæo triumphanti bellè feliciterque acclamatum ab omnibus est, eidemque per literas, quasi illucescenti tota Gallia doctrinæ Soli gratulatus est Clemens Pontifex; Canaius verò vni ipsi suum ad Ecclesiam regressum debere se dixit, cuictum quippe adductis ab eo pro Romana confirmanda religione rationum variarum momentis, sic fœdâ Mornæi deiectione, ad sublimiora apud Catholicos & speranda, & cum Cælitibus æternùm perfruenda mentem erexit. *Canaii conuersio*

Agnitam quoque veritatem arripuisset Isaacus Casaubonus, si mente perbona, certaque constitisset, non varias in partes volubili, ni contra Apostoli mandatum hominibus placere studuisset plus nimio, non placiturus sic Deo. Paternam hanc lenitatem iure auersatus est Casaubonus filius, nam Catholicos inter ascribi se voluit, quin & seuerioris disciplinæ studio incensus, austeriorem apud Capucinos Diui Francisci amplexus est normam. *Casauboni filius fit Catholicus & Capucinus.* Profuit hæc etiam mirificè Regi victoria, perspectis enim acutiùs hæreticorum versutijs, Catholicorum partibus tenaciùs hæsit, nec cessauit deinceps errantes quoscunque ad veritatis amorem adhortari, viasque indagare omnes, quibus absque bellorum instauratione, in vnam tantùm eamque Romanam religionem coniunctæ suorum mentes coalescerent. *Rex in fide roboratur.* Post Plessæum à Perronio debellatum memorant scriptores nonnulli regem suo more, vrbanis enim affluebat leporibus, ad Espernonium scripsisse, ab Ebroicensi diœcesi Salmuriensem deuictam prostratamque concidisse, quæ literæ in

in Ecclesiasticis suggestibus recitatæ sunt applaudente circùm populo, ac debitas Perronio laudes aggerente. Triumphauit itaque veritas solis instar è cęcis mendaciorum nubibus euoluta, Regi suo gratulata est Gallia, secundo veluti altissima in pace Theodosio, eidem attributa Iulij Cæsaris laus, quòd quo tempore bella flagrabant ciuilia, Imperatorem tantum infinitis clarum victoriis exæquasset.

Edictum regium contra Monomachos.

Quo autem fundatior & diuturnior pax foret, Rex seuerum aduersus Monomachos edictum condidit, quorum in tantum exercuerat vna cum numero furor, vt gladiatorum huiusmodi paria toto passim regno committerentur, bellatoribus optimis per crudele hoc ludicrum exhauriretur Gallia parens illorum ac nutrix, nobilissimæ mutuis his stragibus interirent familiæ. Augebatur hoc pacto regni felicitas, quæ vt casus humanos omnes eluderet, propaganda per regios liberos erat, qui Regis mortalitate defuncti nomen autoritatemque capesserent, successione siquidem sobolis gentilitium nomen in æuum extenditur, propagantur generis stemmata, & continuata nepotum serie species quædam seritur immortalitatis. Repudiatâ igitur Margaritâ Valesiâ Rex cum Maria Medicæa Florentiæ Ducis filia Romano annuente Pontifice coniugium inijt, quod auspicatò contractum Numinique acceptissimum extitisse manifestè demonstrauit mirabilis ex eo proles suscepta. Non hic refero quæ regio planè luxu tum Florentiæ, tum in plerisque Galliæ ciuitatibus ab Regina lustratis peracta certatim fuerint, satiùs adnotasse fuerit communem populi spem publicum in gaudium orto Delphino vertendam, qui quæ tam feliciter circa religionem inchoauerat parens, feliciùs consummaret, & spem hanc haud inanem futuram alebant tum intermissa nunquam Regis ad Cælites vota, tum singularis Reginæ pietas, à quibus non vitam tantùm, pariaque vultus lineamenta, sed & Regios pariter erat incorruptosque mores sumpturus, Nec diu iusta Galliæ totius vota Medicæa distulit, post nonum enim mensem, puerperij tentata doloribus Delphinum Galliæ apud Fonbellaqueum quinto Cal. Octobris felicissimo enixa est partu, quem præpotens Deus humanis simul & cælestibus donis ad miraculum instruxit. Regius hic infans ad hæresis & rebellionis exitium natus post hausta Patris oscula, ensem & sceptrum ab eo oblatum contrectauit, sic nempe, non fixo pertinaciùs in Solem obtutu paternam indolem, Borboniorumque virtutem explorare decebat. Ferunt, dum in hæc Regum insignia oculorum aciem defigeret, infantiles tantisper interrupisse lacrymas, qui tot populis tamque felices pariturus erat delicias.

Rex Mariam Mediceam coniugem accipit

Nascitur Delphinus

Publicum Europæ gaudium. In omne publicæ lætitiæ genus effudit se se tota Parisiensis ciuitas, geminatumque est omnibus gaudium, cùm post trigesimum ab ortu diem, nutricis vberibus inhiare Delphinus est visus; ingentes Deo tanti muneris largitori redditæ grates, additæ publico gaudio festæ tormentorum displosiones, sparsiones missilium crebræ, lucentesque per vrbis compita faces. Accurrerunt externorum Principum missu gratulaturi proceres, infantiles fascias solenni precatione impertitas donum puero dedit Romanus Antistes. Paucis antè diebus eodemque Septembri mense Margarita Hispaniæ Regina Mantuæ Carpetanorum filiam ediderat, cui Annæ Mauritiæ nomen est datum, verbis explicari non potest quantam nobilissimum hoc par infantium Orbi toti Christiano *Anna Mauritia eodem mense nata.* iucunditatem pepererit, maiorem longè connubialis olim ineundi fœderis occasione allaturum. Inter recentia hæc felicitatis omina haud vano terrore percellebantur sectarij, quare nouis semper collabentem edictis, ac mox, ni maturè subuenirent, interituram funditus sectam effulcire coniunctis viribus adnitebantur.

Quod vt commodiùs exequerentur, Vapinci in Delphinatu anno 1603. celebratum est Caluinianorum conuenticulum, in quo de nouæ sectæ disciplina doctrinaque fusiùs disputatum à multis, editaque decreta omni irrisione ludenda quæ nihil è Theologiæ fontibus, ne pri- *Hæreticorum cœtus.* moribus quidem labris à prædicantibus delibatum fuisse ostenderent, statutum in primis inualidum esse, si à ministerij candidatis conferretur, puerorum baptismum, ideoque à Ministris denuò conferendum; *Decreta ridicula* insertum deinde nouum Caluiniano symbolo caput, quo Romanum Pontificem Antichristum esse sanxerunt, quas ineptias nemo sanus intelliget, quin earum autoribus saniorem mentem apprecetur, quòd absonam adeò fidei suæ tesseram cudant. Nec Vapinci modò sed Rupellæ pariter anno 1607. ineptis his applausum erroribus, adeò nulla est tam futilis tamque commentitia opinio, quæ sui laudatores non habeat. Præerat huic Vapicensi conciliabulo Daniel Chamierius *Chamierius Præses eligitur.* Montis Ademari Minister, acerrimus Metaphoristarum propugnator, qui Dei filium non propriè verbum esse, aut Dei Patris imaginem, sed metaphoricè tantùm affirmabat: de hoc plura sub Ludouico XIII. memorabimus; fateor non indoctum omnino fuisse hominem, sed loquax magis, quàm eloquens fuit, (vt multorum *Cum Alexandro Regordo pugnat* testimonio constat) insaniebat tamen his literis, quas Christiana non condiebat pietas, hausta iam diu hæresis corrumpebat. Cum Alexandro Regordo Societatis Iesv theologo de controuersis fidei rebus au-

ſuis congredi, Alexandrum in eo, vt in loco dicemus, hoc eſt fortem & alacrem virum, denique quod gloriosus non expectabat miles, victorem inuenit.

In certamen quoque aduerſus hæreticos ſpiritualibus pietatis, & eruditionis armis inſtructi varijs in Orbis partibus proſiliebant ſocietatis eiuſdem Sacerdotes, redibantque opimis ſemper onuſti ſpolijs. Horum operâ ſtratis errorum portentis triumphabat magnificè veritas, plerique Caluinianorum errorum ſatores rationum à Patribus allatarum momentis debilitati ſummo ponebant in lucro ſemel & decorè in concertatione perijſſe, ne turpiter, æternùmque perirent. Manabat per Galliam totam auſpicatiſſimus fortiſſimorum pugilum rumor, quos & temporum iniquitas, & inimicorum calumniæ è patrio, hoc eſt Gallico ſolo inhumanè nimis proſcripſerant, quorum tamen armis & conatibus ad pares inſtaurandas pugnas indigeret magnopere Gallia, ne contra ſacra religionis myſteria violentiùs oblatrarent prædicantes ſectæ delecti. Societatis eiuſdem in Galliam reditum iteratis ad Regem literis Romanus expoſcebat Antiſtes; hoc etiam prouehendæ religionis auxilio ægrè admodum carebat Rex ipſe; quamobrem varijs maturandi huius operis ruptis obicibus, ſtatuit omnino conuocandos in regnum tam vtiles operarios, & ad hanc rem adeo Chriſtiano gregi profuturam ipſum inducere adnitebatur Laurentius Magius inter præſides ſocietatis IESV primarios iure cenſendus, Regique ob ſingularem animi moderationem, pietatemque vnicè charus; fauebat item ſocietati Villaregius, alijque complures, qui probra contra ſocietatem iacta, conficta que in eam crimina manifeſtè diluerunt, non eſſe ſocietatis homines, quod ab imperitis & maleuolis iactari ſolebat, exitiales regnorum peſtes, infenſos infeſtoſque Regum nomini, occultos reip. hoſtes, & quia tectos, periculoſiùs nocituros; imò nullum in Eccleſiæ corpore fuiſſe, nullumque etiamnum Religioſorum Ordinem exiſtere, qui Principes magiſtratuſque maiori veneratione percoleret, quin & ſuam erga reges ethnicos obſeruantiam teſtatam reliquiſſe non ſemel, quamobrem ab infidelibus etiam Orientis regulis impenſè diligi, horum beneficijs frui, compluꝛes harum nationum Principes ac dynaſtas Romanæ religionis myſteria ab ijſdem Patribus edoctos ad capeſſendam Catholicam fidem exarſiſſe.

Hæc cùm Rex & alia pleraque diligentiùs expenderet, ad tuendam Patrum innocentiam mentem inflexit. Socios itaque extra regni fines relegatos regio planè ſinu cũctos excepit, paternoque eſt deinceps amo-

Societas IESV armis ſemper inſtructa contra hæreticos.

Eius in Galliam reditũ vrget Pontifex,

Et Villaregius

Diluuntur calumniæ

Rex ſocietatem IESV reuocat.

re complexus. At quia optimis quibuscunque consilijs aut inuidia, aut agendarum ignoratio rerum obstrepere solet, intercessit longa oratione Harlæus veteribus contra societatem contumelijs farta, in primis, quæ in Poissiacensi colloquio contra societatis Patres malignè deblaterarat inuidia, refricare non omisit, ambitiosiores esse impendió, cum primùm in Galliæ regnum irrepserunt, oppugnatos ab Ordine sacro, extare super hac re conditum à Sorbonica schola decretum, quo asseritur Societatem hanc non tam vt ædificet, quàm vt labefactet esse conflatam, perniciosa Regibus dogmata ab ea excogitari, professores eius isti contra Regem fœderis administros autoresque præcipuos extitisse, si quem experrectioris ingenij adolescentem nacti fuerint eum confestim ad Societatis suæ castra pellicere, Gallicum denique periclitari statum, his si aditum in Galliam indulserit. Hæc & alia huiusmodi contra Societatem à tribus tum Romanis Pontificibus confirmatam, à multis expetitam nationibus Harlæus retulit, quæ omnia, quia nulla veritate constantia Rex ipse sigillatim refellenda suscepit.

Harlæus aduersus eam declamat.

A Rege refellitur.

Ac primò quidem in Poissiacensi colloquio neutiquam ambitionis coargutos fuisse Iesuitas, sed reconditam horum eruditionem maximos à spectatoribus cunctis plausus retulisse ostendit, nec mirari quemquam debere, eos si ex Ordine sacro calumnijs incessere notentur non pauci, enim verò exquisitæ virorum maximorum doctrinæ nunquam non aduersari rudium, imperitorumque hominum ignorantiam; aduersus Iesuitarum reditum obices opposuisse duo potissimum hominum genera, hæreticos eos esse & Ecclesiasticos parum castigatis moribus viros, magno Iesuitis decori verti tales oppugnatores sortiri, laudari eos à sapientibus, qui displicent malis. Quod verò inter commissos sibi iuuenum greges optimum quemque & ingeniosissimum in familiam suam adscribant, age verò (Rex ait) quid in eo tandem est, quod liuor carpere possit; æquumne putabit aliquis hanc Societatem, quæ liberaliores seuerioresque disciplinas ad gradum subuectura est altioris fastigij, crassis & plumbeis ingenijs dehonestari? Ego certè si comparandus mihi exercitus foret, non è mendiculis vtique inualidisque militibus conflare adniterer, florem potiùs robustæ iuuentutis conscriberem. At Hispaniæ Rex horum vtitur operâ, Ego consimiliter faciam, pijs horum laboribus fruar, totum hoc mihi negotium transigendum sepono, nihil non prudenter, & consideratè agam, nihil Regi regnoque, si eritis mihi obsequuti, officiet.

Hæretici & flagitiosi societatis Iesu impugnatores.

Rex Sermonem comprimit.

Sic coniecta per Harlæum in societatem probra scitè admodum Rex

peritéque confutauit, Seruinumque caufidicum multa contrà dicere parantem feuerè compefcuit. Patuit tum maximè Societatis Innocentia, tam æqui Principis patrocinio tecta, quam tanto deinceps amore complexus eft, vt inter Collegia non pauca, quæ reftituenda, erigendaque curauit, Flexiæ caftrum eidem in Mufarum religiofarum domicilium tradiderit, vt quo mortalem hanc vitam haufèrat loco, infiniti penè adolefcentes eò ftudiorum caufa varijs è ciuitatibus accurrentes fpiritualem inchoare vitam condifcerent. Flexiana tùm regia in Athenæum verfa, aut inftructiffimam eruditionis officinam, quam frequens ornat nobilitas; tum manifeftè patefactum eft Regi, quàm inane illud effet, quod tam obfirmatè, malignéque Societatis IESV profefforibus erat obiectum, veteris difciplinæ nitorem apud eos obfolefcere, obtundi horum in gymnafiis adolefcentum ingenia; vidit enim è focietatis fcholis gnauos & induftrios prodire alumnos, qui haufta cum literis pietate tum Ecclefiafticas, tum forenfes, tum politicas dignitates eximia cum laude gererent, affirmauitque non femel, fi expurgatis animi fenfibus focietatem agnofcerent, qui eam verbis & fcriptis impugnant, priftina continuo pofituros odia, atque in amorem verfuros, Iefuitam effe fe animo, Præpofiti focietati Generalis vices in Gallia obiturum fe femper, aduerfarios huiufmodi Regi, focietatique fore communes, quin & Petro Cotono ex eadem focietate viro admodum pio femetipfum, hoc eft regiam verè animam in fpirituali foro regendam commifit, eumque etiam in concionatorem affumpfit. Non poterat fanè focietati tradere locupletius & auguftius munus, nec certius inflammat in eam ftudii, paternique amoris relinquere pignus.

Caftrum Flexienfe Societati tradit.

Petrum Cotonū in Confeffarium eligit.

Hæc autem omnia fufiùs & explicatiùs denarranti mihi, nemo vt arbitror inurbaniùs obftrepet, quafi rei mihi propofitæ limites prætergreffo, neque enim deeraffe me reor, quippe valdè confentanea proloquutum, in explicando fiquidem Chriftianiffimi Regis in Societatem noftram affectu maximo, commonftrandum effe videbatur, hæc tametfi contumelijs laceretur ab hoftibus fuis, diligi tamen poffe, cum à prudentiffimo, fapientiffimoque Rege adamata fic fuerit. Præterea cùm toto hoc opere, de retufis hæreticorum conatibus acturum me fpoponderim, de fegregum horum infultibus, infidiifque, vix attingi poteft aliquid ab hiftorico, quin validi eorum hoftes menti, calamoque occurrant. Pugnant enim femper Societatis Iefu Patres contra hæreticos, vapulant ab ijs fæpiùs hæretici, configuntur, lacerantur, refipifcunt alij fub denforum verberum crepitu, alijs hæret eadem pertinacia, ad cru-

da quæquæ tolerandi para oblitæ commodetve-tiot ; quám vt oculos ritati, cuius id muneris est distortos mores componere , solutiori vitæ frænum imponere , præstruere corporeis voluptatibus modum , quibus si Sapientiæ diuinæ præceptionibus auscultare vellent hæretici , næ perpurgatis primùm prauæ consuetudinis sordibus intrusos in religionem errores expungerent.

Pyramis in Societatis probrum erecta deiicitur.

Reuocatis in Galliam Societatis Patribus , vnum id ad confirmandam magis omnium innocentiam restare videbatur , vt infamem illam pyramidem probris & contumelijs aduersus probos eorum mores, totiusque decus Ordinis malignè confertam Rex in solum deijciendam curaret , quæ tandem multùm repugnante Senatu , Rege tamen sic fieri mandante diruitur ; de huius autem euertendæ tempore disceptatum à multis, id enim tribui sibi postulabant Societatis hostes, vt non de die, sed ad conuelandum pudorem, inuoluentibus cœlum tenebris deuolueretur in planum. At Petrus Cotonus Regi à confessionibus & concionibus sacris , prauo hæc (inquit) animo petitis , quasi verò tenebrarum Regem habeamus , non lucis ; consultius longè est, vt luce palam id fiat, quod & ita præstitum est , tantùmque valuit Regis authoritas , vt cùm destrueretur hæc moles , nemo vnus mussare sit ausus. Eius pyramidis loco fons positus , cuius putissimi latices vexatæ innocentiæ indices , omenque fuerunt abstergendarum sordium , quibus Calumniatores Societatis famam infecerant. Profuit magnopere Patribus hoc pacto cecidisse vt tam gloriosè resurgerent , temporum inuidiam, ac infinitorum odia pertulisse, vt tanto patrono gauderent, cæcis calumniarum obductos fuisse nubibus , vt splendidiùs emicarent ; Placuit hæc bonis omnibus reuocata Societati serenitas, non hæreticis, qui famosos statim in eam libellos ediderunt,quos vt folia Sibyllæ vana ac inepta eloquutæ repentinus turbo, ita & vis veritatis distulit ; aliæ atque aliæ regni ciuitates , eæque amplissimæ vltrò societatem expetierunt, cui per loca varia admittendæ,quæ molestiores erant leges paulò antè præscriptæ , cautionesque adhibitæ aut sensim exoleuerunt , aut Regum fuerunt indulgentia , authoritateque sublatæ, neque enim arctiùs constringendi videbantur operarij tanti , qui Christi fidem in vastissimas terrarum oras, aut iam propagarant, aut propagaturi mox erant; & hoc ipso tempore multorum constabat literis Indicos Regulos Societatis Patrum opera ablegatis ethnicæ superstitionis ritibus sacro baptismatis fonte renatos,sed quæ veritatis Euangelicæ fax tetra idololatriç caligine mersis cum singulari iucunditate fructuque haud dispari

oboriebatur, repudiabatur eadem ab Hæreticis Gallis.

Horum fautor præcipuus Theodorus Beza, quem non hæreſum tantùm ſed & calamitatum autorem, quæ Galliam totam diuexarunt, ſupra oſtendi, depontanus iam ſenex, ſextum ſupra octogeſimum annum prætereuctus hoc ferè tempore Geneuæ animam exhalauit, cùm ante biennium debilitata mente rerum ferè omnium memoriam amiſiſſet, vtinam præteritorum criminum memor, ea Catholica verè pœnitudine abſterſiſſet. Infelix hic fuit parum ſani vatis exitus, quippe in pingendis pangendiſque cupidinibus probroſè verſati, ideoque Boreales ad Scythas cum Naſone trudendi, niſi veritus ille, ne in Gallia ſuperſtes Auguſtus aliquis exiſteret, Geneuam tanquam voluntarium in exilium profugiſſet. Hic Regi in vtriuſque religionis Catholicæ & Caluinianæ biuio nutanti, dubioque ecquam tandem in partem flecteret, id affirmatè dixerat, vtramque profitentibus certam ex æquo expeditamque eſſe ſalutem, ſed cùm à Catholicis Rex accepiſſet Doctoribus, Romanam vnam eſſe fidem, quæ cęteris excluſis religionibus tutum ad Cælitum ſocietatē iter permuniret, eia (inquit) ille Romanæ religionis ſequaces & profeſſores ſimus, quam Caluiniani etiam infenſiſſimi illius hoſtes exitialem eſſe non putant, hanc verò proſcribamus, quæ vnis tantùm hæreticis placet, intuta verò creditur à Catholicis, ſic omnia ſuis quæque momentis ante mentis aſſenſum expendebat Henricus Rex, nunquam poſthac erraturus, qui tam prudenter eligeret.

Beza moritur.

Quid de vtraq; religione ſenſerit.

Magnum hunc Principem infinitis penè dotibus exornatum, cui tanti conſtitit vt fieret tantus, citiùs quàm omnium vota tuliſſent, mors rapuit, immani parricidio fœdata eſt Gallia, In ipſa regia vrbe, in ſplendidiſſima imperij Gallici luce, inter partos laurearum, palmarumque cumulos, inter inauguratæ Mediceæ Reginę ſolennia, inter Europæ totius gratulationes, & metus, exortum eſt in Gallia portentum hominis, non homo, qui cuncta hæc gaudia, præteritas Regis victorias, inſigniorumque ſpem minimè dubiam momento funeſtaret. Hic terris ereptus eſt Princeps, cuius vigiliæ communem Galliæ quietem aſſeruerunt, cuius humanitas etiam in hoſtibus de hoſtibus ipſis triumphauit, cuius fortitudo Alexandros, Auguſtos felicitas, iuſtitia Trajanos, Carolos magnos potentia; magnificentia Lucullos ſuperauit; & tamen hic tantus à tantulo crudelem in modum occiſus, & cum tanto Galliæ Rege, ac Parente optimo, Clementiſſimo Gallia pene concidit vniuerſa.

Luctuoſus Regis obitus.

Eius laudes.

Quot tibi Rex Magne, quin & propter deuictos & triumphatos tot

Public° Galliæ luctus.

hostes Maxime appellande, quot inquam tibi lacrymis, quot gemitibus parentatum? Luxerunt inter Parnassi sui vireta, qui tui memoriam æternarunt eruditissimi vates, Oratores in rostris, in curijs magistratus, in suggestibus sacris præcones Ecclesiastici; vberiùs illacrymarunt Societatis IESV sodales, adhucque lacrymant, optimo, humanissimoque Parente suo, ac patrono potentissimo citiùs quàm sua, quàm Gallorum omnium interesset, orbati; effluxere iam inde à magni Regis interitu tot annorum cumuli; non totus tamen dilapsus est mœror, quia rediuiuus non remeauit Henricus, pacis & quietis autor studiosissimus, Catholicæ religionis fautor, propagatorque potentissimus, Societatis IESV in Gallia propugnator amantissimus, cui præter alia locupletissima dona Cor suum ingentis & regiæ verè animæ sedem in æternum amoris pignus asseruandum commisit. Agnouit regium hoc munus, idemque magno semper cultu venerabitur Societas vniuersa, quidquid enim fusis ad Deum precibus, continuatis laboribus obsequiisque exequi poterit, totum id piis Henrici Magni Manibus, eiusque posteris Regibus etiam cum vitæ suæ dispendio non repugnanter impender.



HISTORIA



HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB LVDOVICO XIII. REGE



LIBER SECVNDVS.

Ab Anno Christi 1610. *ad Annum* 1621.



IVSTISSIMI, fortissimi, ac pij maximè Regis primordia lætosque processus dicere aggredior, eluxere siquidem hæ in Ludouico XIII. ad omnium ferè gentium stuporem animi dotes, ac penè cum illo natæ, adultæ, coronatæ. De iustitia, & fortitudine nemo ambiget, si quæ varijs in expeditionibus egit multis iam comprehensa voluminibus, vel leuiter delibarit, nec de eius pietate quis dubitabit, cùm eam vná cum lacte nutricis adbiberit puer. Magnum atque arduum

Ludouici Iusti primordia.

iter ingredienti mihi fauet rerum pertractandarum dignitas, nec enim Caligulas, nec Nerones, nec Iulianos, nec alia Cæsarum portenta, quæ in supplicium generis humani vltor Deus mundo præfecerat, in medium profero, quorum in enarrandis flagitijs ægrè admodum se proborum historicorum stylus impertit, fatigandus tantùm in magnis, ac præsertim in Ludouico inter Principes Optimos, Maximosque iure censendo. Vixdum maternis è visceribus eductus, infantiles manus, oculosque in Cælum extulit, quasi debitâ supremum omnium Regem veneratione prosequuturus; *mirum id, gratumque spectantibus fuit; & certè vt ex Synesio constat, iucundius nihil eo videri potest Principe, qui manus attollens, communem sui ipsius, populique principem adorat.*

Prodigium in eius ortu.

Sunt qui terræ motum natalibus eius præuium accidisse referant, quasi repentino motu percelleretur Europa, quippe potentissimis eius armis olim succutienda. Mitiùs id interpretarer ego, nouo subsilijsse terram gaudio, pueroque in publicæ felicitatis omen cælitus misso comiter arrisisse, hausta non inani spe futurum aliquando, vt hic Gallicum adeptus imperium, Romanam religionem debellatis errorum monstris propagaret in dies. Tenerioris ætatis lubricum magna cum animi moderatione, regiarumque splendore virtutum prætergessus est, quod in iuuene, Regisque filio rarum, & ad hunc innocentis vitæ candorem plurimùm contulit Religiosus admodum vir eius conscientiæ moderator & arbiter, qui ingestis identidem Christianæ sapientiæ monitis, puerum à peccatorum sordibus absterreret, prælucceretque ipse quotidianis sanctitatis exemplis; fauebat etiam mirum quantum indoles ad optima quæque complectenda non tam instituta, quám nata; Sed præsertim ad honestatem omnem propellebant Mariæ Mediceæ Matris mores ad regiam maiestatem, modestiamque Christianam compositi. Dum sic puer in omne regiarum Virtutum decus adolesceret, Gallia lethale in Henrico Rege suo vulnus accepit, nunquam conualitura deinceps, nisi præsto fuisset Ludouicus, cui tum iuueni deerant quidem maturiores Patris anni, non virtus; idem autem, aut maior in eo emicabat animus, prudentia non impar, constantior vbique felicitas; neque enim congruum erat vt ingens hæc regni Gallici moles transmitteretur filio absque ingenio Patris, & nisi tanto huic sustinendo ponderi regiam filij ceruicem aptasset Henricus. Inter maternas complorationes, propriosque gemitus puer vixdum euoluto nouennio regnum inijt inter discordes etiam populi nunc lamentantis exclamationes, nunc acclamationes gaudentis; confusa enim tum audiebatur vox nunc æternam Henrico apud

Innocẽs ætas.

Regnum accipit.

pios Manes requietem, nunc Ludouico diuturnam in terris comprecantium moram.

Mōnstrum hominis in regiam vitam tanta feritate grassatum quantas, quámque iustas pependerit pœnas, enarrare haud patitur calamus, ne paginam truculentus hic Sicarius inquinet, eradendus ex hominum albo, quòd eum nobis eripuerit, in quo regiæ virtutes omnes enituerant, cuius inter infinita in Galliam collata merita primarium hoc fuit, quod talem tantumque filium regij culminis, paternarumque virtutum hæredem reliquerit. Gallia tam inopino casu concussa, verendum erat ne in varias, ac periculosas Regi, Regnoque scinderetur factiones, deflagraretque rursus ciuilibus bellis; verùm moderante omnia præpotenti Deo, Regináque in imperij gallici gubernationem electâ, detumuerunt illico Gallicam nauim fœdè concussuri, disjecturique turbines, suoque se pondere regni moles effulsit. Regi quippe puero, & mirabili morum innocentiâ commendando vt debita frueretur quiete, cælitus datum, nec abnuere regni proceres, adeo violenta Regis nece consternati, vt eius casum communem fore pluribus interpretarentur, quodque Galliæ capiti contigerat, illapsurum in membra; hinc timor plerisque obortus hinc desperatio Galliæ pristinum in decus restituendæ. Incessit deinde omnes cum æternæ pacis amore calamitosi regni miseratio, quæ pax ne à sectarijs abrumperetur, ab ijs enim metus erat præcipuus, Ludouicus Rex pacificationis edictum instaurauit, libera sectæ ministeria indulsit, omnes ab armis discedere, quietem oblatam colere, quæque castella per vim occupata & communita à perduellibus fuerant, ea in integrum restitui jussit.

Maria Medicæa regni moderatrix.

Pacificationis edictum.

At non diu pax stetit, à Caluiniano quippe nobili turbatū, parum teneriores Regis annos reuerito, is fuit Florimundus Podius, apud Eituriges Vatani Dominus qui lecta militum manu insincerі salis propolas contra paratam vim defendere, regijsque mandaris arroganter obsistere ausus, post repentinam circumuallationem ab Regijs captus, Lutetiamque Parisiorum deductus, Senatus decreto capite luit, eius quoque præsidiarij suspendio necati. Sic factiosis plerisque occursum paria aut iniquiora meditantibus, decuitque Regem in ipsis regni primordijs documentum aliquod edere, ne frustra iustus appellaretur. Haud magnopere nocuit intentata hæc in pacem, & Regem ab hæretico machina, atrocius enim aliquid è Caluiniana promebant officina nonnulli errorum prauitate corrupti, dum tenerum adhuc Condæi Principis animum propositis augustioris, licentiorisque vitæ illecebris ad partes suas pellicere conarentur. Hortabantur autem vt indueret mentem dignam progenito-

Violatur.

Impia consilia Condæo data.

ribus suis, qui pro reformata tuenda religione facultates suas, vitamque ipsam generosè profuderant, perspicaci eos ingenio solertique præditos occultas Romanæ religionis fraudes introspexisse, reformatæ verò fidei constanter adhæsisse, non adhæsuros vtique, nisi in ea consonantius aliquid veritati, quàm in Romana religione existeret delira iam & anilibus superstitionibus implicata; tum adiectis regiæ dignitatis adeundæ blandimentis, quæ sapientiores quosque è recta mentis statione deturbant, infantem propemodum regem esse dicebant, inopemque consilij, abiectam mœrore Galliam, expectari ab illa maturioris ætatis Principem, cui se gubernandam tutò committeret; hunc autem Condæum esse primarium regiæ stirpis Principem, qui si virum se esse vellet, ad culmen illud honoris haud difficulter ascenderet, præsto esse ad id maturandum reformatæ religionis vires omnes, quæ religio regiæ Condæorum familiæ desponsata iam sit, quam si ipse induerit, reformatos omnes confestim in ipsius verba iuraturos.

Ad hunc ferè modum tortuoso, qui fraudulentorum mos est, gressu perreptabant aliqui, in iuuenis animum facilè illapsuri, nisi lubricum illud esse quod proponebatur, Princeps intellexisset; & hunc satis admonebant noti non semel sectariorum doli, ne inanibus, se se huiusmodi pollicitationibus illaqueari sineret; tum ne quid simile contra regem, regnumque moliretur, fides Deo, Regique data prohibebat. Exardescebat sanè iuuenis contra prolectantes, & ludificantes tam manifestè sectarios, & continuò in vindictam proruisset, nisi calidiorem iuuenilis ætatis impetum repressisset moderatus, sibique imperans animus. Homines igitur tam proteruè sibi illudentes his ferè verbis repulit. *Ecquas mihi fabulas in aures immittitis? an ignoratis parum sana mente constare Principes, qui contra Regem suum armis experiri ambiunt, nonne de culmine dignitatis exturbandi sunt Phaëthontes huiusmodi, qui maiora viribus petunt? Mihi si quid iuris in regnum hoc Gallicum foret, occupare illud nollem cum vel exiguo subditorum odio, occupatumque tueri: quamobrem facessite hinc, & consimilium ingerendarum mihi ineptiarum desinite; ea fide imbutus iam sum, quæ subditorum ceruices inflectat in Regum suorum obsequium.* Fatale Galliæ consilium ab Caluinianis datum hac ætatis teneritudine, firma tamen mentis constantia dispulit; vtinam molles assentantium cantilenas pariter eluderent, aut elusissent maiores natu proceres, qui cùm ad sublimiora cōniterentur, fortis, quam cupidiùs ambierant expectatione delusi, miserabile sui, rerumque suarum fecere naufragium. Sanè quidem si Caluinianos in errores prolapsus fuisset Condæus, maxima Galliæ toti parabatur clades, stragesque ho-

Ab illo reiiciuntur.

minum penè infinita, præsertim cum per id temporis acerbissima in Regem, Regisque administros flagrarent Sectariorum odia, & tenerâ, hoc est languidâ regnaret manu Ludouicus Rex puer adhuc, ideoque parum perduellibus formidandus, quos pœnarum potius terror, quám officij ratio à consilijs incœptu exituque fœdis absterret.

Imbecilla Regis ætas corroboranda videbatur oleo cælitus misso quod in Francorum Regum inauguratione adhiberi mos est, in qua solenni se iureiurando Reges obstringunt, non commissuros se vnquam, vt in Christianissimo regno hæreticæ prauitatis lolium spargatur, ne puram Romanæ religionis sementem corrumpat. Igitur dictâ inaugurationis solennijs die, sacra ampulla, quam è Cœlo delapsam publica testatur fides, ex adyto Sancti Remigij promitur, tum Laudunensi Præsuli datur negotium, vt Regem nouum accersat, in principem Remorum Ecclesiam deducendum, hic ad Regis fores semel, iterumque pulsat, dum præsto adest Eiguillonius Dux, sacri cubiculi præfectus, rogatque ecquis ad hostium præstoletur, quidue petat? illo respondente peti Ludouicum XIII. Henrici Magni Filium, quiescit, (inquit Eiguillonius) cum reclusis foribus Regem excutere somnum, ac vigilare admonet, vt regni rebus intendat. Nec mora, sacram in ædem præeunte Magnatum turba deducitur, sequuntur tibicines, feciales, Torquati Equites, alijque tum Principes, tum Proceres; at ne in percensendis inaugurationis sacræ ritibus longior sim, Cardinalis Ioyosæus ex ampulla sacri olei stillam aurea deprompsit acu, additòque chrismate Regem in genua prouolutum post iteratas preces in capite & pectore vnxit, ac remotis interulis medio inter humeros loco, humero præterea dextro, & sinistro, & vtriusque brachij ad cubitum flexu, cum Rex prius manibus ad Sacrorum Euangeliorum codicem admotis in hæc verba iurasset. *In nomine IESV Christi Seruatoris mei subditis meis sanctè polliceor daturum me operam vt ipsi pacificè, & tutò in diuino cultu viuant, omnes Ordines rapinis, & scelere abstineant: iudicia æquitate & iustitia nitantur, Hæretici regno excedant, quæ promissa iure iurando firmo; sic me Deus, atque hic sacer Euangeliorum codex adiuuet*; dein ensem solenni prece consecratum, sibique traditum osculatus est, altarique imposuit.

Regis inauguratio.

Eius ceremonia.

Finita inauguratione Rex Patri Petro Cotono animi noxas detexit, riteque expiatus Sacro Missæ sacrificio interfuit, ac sub vtraque specie augusto Christi IESV corpore, fusoque pro nobis sanguine pastus, Ioyosæus Regis capiti coronam imposuit, iustitiæque ac regni fascibus promicanti religiosum libauit osculum, prosperam ei temporis longin-

Regis Communio sub vtraq; specie.

Acclamationes quitatem apprecatus, Patritij suo quisque ordine ad Regem salutaturi adierunt, plebs è pronao faustis hunc acclamationibus prosequuta, vota pro eo duplicauit, regni felicitatem præsagijt, cuncta lætis Symphoniacorum concentibus, tubarumque clangore perestrepuere, sparsa sunt *Missilia.* missilia, cusi aurei, argenteique nummi, quibus insculpta erat Regis effigies, in solio cum Majestate sedentis, ex aduerso numismatum hianti *Numismata.* è nube manus erumpebat, ampullam sacram cælesti rore defluentem prætendens cum hac epigraphe *Gallis data munera Cæli.* Solemnis hæc *Vis regia inaugurationis contra strumosos.* inunctio mirabilem hanc Regibus nostris afferre vim assolet, vt strumis laborantes sacra prece soloque contactu persanare possint, concepta hæc sunt Regis verba. *Tangit te Rex, sanat te Deus*, sequiturque regiæ manus contactum expetita valetudo haud absque ingenti prodigio, Regumque nostrorum gloria, ad quem agminatim adeunt inflato tuberosoque collo ex infensa etiam Galliæ natione non pauci, de regis eius manu salutem expectantes, quem armatum, iustumque vindicem sentiunt, quia iniustè læserunt, ijs tamen curatrices manus hoc lubentiùs Rex impertiri solet, quo difficilius, ac proinde regium magis munus esse putatur, quod extraneis impenditur, quàm quod domesticis, quod hostibus denique, quàm quod amicis & familiaribus datur,

Quid hac de re sentiant aliqui? Varij varia de mirabili hac Regum nostrorum prærogatiua posteritati tradiderunt. Haud sum nescius extitisse nonnullos, qui repentinas huiusmodi curationes Gallici soli occasione fieri dixerint sanandis huiusmodi strophulis, apti; Verùm apertè refelluntur ex eo quòd Carolus VIII. Romæ, Franciscus I. in Hispania compluribus fœdum hunc morbum depulerint; cælestem hanc vim è sacra Regum vnctione deriuari putant alij, alij verò è Romana religione, cuius cultores eximij, acerrimique propugnatores extiterunt, Clodouæo primùm; ex quo Catholicis sacris inhæsit, indita hæc fuit curationis prærogatiua, & in Laniceto, quem continuum habuit, puncto temporis ab hac fœditate exempto manifestè probata, quam eandem sanandarum strumarum vim ad liberos suos, posterosque Gallorum Reges interrupta nunquam serie transtulit. Henricus IIII. vt è Laurentio eius archiatro constat, *Multi ab Henrico IV. curati.* supra mille quingentos pristinæ valetudini restituit. Stupendum in primis est quod à Patre Cotono incorruptæ fidei viro publicis consignatum est literis Hispanum nobilem aliquem strumosumque ad Henricum IIII. Regem salutatum venisse, qui cùm morbi genus pudore præpeditus dissimularet, solo regis amplexu omnino conualuit, quod ille beneficium præ se tulit semper, hoc proniorem in Gallorum Reges Deum affirmans, quo maioribus eos tum aduersus infestos sibi hostes, tum

contra malignos, contumacesque corporum affectus virtutibus auxit.

Nec cum Regibus nostris interit mirabilis hæc infusa diuinitus vis. Apud Gothalanos cœnobium est, in quo Diui Ludouici brachium religiosè asseruatur, cuius contactu detumescunt illico tuberosorum strumæ, pristinus vultui redit cum firma valetudine color. Atque hic cum sanctissimo & eloquentissimo Græcorum Antistitum oratore exclamare quid vetat? *Nihil aliud sunt Diuorum capsulæ, quàm securi periclitantibus portus, quàm inuiolati opum, qui nunquam exhauriuntur, thesauri.* Hæc de indita Regibus nostris patrandorum mirabilium virtute referre placuit in ingens illustreque argumentum sinceræ illorum erga Deum fidei, quibus adeo prodigiosa hæc liceant, quæ non modò in Gallia, sed etiam extra Galliæ, Europæque fines tanto bonorum omnium assensu denarrantur. Ad hæc tamen obsurdescit Caluinianorũ secta, nec persuaderi flectique se sinit, quotidianis his portentis, quæ cœlestium monitorum habenda loco essent, violentiùs obsistens; Nec Deo tantùm, sed & Regibus, qui personati sunt Dij, contumeliosiùs obstrepit; nam post luctuosam Henrici necem, quasi regijs è cineribus atrociores flammas hausisset, insultare cœpit audaciùs, rata succisum cum eo Galliæ brachium, quo repetita coerceretur rebellio, ludibrio habita est apud infidos regis infantia immaturam eius reputantes ætatem, non animum, nec virtutem annorum haud multùm indigam, auditique sunt sæpius, cùm in vecordes huiusmodi contumelias sannasque impuri cachinnones erumperent, puerum in Francorum Regem esse delectum, ideoque puerilibus plagis obnoxium, si puerorũ more insaniat, cæterùm quo victum quæritando in virum adolescat, illiberali alligandum esse artificio, Alia atque alia in Regis contemptum probra ingerebant, perinde quasi translati minimè fuissent in Regiam regiæ pueritiæ moderatricem imperij Gallicj fasces, aut imbecilliores regum annos sana sapientissimorum virorum, quos in aulis continuos habent, non regerent adiuuarentque consilia: audaciâ ergo à tenera Regis ætate desumptâ comitiorum indicendorum copiam postulant, ne, si contra Regem, sancitasque regni leges delinquerent, singulare crimen esset, sed commune sectæ professoribus cunctis, sicque difficiliùs pœna statueretur, quę spargenda esset in plures, adeo rara est etiam perduellium audacia, quam non aliquis debitarum pœnarum extimulet metus.

Item à D. Ludouici reliquiis.

Tenera Regis ætas spernitur à Sectarijs.

Et quia confluxura erat sectariorum múltitudo ingens, Castrum Heraldi, qui locus angustior esse videbatur, cum Salmutio facta sibi ab Rege potestate commutant. Conuenere sectarij ad trecentos, quos inter

Eorum comitia.

principes eminebant Buillionius, Sullius, & Rohanius, Tantus hic concursus Reginæ formidinis nõnihil attulit, quonam tãdem eorũ vertenda forent consilia sollicitæ, quamobrem ne quid inde turbarum oriretur, diligentissimè cauit, Condæo Principe in Aquitaniam misso, Espernonio verò in Santonibus cum exercitu considere iusso. Et quidem aduersus hæreticos peritos ludificandi artifices perpetuis opus erat excubijs, illi enim qui vno religionis ordinandæ prætextu Salmurium venturos se Regi spoponderant, his omnino prætermissis, quæ de fidei suæ capitibus disceptare solent, ad politica tantùm pertractanda, spargendaque discordiarum semina studium omne suum contulerunt, & quia torrentis more fluere, regiaque nunquam non accumulari sibi munera volunt, edictum Nannetense quasi regiorum beneficiorum inops, ampliari allatis ad id extorquendum codicillis exposcunt, perinde quasi quæ illis indulgetur gratia, ad proximè sequuturam iter sternere debeat.

Ad ea mittitur Princeps.

Edictũ Nannetense ampliari petunt, &c.

Postulabant autem vt sectæ ministeria in delectis à Synodo locis, Catholicorum refragante nemine pacatè obiri permitterentur, vt mystis suis, siue prædicantibus lautiùs & commodiùs habendis, auctius, pinguiusque ascriberetur stipendium, vt è reformatæ religionis titulo instrusum à Catholicis *prætensa* nomen expungeretur, quem titulum iniuriosum nouæ sectæ infamemque esse querebantur, cùm informe nihil ei adhæresceret; absterſis enim superstitionum papistarum maculis, hæc vt aiebant in nouam omnino, & à vetere longè aborrentem immigrarat, vbi sanctiores colerentur mores, quia castigatior in ea elucebat fides, vt locis ex ijs omnibus exire iuberentur Societatis IESV Patres, quæ Caluiniani iuris forent, ne scilicet à fortibus illis & generosis volonibus noua segregum detegerentur, expugnarenturque dogmata, horum enim qui falsitatem aperit, abundè sanè confutat. Petitum insuper vt è sanctiore Regis ærario certum quid distraheretur, quod in arcium suarum instaurationem Secta impenderet; hæc autem quanquam imprudenter ambitioséque postulata non animo supplici, qui quotidianus flagitantium est ritus, sed armatis precibus bellantium more, Regis Reginæque auribus ingerebant, non mitiores futuri, ea si concederentur, sed asperiores longè, aliaque ex aliis longè iniquiora postulaturi.

Præcipuum id rogatum pertinaciùs est, vt Sullii Dux fisci procuratione deiectus, quæsturæ, nec non Bastillanæ arcis regimini redderetur, addebantur & longè plura, quæ in manifestam rebellionem desitura videbantur, nisi hæc omnia clam ad Reginam, Bertesserius, Ferrerius sectæ minister, Carlincassius primarius Monspelij Consul magna cum fide-

fide pertulissent. Quàm iucundum autem Regi fuerit per hæreticos ipsos occulta hæreticorum prodi consilia, inde maximè constitit, quòd regiam primùm gratiam, amicitiamque promeritis, amplam etiam omnibus Rex mercedem adiecit, Càrlincassio quidem & Ferrerio grandem pecuniarum vim, Berteslerio verò Aquarum mortuarum præfecturam non tam dedit, quàm ablatam restituit. Carlincassius, ne regiæ huius largitatis interiret memoria, è toto illo, quod acceperat ære amplam satis domûm in Latarensi apud Monspelienses suburbio condidit, qua *Salmurii* nomen grandi lapide insculptum legitur, nempe Salmuriani cœtus memoriam, prauaque conuocatorum consilia refricat hæc inscriptio, ac propemodum loquitur, vt & Carlincassii fidem erga Regem, & Regis in fidos sibi subditos munificentiam.

Gratus ergo Regem Carlincassii animus.

Exarsit continuò in Ferrerium secta, eique ministerij munus Priuarij abrogauit, qua in vrbe rebellium quoque conuentus est habitus, sparsique per vrbem á factiosis libelli hoc programmate *salus populi supremæ lex esto*, perinde ac si Regis, Reginæque placita ad publicam non referrentur salutem. Populares isti tribuni, aut publicolæ, quantum populo tribuere videbantur, tantum Regis detrahebant autoritati, democratiam inducturi haud dubiè, nisi praua eorum cœpta commodùm Regina interuertisset, cui seditiosum hoc dogma permolestum extitisse, planum fecit vlciscentis Regis indignatio, dum præsidialem Nemausensium curiam Bellicadrũ transferri præcepit, eiusque in corpus fremẽtibus quantumuis hæreticis, Ferrerium adlegi, qui cùm adempta sibi à maleuolis bona, supremæ curiæ decreto recuperasset, Lutetiam Parisiorum iter intendit, vbi exutis Caluinianis erroribus, suaui Catholicæ veritatis iugo mentem inflexit, profuitque è pristino ministerij gradu excidisse, vt in amplam curiæ dignitatem assurgeret, & quod longè potius est, vt Ecclesiæ Romanæ sinu exceptus, eius pariter adoptaretur in filium.

Conueniunt Priuatii Sparsi à factiosis libelli.

Nemausensis curia translata Bellicadrum.

Ferrerius fit Catholicus.

Priuatio Gratianopolim ad eadem continuanda comitia concessere sectarij, qua in vrbium mutatione mansit semper idem sectæ genius, eademque in continuanda rebellione peruicacia; alij atque alij ad cœtum delecti, ijdem semper conspecti sunt mores, viginti septem postulandorum capita in codicillos digesta Regi afferenda curarunt. id autem præsertim impetrare connitebantur, vt nullus Tridentino Concilio daretur locus in Gallia, sed ex omnibus regni finibus proscriberetur, vt Regis cum Anna Hispani Regis filia nuptiæ aut nunquam contraherentur, aut iungendo huic fœderi maior temporis quæreretur opportunitas, vt sectarijs vltra concessum & euolutum iam tempus pro-

Gratianop. hæreticorum

Quid petunt.

arma capiunt. rogarentur fiduciariæ (vti vocant) aut securitatis arces, atque vt votorum suorum culmen attingerent, arma ceperunt illico, & Condæum Principem offensionibus nonnullis Regis ab aula distractum prauis tentarunt implicare consilijs obtentu magnifico, dum huic persuadere *Condaum ad se pertrahere tentant.* adniterentur extremum Galliæ imminere periculum, ni maturè ipse prospiceret, cuius vnius interesset præsens hoc malum, priusquam inualesceret, amoliri. Sub id Gratianopoli Nemausum translata fuere comitia, quo numerosa confluxit sectariorum multitudo, Monspelium praoptatura, si tutò ibi agere licuisset. Hoc in cœtu communibus votis Rohanio sancitum est difficillimis his religionis temporibus exercituum regimen, decretum insuper, vt exquisitissimi iuuenum delectus haberentur, qui arma sua cum illo iungerent, cùmque prope iam esset, vt subitis Gallia tota bellorum facibus conflagraret, periculum omne Regina fortiter iuxta ac prudenter auertit, extemplo enim sectariorum proceres, adhærentesque eis ministros suppeditata largè pecunia à tam prauè cœptis auocauit, qui omnes obiecto sibi pulpamento à solitis clamoribus latratibus potiùs temperarunt. Condæus venalem sectæ genium conspicatus, implacabile in eam odium concepit, ac acerrimum profli- *Repelluntur.* gandorum eiusdem errorum studium, nihilque antiquius habuit quàm vt extinctis belli primordijs pacem Galliæ procuraret, quæ vtinam diuturnior extitisset, violata siquidem fuit regij occasione connubij, quod tamen haud sine Numinis nutu sancitum fuisse declarat satis gemina inde proles exorta, fortunati Castores, qui tutissimum Gallicæ naui portum, iugemque tranquillitatem pollicentur.

Non hic ascribo nuptialem tum in Gallia, tum in Hispania ab Ordinibus cunctis adhibitam pompam, nec memoro lætas gestientium populorum acclamationes Gallicam felicitatem sub Regio hoc coniugum pari non ineptè ominantium, incrementum denique religionis speratum non mediocre, cùm Christianissimo Regi primogenito Ecclesiæ filio primogenita Catholici Regis filia tam auspicatò nuberet. Hæc quanquam ita se haberent, erant tamen, qui nuptias huiusmodi Gallico regno insidas, ac fraudulentas assererent, quòd eæ conditiones proponerentur, quæ non mediocriter imperij Gallici maiestatem imminuerent, Austriacæ domus amicitiam per connubiale fœdus quæsitam infestam sæpe fuisse commonstrare nitebantur, proferebant exempla, quibus id euincerent, quæ non est huius operis accuratiùs recensere.

Sectarii regias nuptias improbant. Connubialibus huiusmodi pactis assentiri non poterant hæretici, imò discruciabantur animo, non abs re veriti, ne primarij Romanæ Religionis Principes matrimoniorum vinculo copulati in extremam sectæ rui-

nam sociatis simul armis, animisque conspirarent, ne Philippus Elizabetæ Henrici IIII. filiæ Sponsus Ludouico XIII. Annæ sororis suæ marito Hispanicas opes, viresque adiungeret, ad exturbandos è Gallia nouatæ religionis asseclas, speciemque in Gallia Hispanici regni aliquam adumbrandam, quod heterodoxum impunè patitur neminem; atque hinc factum est, vt fidei quæsitoribus abundet hæc regio, quorum id muneris est excubare diligenter, ne quis è vicinis prouincijs Caluino adhærentibus in Catholicum regnum irrepat, errorum sator futurus, aut vltricibus excrucietur flammis, si irrepserit.

Hæc sectarios mirum quantum sollicitos habebant, anxiosque ne quid Hispanicæ seueritatis in Galliam ab huiusmodi religionis quæsitoribus abhorrentem peruaderet, atque vt eo se metu eximerent, varios varijs in locis cœtus inibant, nunquam satis inter se colloquuti, aut colloquuturi, quia pauidi semper, & idcirco pauidi, quia adequitantem secum pœnam nunquam non habet rebellio, quæ si differatur interdum non ideò tollitur, sed à diuturniore sæpius mora robur accipit maius. Angebantur etiam quòd Rohanio Heluetiorũ præfectura dimoto, Bassompetræ datum fuisset id muneris Catholico viro, & perillustris apud Heluetios famæ, atque hinc timor exortus, defluentibus paulatim honorum, quibus secta fruebatur, titulis, speciosa quæque regni munera vnis translatum iri Catholicis, quorum tamen in partem venire ambiebat cupidiùs, gloriæ, quæ tantùm rectè factorum comes est, plus nimio appetens, vnde quia probrosum ipsi videbatur prætentæ religionis nomen adiunctum, ausa est iterum petere, vt deraderetur hic titulus, & suppresso prætentæ nomine, reformata solùm appellaretur religio, quæ postulata risum simul, stomachumque mouere Catholicis, quasi verò insincera norma quod tortuosum est, emendare, ac in rectum porrigere possit; tota autem sectariorum religio, cùm ex anormibus ferè, vt aliàs dixi, hominibus coaluerit, quid tandem castigati ab impijs illis sacrorum desertoribus in illam dimanare aliquando potuit?

Horum querela.

Et postulata.

Quantò æquiora in Parisiensibus comitijs postulabant à Rege Catholici, nempè vt immanis illa tolleretur barbaries, seu monomachia ante ducentos ferè annos in Christianissimo Regno magna cum Nobilium strage debacchata; & sanè blandas illas mortes gaudiumque crudele varijs propositis pœnis, minacibusque verbis prohibere institerant Reges aliqui, nemo tamen seueriùs, quàm Ludouicus XIII. quod hîc propterea insero, quia hæreticis affines sunt gladiatores isti, vtrique perinde circa fidem Andabatæ cæcutientes quippe omnes. Nihil id tem-

poris frequentius erat, quàm hæc committendorum duellorum insania, cùm non ascitis, exploratisque forensium magistratuum arbitrijs, sed expedito ferro cuncta dirimerentur dissidia; quin agrestis hæc feritas specioso fortitudinis nomine conuelata insanientis crebrò populi plausus excipiebat, perinde quasi altiores animos gereret, qui viliùs occumbere posset. Delectus est ab Ordine sacro Petrus Fenollietus Monspeliensis Antistes, qui coram Rege contra vesanum hunc Gallicæ nobilitatis morem pruritumque diceret, cuius orationis epitomen dabo.

Fenollieti Præsulis oratio contra Monomachos.

Acerbissimus ordinibus cunctis inuritur dolor (Rex Augustissime) ob frequentes infamesque gladiatorum ludos, quibus nobilissimus Galliæ sanguis incassum effunditur, vni Deo, Regique debitus, & pro vtroque si iusta sit causa fundendus. Immanis huius carnificinæ primordia non tam à Romanis gladiatoribus, quàm ab ipsis inferorum satellitibus repetenda haud ex vano crediderim, quorsum enim impia ab insanis illis bellatoribus arma tractantur, nisi vt insatiabilem Cacodæmonum crudelitatem exprimant, teterrimisque Christi & Christianorum hostibus Christiano sanguine litent: hoc autem quàm impium, quàmque horrendum sit haud ignotum tibi est (Rex Maxime) qui depereuntium tam crudeli, calamitosoque fato subditorum tuorum rationem Deo humanæ salutis assertori redditurus sis, atque id dum Cælestis olim Iudex exprobrabit, quid tandem erit, quod opponas? Anteuertendum itaque formidolosum hoc tempus, quo misericordia obmutescere iussa diuina sufficietur Iustitia, debitasque statuet reis omnibus pœnas, barbaræ huic ex prouocatione digladiantium immanitati constanter opponenda est regiorum edictorum seueritas. Id cùm cuncti Ordines, tum præsertim Clerus vniuersus, cuius id maximè interest, supplicibus à te votis expescit. Obicem itaque statue torrenti sanguinis longè latèque Galliam tuam inundanti, statue ante oculos per crudele hoc ludi genus prostratas, deletasque complures hactenus esse nobilissimas, dignasque illustriore fato familias, quamque ipse à Deo pacem & tranquillitatem expectas, hanc tu Regno Maiestati tuæ commisso ne cuncteris asserere.

Hæc cùm perleganter more suo disseruisset Antistes, Rex continuò in vesanam hanc diu grassatam licentiam seuerius longè, quàm antea promulgauit edictum; non deferbuit tamen effrænatus hic ardor, aut furor potius, repetendæ sæpius arenæ, adeò connituntur omnes in vetitum, & si quæ obiecta sibi norint legum repagula, conantur abrumpere. [illegible]riuolæ laudis illicium, aut ludibrium potiùs hanc mutuæ stragisedendæ rabiem peperit, pudetque nobiles, si magnarum anima-

Gladiatorū rabies.

rum prodigi non fint, fique veterum gladiatorum, qui è fæce vulgi erant paria non æmulentur, quorum folenne id fuit fupra demortuorum tumulos fingulare certamen inire, cæfim punctimque ferire, lethales ictus certatim ingerere, quafi procurandæ vita functorum quieti humanus fundendus fit cruor, Viget hæc adhuc, quanquam non impune habeatur plufquam agreftis barbaries, nec erectis carnificum manu patibulis aut gladiis, hactenus ceffit, cùmque mille quæfitæ olim fuerint, aliæ, atque aliæ confopiendis his animorum æftibus indagantur etiamnum artes. Vtinam tam obftinatæ in exitiabiles Chriftiani nominis hoftes effunderentur iræ, verùm id orare, quàm exorare longè facilius.

Quia feralis huius confuetudinis mentio incidit, haud abs re fuerit funeftum adiungere aliquid, nempe fupremum Henrici Mommorancij Comeftabilis diem, cuius in vita fi carpendum aliquid fuit, totum id Chriftiana pœnitudine ante obitum retractauit. Hic illuftriffimæ antiquiffimæque Mommoranciorum profapiæ non vulgaria corporis animique ornamenta adiecit, felix toto vitæ decurfu meritò prædicandus, nifi offenfionibus interpofitis aliquot, infaufto fe fœdere cum fectariis adunaffet, cum quibus pariter focietatem iunxere non pauci, quos politicos appellabant. Hæc Procerum confociatio in grauiffimum Ecclefiæ damnum verfura erat aliquando, nifi florentiffimo regno maturaflet opem ferre manifefta Numinis vis, factioforumque diffipaffet confilia; Comeftabilis, etfi minimè dubium fit, quin magnopere deliquerit, factum id tamen tuebatur fpeciofo tum Regiæ, tum fuæ defendendæ auctoritatis obtentu, vnde fparfis in vulgus libellis palam denunciabat, nullo fe aduerfus Romanam religionem, cuius retinentiffimus femper fuerat, odio in hanc fe immerfiffe focietatem, nihil fibi de auita Maiorum fuorum fide ac pietate detractum.

Mommoranciі Comeft. obitus.

Hæc & alia Comeftabilis in fui tutelam, defenfionemque adducebat, Vtinam quod tanta mentis contentione purgabat, excufabatque non accufauerit Deus æquiffimus Magnatum omnium iudex. Cæterùm labem illam nomini fuo inuftam pietate expunxit planè Mommoranciaca, quam à puero erga Dei Genitricem haufer at. Audiui Ego de Patre Francifco Barrio Societatis noftræ Sacerdote viro admodum pio, qui iuuenis inter pueros eius honorarios meruerat, Comeftabilem, tametfi diurnis laboribus fractum nunquam tamen nocturnam ad quietem feceffiffe, quin priùs falute Angelicâ per coronarias decades repetitâ, caftiffimam Dei Genitricem deueneratus effet enixéque precatus, vt ad extrema vitæ vergenti, patronam fe fibi monftraret & matrem, velle

Eius pietas erga Dei Genitricem.

se non Christianum tantùm, quæ Mommoranciæ gentis laus est, sed & Marianum emori, quamobrem P. Archangelum Capucinum in animæ mox exituræ solatium, æternæque salutis curatorem adlegit, ac indui voluit se Capucinorum habitu, vt alias dixi, in cilicio & cinere volutandus, breui cinis ipse futurus; Agatham mortuus defertur, conditurque in Grauensi Deiparæ templo cum hoc titulo marmori inscripto. *Hic iacet Henricus Mommorancius Franciæ Comestabilis.*

In Grauensi templo sepelitur.

Diploma pro Benearn. Eccles.

Interea quæ bona Beneарnensi Clero sectarij abripuerant Predicantibus suis diuidenda, noui diplomatis vi, cuncta iubentur restituere, cùmque de rapto sibi demenso quererentur ministri, indultum ijs aliquid est, quod præsenti satis necessitati foret, non auaritiæ; Et quia permolestum erat præscriptis longa temporis mora prouentibus abdicare se se, comitiorum ineundorum potestatem impetrant, hoc præsertim exploraturi, an aliqua placari ratione Rex posset, aut si perstaret in proposito, noui contra eum cogendi forent delectus, Celebrantur itaque Iulioduni comitia, adsunt conuocati proceres, colloquuntur, ac calentibus è vetere odio arbitrantium animis agitatur id primùm, an Iesuitæ reformatas in vrbes ad Euangelij Romani promulgationem admitti debeant, cunctatione nihil super hac re opus fuit, sublato siquidem confestim omnes clamore, obserandas tam infestis reformatæ religionis hostibus fores esse pronuntiant, intercessit tamen Parisiensis curia, noluitque vrbes hæretico veneno imbutas tam vtilibus carere operarijs, quorum mox constitit operæ fructus non exiguus, complures enim siue priuatis in colloquijs, siue publicis in cœtibus nouæ religionis errores dedocti, ad Romanæ petræ firmitatem, melleam inde cœlestium gaudiorum dulcedinem prælibaturi redierunt *Vt enim ex fœturis corporum, ita pijs è sermonibus animorum partus quidam, ac longè præstantiores emergunt.*

Sectariorum comitia Iuliod.

Ex Vrbibus suis Iesuitas excludunt.

Reclamat Pariesien. curia.

At non in vnos Societatis IESV Patres, sed in alios etiam regulares Clericos aut Cœnobitas sectariorum exardescebant odia, quibus omnibus Ecclesiastico interdicebant suggestu, quippe communibus Caluinianorum dogmatum inimicis; verùm cùm id in non leue Majestatis dedecus verteret, sacros huiusmodi præcones ab Ecclesiasticis obeundis muneribus inhiberi Rex vetuit, quo ferè tempore Pater Iacobus Georgius eximius Societatis IESV concionator, cùm Monspelium aduenisset, repulsus ab hæreticis fuit, cœleste Euangelij Margaritum ab institore locupletissimo allatum indignè respuentibus. Vilescunt nempe Regum apud eos imperia, qui ipsam Numinis autoritatem conuel-

Rex admitti iubet.

Repellitur à Caluin. Monsp. P. Iacobus Georgius.

lunt. Dum longiores in moras protraherentur comitia, iussit Rex, quo festinatior finis imponeretur, per binos à conuocatorum cœtu delegatos proceres, quæ maximè, cupidiùsque sibi fieri vellent, ad se confestim afferri, nihil denegaturum pollicitus, si modò æquum foret, quod poscerent; Illi, quia longiore opus esse mora censebant, causari tantæ negotiorum moli, vti par erat, pertractandæ, præfigendam esse nullam temporis metam, sat quippe citò, fieri, quod expetitos diu sortiretur exitus, ac proinde rogari etiam atque etiam Regem, vt æquissima omnium vota benignus exciperet, & quia diuinitatis speciem refert aliquam vt suppliciter ad se se adeuntium precibus haud grauatè Deus annuit, consimiliter à supplicibus ac obsequentissimis famulis exorari se sineret. *Rex. terminari comitia iubet.*

Dum his simulati obsequii indiciis ludificare Regem pergerent, codicillos interea varias in vrbes ad eiusdem ritus homines submittebant, monebantque nouo vrgeri se Regis imperio, vt è cœtu quam primum abscederent, spondere quidem Regem sectæ postulatis facturum se satis, sed auritis duntaxat, prudentibusque veterem ingeri cantilenam, seu fabulam, nullam tam amplis pollicitationibus habendam esse fidem, aulicis se toties verborum irretitos aucupiis, vt magno sibi dedecori versurum sit, si eosdem in casses sponte inciderint, res postulari non verba, fixum omnino sibi esse eo vsque instituta prorogare comitia, donec Regi planè constiterit haud ex vano reformatos esse conquestos. Hæc cum inchoandæ seditioni proxima forent, non deerant complures autoritate præstantes viri, qui saniora longè sectæ consilia impertirent, morem gereret Regi non nisi iusta Regnoque salutaria iubenti, cœtumque cùm sic imperaretur, dissolueret, verùm quia id exequi cunctabatur diutiùs, Rex dato diplomate in suprema curia recognito, finem imponi iussit, indictâ mandati, majestatisque violatoribus pœnâ, ni maturè facesserent, absque vlla cunctatione luenda. *repugnant sectarii*

Et sanè cùm nihil in eos actum esset seueriùs, nec asperiùs haberentur, quàm Catholici, ecquid tandem erat quod tam frequenter, minaciterque expostularent, Et multa tamen contra fas (vt interpretabantur) facta sibi esse querebantur, ea autem longè vehementiùs, quæ in commune Benearnensium Sacerdotum stipendium, exclusis à sacerdotiorum reditu prædicantibus sancita ab Rege fuerant. Petebant insuper vrbium, arciumque sibi traditarum tempus extrahi, tum vt in Parisiensem curiam Caluiniani duo ad publicas diiudicandas lites admitterentur, quasi verò nihil absque sectariorum ope in sanciendo cuique iure suo peruideant, cæcutiantque Catholici, postulabant denique vt in Fontralij Le- *Noua petunt.*

ctoræ præfecti locum, qui recens Catholicorum sacra susceperat, vnus aliquis è sectariis sufficeretur; & quoniã in eius, qui Armeniacus tum Senescallus erat, mentionem incidi' parum congruè facerem, ni plura de viro maximo adiungerem inter fortissimos secu'i huius heroas facilè ad numerando, quòd hausta per id temporis Catholicorum religione, veterem in se hominem perniciosis imbutum erroribus feliciter expugnarit.

Fontralius Lectora præf. fit Catholicus. opera P. Regordi

Huic P. Alexander Regordus, cuius haud ita pridem memini, clarè apertéque commonstrarat,' qua potissimum cuique insistendum esset via ad cæleste consequendum brauium, deuios esse, ac in præcipitium desinere Caluinianorum calles, in hoc, quod decurrere iactant se plano, vbi nihil fallax & lubricum appareat, exitiales, quas non introspiciunt, latere insidias; è varijs errorum centonibus consarcinatam esse sectariorum fidem, tum praua eorum dogmata, petitis è sacrarum literarum volumine telis, egregiè refellebat, configebatque feliciter. Celeberrimam concertationem, ab eo pro Romana fide tuenda anno 1617. eadem in vrbe susceptam placet attexere. Pugnam inierunt pugiles duo, morum religionisque cultu omnino dispares, Alexander Regordus è Societate IESV, & Daniel Chamierus, de quo alias nonnulla retuli, Montalbanensium Caluinianorum Minister; Ille, vti Religiosum virum addecebat, moderatus in omnibus; hic naturâ institutioneque præferuidus, scenici militis & gloriosi personam non inuenustè adumbrans. Fontralio toparcha astante, alijsque ex vtraque religione proceribus, præside moderatoreque Laodicæ Episcopo Lectorensis Præsulis successore delecto, de augustissimo Sanctissimæ Eucharistiæ sacramento, de vetere imaginum cultu, de pia Sanctorum inuocatione disceptatum est victore sem per Alexandro, victo verò Chamiero, indignantibus sectæ asseclis tam ignaro ignauoque bellatori causam nouæ religionis commissam, cui Mars ventosa quidem in lingua insideret, nulla verò inesset tractandorum armorum peritia.

Qui pugnat contra Chamier. Ministrum. eumque profligat

Hæreticorum testimonia de Chamiero

Certè quidem Tisserius in Armeniacensi curia causarum patronus, acerrimusque Caluinianæ causæ propugnator palam testatus est Chamierum proximâ synodo ob stupendam inscitiam illam cum tanta socordia coniunctam, pro eo ac meritus erat, vapulaturum egregiè. Addidit Fargius hoc in religionis conflictu adeo inertem, impotemque mentis extitisse Chamierum, vt nemo vnus esset, qui scholasticos leuiter literis tinctos, parumque in similibus concertationibus exagitatos veterano iam militi rudeque donando non præhabuisset, atque vt aliud nihil esset quod Alexandro nostro palmam assereret, victorem hunc satis declarauit

declarauit multorum post pugnatam hanc feliciter pugnam ad Catholicam veritatem regressus, ac penè infinitorum in eadem retinendâ corroborata constantia, quos inter eminebant Domina Fonrralia Senescalli Armeniaci vxor, eiusque consanguinea Fontralia pariter nuncupata; Ambæ validis rationum à Regordo allatarum momentis euictæ, faciente Laodiceæ Præsule, eodem verò astante Regordo, quem conscientiæ suæ moderatorem asciuerant, vesanos Caluinianæ sectæ ritus in Guarasonio Immaculatæ Virginis, Deique Genitricis templo, gratulante Magnatum, qui aderant, corona, damnarunt, exueruntque. Non dubito quin illi nobilium pari plurimùm fauerit inclamata ritè Deipara, cuius proprium hoc munus est, vt serpentis, ita & hæreseon, hydrarum more perfurentium colla protercre.

Multorum conuersio post hanc pugnam.

Fontraliæ conuersio in Guarasi templo.

Non refero metra quædam à Chamiero, alijsque prædicantibus in Societatis IESV Patres deblaterata, puerilibus planè mēdis fœtentia, dignaque Orbiliorum veterum animaduersione: atque hîc demiranda videtur Musarum sacrarum Virginum humanitas, quòd profanos hujusmodi scriptores in assertum vnis vatibus montem irrepere satagentes, non repulerint; Marsyis istis laureatos Apollines lacessere ausis, ideoque malè mulctandis opposuere Societatis IESV Patres poëticum missum omnibus Parnassi flosculis conuestitum: tacuissent illi profectò, ni scopis opus fuisset perpurgando Musarum solo à poetrijs Montalbanensibus picis tot sordibus inquinato. Igitur liber, cui titulus est, *Desperatio Chamieri* à Timotheo sanctæ fidei editus est, cui addita, vt iam dixi, eruditorum versuum mantissa, quo lecto, mœrore pene contabuit Chamierus effœtus iam senex, ac per dies aliquot abstinuit publico.

Ridicula carmina à Minist. mōt. in societ. IESV edita.

Refelluntur melioribus aliis

Blainvillius Lectora Præf.

Atque hic Lectoracensis disputationis exitus fuit, quæ vrbs, quia vti supra memorauimus, Fontralium Præfectum agrè tolerabat recens factum Catholicum, Blainuillium eius successorem obtinuit in hæresi enutritum, ideoque in propugnandis eius erroribus pertinacem. Exin quia postularant sectarij, vt perinde atque Catholici in forensium dignitatum communionem venirent, in augustum senatus Parisiensis corpus adrogatus est vnus aliquis è secta delectus, cum interea intercederet curia, quereretúrque insolito hoc intrusi contra morem hugonoti consortio sacra Themidis suæ subsellia pollui; arces quoque in securitatem datas ijsdem prorogari Rex in quinquennium iussit, Denique ad mitigandos sectæ furores, ne ex repulsa insolesceret magis, alia post euolutos annos aliquot reuocanda indulsit; verùm nec sic quidem se-

Quædam secta concessa.

ctariorum cupiditati factum satis ad vlteriora semper dona aspirantium, ampla enim gratia reijcitur, cùm spes affulget amplioris futuræ.

Iuliod. comitia

Nunc ad comitia Iuliodunensia stylum refero, à quibus initium rebellio sumpsit, hincque planum factum est quàm verè pronuntiarint veteres nonnulli politicarum rerum apprimè gnari, pessimorum consultorum consilia absimilia esse non posse, hoc est ab ipsis autoribus consilia haurire virus suum, hoc enim tempore cœtu nondum dimisso in eam coaluere societatem, quæ Galliæ infestissima putabatur, cuius leges, è gallico autographo excerptas, latinasque à me factas exscribam.

Nos Domini, Nobiles, ductoresque exercituum à Gallia prouinciis delegati, reformata religionis cultores, tum nostro, tum aliorum professionis eiusdem nomine, in strictam & violandam nunquam Societatem nomina dedimus, sanctéque iuramus in omnibus, quæ pietati & æquitati consona erunt, mutuam inter nos opem allaturos, tum ad repellendos si contra nos proruerint, hostes, tum ad eosdem si è re visum fuerit, prouocandos. Pollicemur item omnes sanctæ huius vnionis perpetuitatem, diligentem daturi operam, vt eiusdem religionis socii pari se nobiscum iureiurando obstringant. Spondemus denique in eandem pariter societatem à nobis adrogatum iri Toparchas, nobiles, copiarum duces, ac Benearnenses idem nobiscum de religione sentientes viros, quibus auxilium, opemque nostram pollicemur, dummodo contracto inter nos fæderi subscribere statuant. Datum Iuliodum 8. Decemb. 1619.

Parisienses societ. Iesu scholæ aperiuntur.

Dum sectarij post mutuam hanc conspirationem in exitialia Galliæ, religionique arma prurirent, humanius aliquid meditabatur Rex, in id præsertim intentus, vt mansuetiores Musas temporum iniquitate depulsas in Athenæum Claromontense reueheret. Aderant quidem Societatis patres Henrici Magni autoritate reuocati, sed triste diuturnumque silentium nondum abruperant professores electi, donec circa id tempus imperante sic Rege multis vndique alumnis confluentibus apertæ sunt scholæ. Quanti Societatem è probis doctisque hominibus conflatam Rex faceret, luculento testatus est indicio, dum ei Marchionem Vernolium Metensem Episcopum, & Antonium Moretum stirpis regiæ principes tradidit literis iuxtà ac virtutibus imbuendos. Habuit ea res intercessores multos, Caluinianos præsertim, aut Caluinianis addictos, qui veterem crambem recoquentes, nihil sani è Societatis disciplina in publicum dimanare vociferarentur, corrumpi iuuenum animos, non excoli, quin & perstrepebant interdum

Principes. In his erudiuntur.

Reclamant aliqui.

professorum nonnullorum subsellia iactis in eruditos Societatis magistros scommatis, sparsis in eorum famam contumelijs, quas omnes facilè diluebat religiosorum virorum patientia constans, illustre sanè documentum, non maiori cura politiores ab ijs literas edoceri, quàm probos spectatosque mores, dum sic temperatos haberent.

In debitam gratiarum actionem dictus est Regi ab vno è socijs panegyricus cunctis exaggeratæ facundiæ numeris absolutus, in quo grauioribus verbis commendata primùm est singularis Regis pietas, qui tám studiosè Ecclesiæ matris suæ cultum proueheret, nihilque tametsi quotidiana negotiorum mole præpeditus, quod Catholicæ propagandæ fidei peropportunum videretur, omitteret, tum eiusdem eximijs laudibus ornabatur Iustitia, qui Astræam, quod natale fortitus erat sidus, è Cælis in terram deuocatam persanctè coleret, qui supremam auspicatus regnandi formam, subditos ingestis identidem præmiorum inuitamentis ad omnem morum honestatem induceret, eosdemque proposita pœnarum acerbitate à flagitiorum turpitudine auocaret; exin ad fortitudinem dilapsus orator, insitum regiæ menti robur magnopere extulit, quod ille bella in grauissimas eruptura clades Sabaudum inter & Mantuanū Duces conflata Regia autoritate restinxisset. Postremò de prudentia perorauit, quæ Regum est oculus, hanc Regis animo penitus insidere ostendit, cùm nihil nisi multùm antè meditatus, singulaque rerum momenta perattentè scrutatus susciperet, nihilque nisi magnâ, hoc est regiâ excocitum sapientia moliretur. Has autem singulares animi dotes summoperè mirabatur in Rege vixdum pubertatis annos ingresso: qui tam seria tractare inciperet, quo maximè tempore crepundijs, iocorumque amœnitatibus iuuenilis hæc capitur ætas. *Panegyricus Regi dictus*

Dum Claromontanis Societatis IESV gymnasiis alta pax fieret, turbabatur in Regno Procerum nonnullorum occasione publica quies, quo tempore Medicæa Regis mater varias ob causas, dum turbæ istæ conquiescerent, in secessum rogata tantisper, Blesas proficiscitur, tum commorationis illius pertæsa, Espernonij Ducis auxilio Inculisinam iter intendit. Id cùm Rex inscio se attentari ægrè admodum ferret, post missas vltro citroque literas ingentem conscribit exercitum Espernonium illico aggressurus, nisi bellicus ille conspecta procul matre deferbuisset impetus, qui postmodum ad Pontem Cæsaris multò vehementiùs exarsit, vbi fusæ, profligatæque Reginæ copiæ, adeoque fracti sunt Magnates, qui ad eius tutelam accurrerant. vt ve-

Sectarii opẽ suam Reginæ offerunt. Reiiciuntur. niam etiam reluctantes petierint, quod hic eo lubentius insero, quo exploratius est mihi è sinceri scriptoris monumentis, opem suam Reginæ obtulisse sectarios, quos illa, quippe Christianissimi Regis parens constanter à se depulit, satius longè ducens debellari se sine illis cum decore, quàm probrosam cum iisdem turpemque referre victoriam.

Iubilæum à Paulo V. missum. Interea vt Principes extinctis tot discordiarum motibus Christianam in amicitiam coalescerent, misso Iubilæi diplomate diligenter accurabat Paulus V. Romanus Pontifex ex illustri Burghesiorum Senensium stirpe oriundus, iamque incredibili bonorum gaudio admittebatur promptus hic è cælo thesaurus, iis duntaxat impertiendus, qui per statas, condictasque preces Ecclesiæ huius militantis incrementum, hæreseon proscriptionem, pacemque Christianos inter Principes sanciendam impetrare contenderent, cùm ad antiquam illam Ecclesiæ piorum munerum dispensatricis prærogatiuam horrendum in modum infremuere Nouatores Germani, quasi nouum monstrum aliquod Romana parturiret Ecclesia, tum in facetias cachinnosque dilapsi, quidquid largitatis huiusmodi à Romano dimanaret Pontifice, ridiculis artibus eleuare tentarunt; & quia variis literarum monumentis proditum est subdolum, mendacemque Angelum veracis interdum *Inane hæret. iubilæum* speciem induere, iubilæum ipsi sibi, vt catholicum æmularentur, fabricarunt. Supremum egit Pontificem Ioannes Georgius Saxoniæ dux Lutherianus, egregius scilicet cœlestium gratiarum œconomus, cuius, quod edidit, diploma, in epitomen redactum apponam.

Saxoniæ dux Pontificem agit. Ioannes Georgius Dux Saxonum &c, *Patet omnibus inclinato in finem Octobri anni 1617. centenarium exactum iri annum, ex quo Lutherum apud Vitembergenses Romani Pontificis Indulgentias acriter insectatum fuisse produnt Annales nostri, quo quidem tempore iacta sunt Euangelii reformati fundamenta, quod deinde magnis quotidiè auctibus ad id vsque ætatis increuit, tametsi contra hunc renascentis Ecclesiæ splendorem emersæ ex inferis furiæ complures oblatrarint. Quare ne ingrati animi labem aliquam incurramus, congruum esse censuimus, vt ad condignas Deo salutis nostræ autori grates rependendas, festi huius solennia triduo toto supplicationibus variis impendendo prorogentur. Conuocabitur ad consuetum psalmorum cantum, & ad instaurandam cœnam addictus Deo, veraque religioni populus; encomiastica in Lutheri laudem Orationes fient, quarum locuples argumentum erit. Restaurata per Lutherũ missum à Deo Angelum Ecclesia.*

Lucilii Vanini impietas. Nunc ab hæreticis ad Atheum orationem deflecto, commune si

quidem habet aliquid hæreticus Atheo, neuter enim credit, aut si aliqua in re assentitur, perperam credit. Is fuit Lucilius Vaninus philosophicis theologicisque studijs leuiter tinctus; hauserat etiam nonnulla medicorum effata, sed peruestigandis naturæ arcanis animum præsertim parum sobrium applicuerat, hanc enim vnam, expuncto penitus Deo, mirabilium operum, quæ humanis subiecta sunt oculis, effectricem agnoscebat; inane autem esse iactabat, quidquid de Christi IESV diuinitate sacri perhibent codices; & impiam hanc dirisque deuouendam doctrinam quasi peregrinam mercem aliquam per varias regni partes circũtulerat execrandus institor. Cùm Tolosam aduenisset, quæ vrbs est huiusmodi sacrilegiorum hostis, vltrixque seuerissima, delituit primùm priuatos intra parietes paucis admodum, ijsque adolescentibus ad colloquium admissis, quibus nunc fidei Catholicæ dogmata non absque lepore aliquo & vmbratili quadam specie pietatis euoluebat, nunc eadem momẽto versipellis effectus sannis cachinnisque mordacibus impetebat, perinde quasi mera hæc somnia essent, anicularumque deliramenta, ideoque indigna, quæ ab elimatis, & emunctæ naris hominibus admitterentur. Quamuis impia, & exitialia loqueretur hic homulus, fidem tamen faciebat iuuentuti huiusmodi fraudibus obnoxiæ, imo & ludificari se gestienti, dum licentiori vitæ laxiores indulgerentur habenæ, ac amoto vltore scelerum Deo, nefaria conciperentur, ederenturque absque pœnarum terrore flagitia. Serpebat per amplissimam vrbem palabũda hæc lues pestilentis doctrinæ, noxiamque sparsi latè veneni vim indicabant inquinati Adolescentium mores, fides circa diuina in nonnullis emortua, in pluribus elanguescens.

Atheismum inducere conatur.

Nec mora, quia excubat semper animo Tolosanus Senatus, ne quis contra Supremi Numinis cultum Romanæque fidei maiestatem sensim error irrepat, Vaninum in vincula conijci iubet, quo in loco imminentis supplicij terrore perculsus pium, seuerumque visus est sapere Catholicum; hic enim ad omnem morum honestatem compositus, cunctos, qui ad se viserent benigné affari, pia inserere de Catholicorum sacris colloquia, fluxa esse omnia esse despicatuique habenda, si cum virtutibus componantur, tutam nobis ad æternitatem communientibus viam. Ioannes alter credebatur in carcere, aut Boëtius cælestem philosophiam aduocans, ærumnarum, quibus locus hic affluit, exterminatricem. Scio ego missos ad eum è Societate IESV Patres aliquot miratosque hominem de diuinis rebus piè admodum,

In vinculis pietatem simulat.

eruditéque loquentem, adeo mentiebatur quis esset veterator callidissimus, varijs indutis, exutisque formis sagaciores quosque ludificans; iamque iudicij laqueos declinaturus videbatur, cùm vir stirpe nobilis Franconus nomine ad capitalium rerum iudices retulit, audiuisse se sæpius sycophantam vaferrimum sacra fidei mysteria iocis sibilisque prosequentem, inania cuncta quæ de Deo, Cælitibusque referuntur, asserentem, omnia naturæ, non Deo, quem existere pernegabat, tribuentem. Hic igitur Senatus decreto impietatem tantam expiaturus, crate trahitur ad destinatum supplicio locum, vbi depositâ pietatis laruâ atheum se, vt hactenus fuerat, profiteri non erubuit, illusitque sæpius Franciscano Cœnobitæ salutis monita hoc in temporis articulo suggerenti. Cùm ab Rege veniam poscere cogeretur. Ego cur mihi (inquit) ab Rege ignosci postularem, cuius nunquam maiestatem offendi; id ipsum vt à Deo peteret monitus; peterem (ait) si Deum esse crederem, Iussus denique iudices orare, vt sibi, si quid in eos deliquisset, ignoscerent, Ego (sic enim respondisse dicitur) non modò non veniam oro, sed Iudices meos execror, addicoque tartaro sociandos cum Dæmonibus, cum iisdem pariter excruciandos. Tum Franciscanus. Diffiteris vecors Deum, Dæmones tamen esse non negas? Obmutuit ad hæc atheus, atque vt obmutesceret magis, sacrilegorumque tandem verborum desineret, impiam ei linguam Carnifex abscidit taurinum in morem præ dolore, aut rabie potius immugienti, donec combustus est viuus.

Viuus comburitur.

Theophilus Exul.

Hoc eodem anno Theophilus Poëta Regis iussû in exilium amandatur, quod indigna nonnunquam Christiano & à Christianis moribus abhorrentia pangeret. Torquentur interdum ingenio suo Vates, nisi nimiæ obtrudentium sese cogitatuum vbertati temperamentum aliquod afferant. Paulò antè Blanquetus & Gaillardus sectarii, quòd mare piraticis excursionibus infestum haberent, rotæ subiere supplicium. Cameronus sectæ minister, qui morituris solatio venerat, demortuis post modum librum inscripsit, cuius hic erat titulus, *Constantia & fides Blanqueti, & Gaillardi, firmaque eorum ad mortem perferendam mentis inductio.* Penè martyrum fastis vtrumque inscripserat, nisi suprema Burdigalensium curia sacrilegum librum carnificis manu flammis tradi, aboleríque iussisset, Molinæus item Caluinianus præco, aliique prædicantes libellum vulgarunt contra Romanæ fidei dogmata ab Arnulpho Societatis IESV sacerdote coram Rege, cui à sacris confessionibus & concionibus erat, doctè admodum eleganterque

Cameroni liber flammis traditur.

expoſita quo in libro (adeò veſanæ ſunt perduellium mentes) Henricum Magnum ſolius ſectæ viribus nixum, regni culmen attigiſſe iactabant. Scriptum hoc arrogans, Regique iniurium Pariſienſis curia Carnifici comburendum tradi iuſſit, vetitique ſectarii conſimiles Regi nuncupare codices, cùm nefas eſſet ab æquiſſimo Principe iniquitatis expectare tutelam. *Item & Molinæi.*

Circa id tempus ſtupendum id in Galliam perlatum eſt, quod Caluinianam circa auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum contumaciam frangere poſſit. Tarraconenſem agrum operuerat ſubita inundatio, ac in tantum excreuerant aquæ, vt altiſſimas quaſque ædificiorum moles æquarent, Haud procul eſt Carthuſianorum domus, ſcala Cæli nuncupata, quæ dum latè ſtagnantibus vndis abſorbenda mox foret, è Cœnobitis vnum aliquem pia hæc inceſſit cogitatio pergratum id Numini fore, ſi conuelatum panis inuolucro Chriſti corpus irrupturis mox fluctibus ſubduceret; nec mora, contempto vitæ periculo immaculatam hoſtiam accipit, chriſtianamque hinc maximè trahens fiduciam, quod non Romanum Cæſarem, ſed Regum Regem, Imperatoremque veheret, Maurus alter Diui Benedicti diſcipulus, torrentium aquarum impetum eluctatus, nullo vectus lembo tutum ad portum ex imminenti nauigauit naufragio, cùm hauſti fluctibus periſſent reliqui Carthuſiani Cænobitæ. Prodigium hoc ab infinitis conſpectum teſtatumque ideo poſteris enarramus, vt hæreticorum pertinaciam lugeant, quibus ad veritatis callem reuocandis nihil vnquam ſatis ſit, ne mirabilium quidem diuinitus patratorum contuitus: nempe in vnico tantum afflatu, eoque interno conquieſcunt, quem qui erroris aut rebellionis ſpiritum appellauerit, non errabit. *Miraculum ope Sanctæ Euchariſtiæ.* *Sectariorum pertinacia.*

Hoc eodem afflati ſpiritu ſpreta regis autoritate, Rupellæ cœtum habuere ſectarij, quam vrbem in nouæ, breuique temporis ſpatio cudendæ reip. caput elegerant, eoque prorupere audaciæ, vt prouinciis præſides, vrbibus gubernatores non expectato regis nutu, imo & contra ipſius autoritatem præfecerint. munerum alijs atque aliis demandatorum diplomata cuſo recens ſigillo communierint, alio quàm ſcutario regis typo monetam obſignarint, tributariæ rei conclaue, quæſturæque per delectos à ſe magiſtratus exercendæ forum erexerint; reſtabat vnus aliquis nouæ huius reip. aut monſtri potius præſes dicendus, iamque aſtantium legebantur ſuffragia, cùm liuore, quod fieri aſſolet, primarios inter exorto, ingens hæc moles è partibus malè cohærentibus aſſurgens magno Miniſtrorum mœrore labefactata conci- *Congregati Rupellæ ius ſibi regium arrogant.*

Clemenceaus mulctatur.

Diuisæ inter sectarios Prouinciæ.

dit; aderant enim sectæ prædicantes, trucique clamore rebellionem incendebant, quos inter Clemencæus Caluinianus apud Pictauos præco, qui probrosam contra Regem orationē habitam, capitali supplicio expiandam, sola capitis effigie luit. Hoc autem ordine descripta visebatur prouinciarum, Præsidumque series. Bullonio primario Franciæ Marescallo commissa erat Normannia, Insula Franciæ, Bituricensis, & Andegauensis Prouincia, Meduanus prætcrea, Perticensis, & Turoniensis ager. Subizio Armorica siue Britannia, Bocatia insula, Pictauiensis prouincia. Trimolio Duci Inculimensis & Santonensis ditio, quæque huic adiacent insulæ. Forcæo Aquitania inferior, Marchioni Forcæo Benearnia, Rohanio Aquitania superior adiuncta, insuper Occitania superior, inferior verò Castilonæo tradita, cum Cebennensi, Gabalitano Viuariensique tractu, Lesdiguierio Delphinatus commissus, cui additæ Massiliensis & Burgundia gubernādæ prouinciæ. Sic in varios, quos vocabant, circulos distributa erat Gallia per sectarios, nisi Rex audaciores repressisset conatus, administranda.

Eorum decreta.

In eo pariter cœtu decretum fuisse memorant annales, ne de paciscendis induciis transigeretur absque comitiorum generalium assensu, vt in prædis agendis, si quis quid contra fas æquumque aggrederetur, totum hac de re cognoscendi ius penes comitia foret, vt in equestri, pedestrique exercitu nunquam non adessent ministri, qui consueta sectæ munia diligenter obirent; vt ad persoluenda militibus æra, & ad reliquos bellorum vsus è collectitia pecunia, summa fieret aliqua, præpositis fisco quæstoribus sancta semper habenda; vt ex Ecclesiasticis prædijs, pinguibusque sacerdotijs deraderetur aliquid in iustum prædicantium vectigal, aut bellica in munera diuidendum. Plerasque leges alias tulerunt, quibus intellectum est supremum eos ius spreta Regis autoritate ambire

Comparatio Hugonotorū cum Gheusiis

Monstrum autem reipublicæ ad Belgici pariter monstri exempla coagmentatum fuisse varijs è scriptoribus colligo. Nam Belgij protestantes seu Gheusii cùm excusso Catholici Regis iugo, reipublicæ formam aliquam varias in vrbes induxissent, fidissimos se Regi administros profitebantur, dum regiam passim autoritatem conuellerent, idipsum & sectarijs nostris in promptu semper fuit, sancta sibi Regum iussa esse, nihil se submissius, aut obsequentius hoc maximè tempore affirmare ausis, quo rebellionis faces per cunctas regni prouincias vehementiùs incendebant. Gheusii varias inter se partiti prouincias ad comitia sua Hagæ in Hollandia celebranda conuenire solebant; idipsum

ſum in Gallia æmulati ſectarij circulos, ſibi aliquos, aut prouincias deſcripſerant conſtabilitis Rupellæ procerum ſuorum comitijs, quæ vrbs opere, ſituque munitiſſima præcipua rebellionis arx erat. Gheuſii Mauritium prouinciarum omnium præſidem dixerant, ſuis cuique prouinciæ attributis præfectis, eidem pariter inhiarunt regimini Hugonoti, prouincijs ſingulis ſingulos præfecere moderatores, qui ſupremo in comitijs deligendo Præſidi obtemperarent. Paria in vtriſque regiæ dominationis obſeruabantur inſignia, de pace, de fœderibus, de paciſcendis colloquebantur inducijs, vectigalia, ſubſidia tributaria, & alia huiuſmodi onera cunctis erroris Caluiniani ſequacibus imponere auſi.

Et quia ſigillum Hiſpanicum expunxerant Gheuſij, nouumque hactenus inuiſum ſubſtituerant, Hugonoti pariter Gallicis euulſis liliis, recens cuderant ſignum, quo Monbrunij ad prouinciæ Maſſilienſis regimen electi diploma munierant: Miniata in cera prominebat Angelus, alterâ manu volumen prætendens, alterâ cruci innixus, ſuppoſitum eius pedibus erat humanum corpus nulla veſte obductum, credo, vt nuda hoc emblemate ablegatis papiſticæ (vti vocant) religionis pigmentis, euangelii reformati ſectæque pateret veritas. Quæſita erat ſpecioſa illa quidem, ſed mendax ſigilli epigraphe *Pro Chriſto, & Rege* Ego, ſi quod menti ſuper ænigmaticis hiſce figuris inſidet, liberè promerem, affirmarem certò & abſque vllo inanitatis periculo haudquaquam Angelum pacis à tranquillitatis perturbatoribus appictum, adderem quoque reproborum ab eo explicari codicem cum omnium ab recta fide auerſorum elencho, nec tam inniti alatum iuuenem crucis labaro, quàm crucem oſtentui habere & ludibrio: aſſererem denique à nuda corporis humani ſpecie ſectæ nuditatem exprimi, cunctis diuinorum chariſmatum dotibus inanem, cùm Romana ſemper Eccleſia coram immortali ſponſo ſpecioſo formâ præ filijs hominum, in deaurata ſtola mirabili diſtincta varietate refulſerit. Hæc autem inſcriptio *Pro Chriſto & Rege*, viderit lector, num in contrarium detorquenda ſit ſenſum. Nonne congruentiùs veritati ſcripſiſſent *contra Chriſtum, & Regem.*

In multis igitur Gheuſios inter, & Hugonotos conueniebat, in hoc autem diſpares erant, quòd Miniſtros illi ſuos à ſolennibus arcerent comitijs, ſoli quippe nobilitati, vrbiumque Magnatibus, patebat aditus, Hugonoti verò hunc prædicantium gregem ſuis intruſere conuentibus, primumque ijs poſt nobiles conſidendi locum *In quo differant?*

assignarunt; imprudenter sanè factum, vt asserunt multi, cùm omnia Galliæ turbamenta, ciuiles motus omnes, vrbium excidia, templorũ euersiones, domorum exinanitiones, orbitatesque ab huiusmodi nouæ religionis aut architectis, aut interpretibus dimanasse fateantur. Regiam contra se vindictam ob inita huiusmodi comitia, prouocarunt sectarij, vehementiùs olim prouocaturi, Rex enim quod cœptarant effingere reipublicæ monstrum, herculeo planè robore proteret, quod, cùm ad id temporis deuenero, copiosiùs edisseram. Nunc de Priuatensi tumultu breuiter agendum esse admonet Gallicarum rerum series minimè abrumpenda.

Tumultus Priuatii. Post obitum Chambaudi Priuatij toparchæ Catholicis partibus infestissimi, Carlota, seu Carolina eius vidua Vicecomiti Lestrangio denupsit, indignantibus plurimùm ob contractũ illud cum Catholico fœdus hæreticis, cui rerum, vrbisque Domino mancipanda forent omnium obsequia, cùm tamen ab anno quinquagesimo nulli, nisi nouæ religionis cultori paruissent. Tumultuabatur præ reliquis omnibus Brisonius Carlotæ gener, quòd potiundi aliquando Priuatij spem omnem ademptam sibi videret. Angit sanè nonnunquam subditorum animos non regiminis tantùm, sed & Rectorum ipsorum mutatio; tum maximè, cùm inter politici status administros religionis notatur disparitas: atque hinc arrepta belli ciuilis occasio, quæsitusque ad immania quæque aggredienda obtentus. Priuatenses enim veriti ne Lestrangius, simul ac vrbe potiretur Romanæ fidei cultum reueheret, cladem que ciuibus machinaretur, horum si tardarentur obsequia; correptis confestim armis connubiales ritus obturbare nituntur; adsunt itaque dum proximè contrahendæ forent nuptiæ, ac ipso geniali die nouum coniugum par in Priuatensi, vbi tum erant castello armatis hominibus circumuallant. Venerant illuc è vicina nobilitate complures, alijque ex vtraque religione magnates, qui rogato vt humanius cum socru sua ageret, Brisonio, tumultim in apertam cladem erupturum ex parte sedarant, At cùm idem varios tum in vrbe, tum foris motus ciere pergeret, magnis eò itineribus Mommorancius aduenit, rixaque composità, castrensi præsidio Sanpalaisium excubitorum suorum ducem imposuit: verùm hic non multò post tempore ab eodem Brisonio, qui ex arce recens extructa iactis missilibus fulminabat in castrum, exire compellitur, contra quem Ventadorius, cum lectis tumultuariò copiis serius aduenisset, regredi cogitur, de binis hostibus ab se deuictis, aut saltem repulsis triumphante Brisonio.

Interea Villanoua Bergi Mommorancio deditur, Vallonsium insuper iugum accipit, quod in oppidum augustissima veræ religionis reuocantur mysteria, ante vnum, & sexaginta annos à Caluinianis proscripta. Fuerat hactenus Villanoua militarium manipulorum nutricula subsidium aliquod Priuatensibus Oppidanis maturantium, huncque sibi delegerat locum Brisonius Chabrilii fratris fidei tutelæque commissum. Vallonsio capto, Vallum Mommorancius aggreditur, oppidum Albenaco finitimum ab unis Hugonotis infessum, ac recenti Priuatensis rebellionis exemplo resistere ausum. Portesius & Moresius legiones primùm, tum obsidionales machinas admouent. Ea fuit obsessorum pertinacia, vt in regios & numero, & æquitate causæ valentiores Lymphatorum more proruerint, aut perire obfirmati, aut perdere. Ancipiti primum marte certatum, qua in pugna Moresius castrametator plumbea glande traiectus interiit. Mommorancius exanime chari sibi vnicè commilitonis corpus humeris suis impositum inter sibilantium pilarum procellas tutum in locum deportauit, plus oneri, quàm ipsi sibi metuens, amicitiarum ad obitum vsque, imò & post mortem cultor assiduus. Tum ob inopinum amici casum ardentioribus in Vallenses vindictæ flammis inæstuans, postremam iis cladem illaturus erat, ni Ruauxius prætoriarum Regis cohortium præfectus, veniam rebellibus, qui mox in obsequium redierunt, exorasset. Castilionæus, cuius segniores in causæ suæ tuitione moras increpabant sectarii, ac cum regiis conspirasse suspicabantur, adeò non tulit proditoris nomen sibi à maleuolis impactum, vt abdicatis hæreticorum partibus, regiorum in castra transmigrarit; quorum, quia causa erat iustior, sors quoque futura erat securior; nec pœnituit virum nobilem tam fortunati consilij, ob mancipatam enim Regi fidem, redditasque eidem Aquas mortuas, Marescalli Franciæ dignitatem obtinuit.

Villanoua et Vallonsium Regi traduntur.

Mommorancius Vallum aggreditur.

Moresius necatur.

Vrbs Regi deditur.

Castilionæus ad Regias partes transit.

Post Viuarienses motus compositos Ruauxius interposita Regis autoritate ab hæreticis iuxta ac Catholicis arma deponi iubet, vtriusque religionis viros ad arctissimam deinceps iungendam amicitiam sollicitans; positis confestim armis paruere rebelles, sed crudiora longè in ijs flagrarunt odia nullis Regis monitis minisque consopienda; exacti siquidem ab ijs paternis ex ædibus Sacerdotes complures, raptati, discerpti, omnique iniuria atque ignominia affecti, sequuta deinde programmata conuicijs contra Regem, regijque regiminis formâ consertissima, apologiæ, prosopopœiæ, virulentæ, felleque imbutæ satyræ, alijque execrandi libelli ab hugonotis conscripti. Molinæ-

Sectariorum in Sacerdotes sæuitia.

Sparsi contra Regem libelli.

us cum reliquis Carantoni prædicantibus tribus scriptum iam antè vulgauerat, in quo quas Henricus Magnus lauros vincendo decerpserat, eas innocuo sectariorum pro eo semper militantium cruore perfusas mendacibus verbis astruebat; hunc denique non aliis, quàm succollantis sectæ ceruicibus ad regni culmen euectum. Hæc sectæ deliramenta tam impudenter ingesta, quæ Parisiensis haud ita pridem damnauerat curia, confutauit abundè Cardinalis Richelæus, ac impudentissimorum scriptorum temeritatem iure coarguit, dum quod ipsâ natalium prærogatiuâ sibi vendicabat Henricus, eidem se regnum armorum suorum viribus asseruisse literis consignarent; quasi verò hæresis remora Henrico vnica non fuerit adipiscendi regni, qua semel excussa auxiliariorum armis opus non habuit, cùm communibus Catholicorum omnium votis hæreditarium efferretur in regnum.

Refelluntur à Card. Richel.

Eleuabant etiam sectarij per varios, quos sparserant codices posteriores sibi ab Regibus gratias factas, quasi iustæ mercedis in loco ponenda forent, quæ mera Regum indulgebat liberalitas: vrbes itaque sibi traditas, perinde ac sibi iure debitas interpretabantur, vnde absque graui dedecore iniuriaque amoueri non possent; hæ verò si repeterentur à Rege, arma illico, rebellionemque minabantur, aut si ab ijs temperarent, exilium perpessuros se dicebant, aut illustria consummaturos martyria. Postmodum quasi non fortiter satis eloquuti, conducibilius se rebus suis facturos existimarunt, si leonum pugnantium & ferocientium more honesta morte defungerentur, quàm si boum instar nihil vlciscentium fœdè mactarentur; indecoréque perirent. Vlterius etiam progressi seditionum concitatores nonnulli, dum hæc sempiternis inuoluenda tenebris passim in vulgus spargerent, eam lauro minime innatam vim esse, quæ capita regio etiam diademate prænitētia tuta præstet à fulmine, ea sectæ aggredienda nunc esse, quæ plusquam temeraria nemo non dixerit, si quid tamen audaciùs ac contra maiorum consuetudinē attentatū fuerit, excusaturam facilè temporum iniquitatem; in vesanum furorem desituram reformatorum patientiam, è quo tetrum aliquod oriturum sit monstrum quale superiora vix tulerint secula, quod Principum etiam capitibus barbarum in modum insultet. Hæc antè inaudita Caluinianæ facundiæ schemata, aculeata hæc contra Regem, regnique statum dogmata, sunt qui è Caluini ipsius disciplina fluxisse asserant; Reges enim, si vim mentibus circa nouam religionem inferrent, tyrannorum ponebat in loco, ideoque non repellendos tantùm verùm etiam, si

Regi minātur.

vehementiùs instare pergerent, execrandos esse censebat.

Post vulgatos libellos huiusmodi; sectarii Principum externorum auxilia frustra contra Regem implorant; sanè quidem Germani arma se, cum illis sociaturos negant sine militari stipendio, Angliæ verò Rex horum temeritatem,& insaniam seuerissimis verbis increpuit, qui contra legitimum Principem suum insurgere non dubitarent: pacem bello potiorē extitisse semper apud prudentissimos Reges, quam absque imminente graui reip. damno violare nefas duxerint;induci se minimè posse, vt Galliæ reformatis exitiale aliquid aduersus Principem suum tentaturis aurem opemque commodet, ne ad Anglos pariter emendatæ religionis cultores dimanet illico tetra paris omnino rebellionis contagio, usque adeone politicarum rerum imperitos, aut immemores existere, vt quibus potissimum artibus aucupanda sit Principum amicitia non menti occurrat, eas autem sinceram fidem & obsequium esse iureiurando illis astrictum. Pareant (inquit) in omnibus sibi cœlitus Principi dato, mox pacata illis cuncta & fortunata polliceor. Præclaro huic monito à potentissimo Rege transmisso auscultare detrectarunt sectarii: quin perinde quasi in transuersum acti longè vehementiores vbique concitatunt procellas, varios diuersis in locis indixere conuentus, oblatraturi de more in præsentem rerum statum; aut ab Rege ludificari se acerbiùs expostulaturi, qui spe inani cunctos pascere, vanisque pollicitationibus prolectare non desineret.

Externorum opem frustra implorant

Carpuntur ab Anglia Rege

Montalbani, Millauij, Andusiæ, & Alesij magno numero conueniunt, quorum ea mens omnium fuit, vt propugnaculis, aggeribus, cæterisque belli apparatibus arces omnes instruerentur, vrbesque nouæ religioni addictæ. Nec mora Priuatii, Nemausi, Monspelij pristinæ restauratæ sunt clades, infinitæ strages editæ, Sacerdotes in vincula dati, quæque exotico pietatis fuco vultum interdum obnubere secta consueuerat, expunctis his simulatæ sanctitatis pigmentis, per sacra, per profana agrestem in morem debacchata est, accersiti ab ea vndique milites, regium interuersum ærarium, compilatæ Catholicorum opes, inter mendiculos veriùs & decoctores, quàm bellatores inter diuidendæ, quibus, vt perpetrandis flagitijs audentiùs insisterent, stimulabat acriter, qui solutus nondum erat Rupellæ conuentus, perinde quasi è fatali hac rupe certa minimeque fallacia petenda forent oracula, quæ absque immani scelere, grauique noxam comitatura pœna repudiari non possent. Et sanè admittebant & osculabantur hæc omnia sectarij, quasi à Francica Calui-

Latrocinijs grassantur.

nianorum Roma profecta, Monspelienses præsertim sanctum quidquid ab huiusmodi turbarum, errorúque furoribus doceretur, arbitrati.

Monsp. Calvin. furor in Catholicos.

Manauerat rumor ab Rupella, nescio quis, quo Monspelium perlato, portis confestim obseratis in Catholicos durirer, & impiè captum est agi, vetiti quippe sunt demortuorum suorum cadauera ad suburbana vrbis templa, vti moris erat, efferre; plerique quo excubias agentium oculos fallerent, simulato corporis habitu, furtim ex vrbe dilabebantur; verùm non illis impune abibat plenus humanitate honestateque dolus, horum enim in ædes agminatim irruebant sectarij obuia quæque direpturi, quo tempore adeo longè lateque vagabatur effrænis prædarũ agendarum licentia, vt toto Monspeliensi tractu amplissima cuique latrocinandi copia fieret, vnaque sibi modum faceret cuncta impunè populandi cupiditas. Et quia de calamitosis Monspelij rebus sermo incidit, haud abs re fuerit, quæ armatus perduellium furor proximis pagis damna intulerit, breuiter enatrare. Cellanoua oppidum est cæli solique clementiâ cæteris longè præstantius, circa quod peramænæ visuntur Monspeliensium procerum villæ. Eius loci Catholici, veriti, ne quid sibi mali cuderetur à grassantibus passim hæreticis; quæ domesticâ è supellectili luculentiora diligẽtiùs asseruari volebant parœcialem sacram in ædem transtulerant; quin & ne vis aliquid externa turbaret, excubantes inibi præsidiarios collocarant. verùm quid integrum esse potest à vesana prædandi licentia; eo gregatim perduelles aduolant non pauciores ducentis, religiosam in ædem irrumpunt, eamque compilatâ primùm oppidanorum gazâ festinato vastant incendio, stationarios vim vi primùm repellere aggressos, tum supplices, veniamque sibi fieri postulantes immaniter cædunt, Diuorum proturbant effigies, aras euertunt, cuncta denique religioni consecrata diripiunt. At quia sceleri velox interdum obequitat pœna, Sacrorũ depeculatores nefarij graues haud ita multò post facinoris impij pœnas dependerunt, horum enim vnus è muro, quem deijcere connitebatur, pronus in terram deuoluitur, sauciatoque grauiter capite linguæ primùm vsum impia in Cælites scommata iacere assuetæ, postridie verò lucis vsuram amisit. Ex ijsdem prædatoribus duo interiecto breui temporis spatio inter ingentes animi corporisque cruciatus viuere desierunt; auditique sunt, cùm non absque lacrymis, frequentique eiulatu, ac magna præteritarum noxarum pœnitudine, grauiora quàm quæ paterentur, promeritos se fuisse dicerent, quod augustissimam Dei Genitricem impijs sacrilegisque di-

Cellanouam expugnant.

Sacra & profana diripiũt

occidunt.

plectuntur à Deo.

cterijs violare perseuerassent, sacramque eius imaginem tradidissent sacrilegis flammis absumendam.

Idem turbo è Cellanouensi in Claperium pagum contra fidem datam acceptamque conuertitur, aggerantur cædes, locus fœdè diripitur:& quia communiter nunquam peccat rebellio, immane postmodum aggressi sunt facinus. Restabant adhuc perpauci ex edita multorum laniena, quos inter Sacerdos erat, idemque loci parochus, hunc ex ædis sacræ fastigio in subiectum saxum præcipitem agunt, semianimi nares præcidũt, cadauer in frusta dissecant, quæ mucroni hastæ imposita perinde ac venalia salsamenta per oppidum totum cum sacerdotalis muneris ludibrio cachinnones circunferunt. Nec Grabellum barbaro more furentium sæuitiâ exemptum, oppidum est terno fere milliari Monspelio distans, contra quod biduo toto libratæ ab hostibus obsidionales machinæ; pestititque sub missilium nube interrita obsessorum constantia, donec desperato auxilio, bellicoque deficiente instructu, honestis conditionibus inita pax fuit, quæ tamen haud diu stetit, ab hostibus quippe icti iam fœderis violatoribus labefactata; ab ijs enim, quam aduersus villaticos continuerant, contra Deum Cælitesque effusa vis est, sacram Numinis ædem structura egregia, & pretiosa supellectili pro loci tenuitate instructam magna ex parte deiecerunt in planum. Exin Gignacensem vrbem inuadunt prædones quadringenti Suffrenio ministro in antesignanum delecto, Oppidani horum aduentu territi in augustissimæ virginis Dei Genitricis templum, quasi tutum in asylum, aramque miseros tutaturam perfugiunt; occupant tamen rebelles ædem sacram Marianis prodigiis Occitaniâ tota percelebrem, virginisque speciem, quasi virginis in ea cultum aut virginem ipsam violaturi fœdè proculcant, quotque se Magnæ illius Matris patrocinio texerant, inde ferociter exturbant.

Claperium vastant.

Ludibrium addunt sacerdoti occiso.

Grabellense Templum diruunt

Gignacum inuadunt.

Est porrò Gignacum haud ignobilis vrbs, quinis gallicis leucis Monspelio dissita, nulla tamen re illustrior, quàm antiquo in Deiparam cultu; nam diu iam est, cùm salutarem hanc pietatem venerationemque intimis hausere sensibus oppidani. Non procul ab vrbis mœnibus lignea crux erat vegrandi saxo infixa, ad quam cùm frequentiùs vir pius aliquis ab ipso natali die oculis captus supplicandi studio adduceretur, contigit illud sanè mirabile, vt Cælitum Reginæ vocem inaudierit, vrbanis magistratibus denuntiare iubentis, cordi sibi esse hunc locum, quem ædificatâ rite Ecclesiâ consecrari sibi maximè vel-

Vrbis situs & pietas erga Deiparam.

Pietatis origo & antiquitas.

let. Interim ne quid super hac re cæcus addubitaret, Christiparam esse se, vti re vera erat, asseruit, probauitque miraculo, infusa protinus cæci oculis luce, potestateque videndi. Tanto hoc excitati prodigio qui tum aderant vrbis præsides magnificum satis Deiparæ Virgini templum erexerunt, cuius locuples habetur mentio in literis Ioannis Presbyteri Cardinalis tit. SS. Nerei, & Achillei, & per concessionem Apostolicam anno 1372 parœciæ Gignacensis Prioris. Templum autem hoc à sacerdotibus senis ad annum vsque 1566. sub Carolo ix Galliarum Rege administratum, quo tempore debacchante Caluinianorum perfidia dirutum est, cum eo pariter magna ex parte concidit antiqua Catholicorum erga Dei Genitricem pietas, incensusque olim in eandem amor elanguit. Quamobrem rectè facturos se putarunt Gignacenses, si è consecratis Deo mendicantium familiis pios aliquot euocarent Cœnobitas, qui quà Ecclesiasticis concionibus instituendis, quà edendis Christianarũ virtutum documentis, depulsâ, quæ per id temporis irrepserat, impietate proscriptam iamdiu sanctitatem reuocarent.

Diruitur B. virg. templũ

Accersiti sunt igitur Franciscani, è religiosa admodum Patrum Recollectorum disciplina, quorum opera, continuatisque laboribus, quod diu iacuerat reparatum est templum, quod postmodum ab Antimarianis ijsdem anno 1620. solo æquatum, iterumque longè maiori quàm olim elegantia reparatum assurrexit, in eo namque & quæ peritos statuarum artifices, & industrios cum non exigua voluptate remorentur pictores, intueri demirarique plurima licet: sed præsertim rapit omnium oculos recens Dei matris effigies ex alabastrite lapide cubito dextro IESVM filium sustentans, brachium dextrum porrigentem benè precantis in modum: qua in effigie naturam planè assequuta conspicitur ars, tamque similis virginum Reginæ videtur imago, quàm ipsa sibi ferè Regina. Prodigia non commemoro, quæ innumera propemodum augusto hoc contigere in templo, Hæc autem satis illustrant cerei complures Mariano tholo in æternum anathema ab ijs qui potentem Virginis experti sunt opem, appendi soliti. Non deerraui à proposito mihi scopo, si de Christipara, pauca hæc referenda esse duxi, Quis enim aut Historici, aut Oratoris personam sustinens, si modò in argumentum occurrat integerrima Dei parens, calamo temperet, & stolidam, ingratamque præ se ferat ieiunitatem. Præterea accensa Maiorum nostrorum in castissimam virginem studia refricare par est, vt clariùs innotescat Caluinianorum impietas, qui

Restauratur à PP. Recoll.

Deipara effigies, & miracula.

eandem

eandem Incarnatæ Sapientiæ Parentem non è carnalibus tantùm cordis tabulis, sed è templorum suorum septis exterminant, eam imponi sibi Reginam abnuentes, quam supremi etiam Principes in patronam vitæque suæ moderatricem adoptant. Persurebat idem in Catholicos districtus ab hæreticis gladius, eademque violandorum templorum libido, quamobrem eu^a^stata Corconensi Numinis æde, Sacræ comminuuntur effigies, cunctaque passim polluuntur, quæ profana etiam manu contrectare prohibebat religio, Oppidani re sua omni, ac pecuaria præsertim euertuntur: quæ flagitia minimè conscio, addo & inscio Castilionæo suscepta, consummataque referunt Monspelienses Annales; hic enim Regis mancipatus obsequio, in id vnum assiduè incũbebat, vt pares sibi faceret omnes, & ad fidem pariter concesso sibi cœlitus Principi obligandam pelliceret, dum sectarij calcitronum mote sapientissimis solertissimi viri consilijs repugnantes hostilia nunquam intermitterent; Nemausenses enim Seruiense castellum Brisonio Duce nouo Nemausi gubernatore inuadunt; iamque prope erat, vt curulibus machinis quaterentur mœnia, cùm Mommorancius Dux Portesium Marchionem cum cohortibus suis, Caluisonique bellatoribus aduersus obsidentes immittit: nec mora fusi, fugatique perduelles, atque ex ijs complures occisi. Exin Mommorancius Margaritam, qui pagus est Nemauso haud amplius terno milliari dissitus repentina obsidione circumuallat, occupatque post atrocissimam pugnam. Cæsi hac in dimicatione sectarij circiter quinquaginta, è Mommorancæis octo præter vulneratos duodecim.

Corconense templũ polluitur.

Mommorancius Seruiensi castro auxiliatur.

Margaritam oppidum capit.

Hæc inter Occitaniæ dissidia mite semper aliquid Rex agitare solitus, per Giuaudanum in Monspeliensi subsidiorum curia senatorem hostibus pacem offerebat, cuius ad mentionem iniectam, qui factiosorum mos est, exarserunt in rebellibus acriores ad redintegrandum bellum flãmæ, strictiorique nexu deuinctus coaluit circulus, seu collecta hostium manus, quæ conculcata Regis autoritate in nefas omne proruerct. Hoc enim tempore, regio ptimum ære interuerso abrogata Catholicis est ciuilibus in rebus, & ad hæreticos translata potestas: delegati per varias Galliæ ciuitates, qui circulatorum placita vbique custodiri iuberẽt. Atque huic circulo è variis diffidentibusque inter se membris compacto haud inuenustè chimæræ nomen est inditum, dum circulatorum alij violentos leonis æstus æmulati, in vnum id animo propenderent, vt tota aggeratis hostium cædibus incendijsque vbique sparsis funestaretur Gallia, alij inflammatiora

Pacem à Rege oblatã recusant hæretici.

Circulatores Chimærici.

hæc ſtudia reſpuentes, occultis draconum more gyris, hoc eſt fraudulentis artibus ad venenatos tutiùs morſus defigendos adrependum eſſe cenſerent. Excitabantur paſſim ab hæreticis arces, cum arcibus creſcebat eorundem audacia, comminuebantur æra campana ſacris è templorum turribus extracta, ſacris interdicebantur Catholici, quorum iure clades ſuas dequerentium communis hæc vox erat, molitos id eſſe ſectarios, vt poſt direpta, euerſaque ſupremi Numinis templa, Numen ipſum ex hominum mentibus expungerent, cuius cultum condito ab ſe recens edicto proſcripſerant; quod hîc exſcribere pretium operæ duxi.

Arces conſtruunt.

Cùm legatis à circulo miſſis incompertum eſſe non poſſit Papiſtas in cunctis Vrbibus noſtris perhumaniter ſemper habitos, ac indulgenter etiamnum haberi; contrà verò reformatos in iis, quibus Papiſtæ præſunt Vrbibus, ab obeundis religionis ſuæ muneribus per ſummam indignitatem arceri, quod Montagnaci, Florenſaci, Vindemiani, aliiſque circùm oppidis contigit, eùmque in templa etiam noſtra ferro flammiſque graſſari non deſinant, ignorarique à nobis non poſſit, ad delendam funditus religionem noſtram hoſtium arma per varias regni prouincias circunferri; eam ob rem, & quia iniquis aggreſſionibus iuſta eſt opponenda defenſio, ex omnibus reformatæ religioni ciuitatibus datis aut oppidis, ac Monſpelienſi præſertim ex Vrbe, Miſſam, aliaque Papiſtarum ſacra proſcripta eſſe denunciamus, Monſpelienſes inſuper Papiſtas intra Vrbis huius ſepta detineri iubemus, à nobis conſimiliter accipiendos, vt illi ſuis in Vrbibus reformatos habuerint. Monſpelii 20. Nouemb. 1621. Meyrieux *Præſes.*

Horum edictum.

Proſcribitur Miſſa.

Impium hoc edictum ægrè admodum tulere Catholici; exulcerabat enim omnium mentes ablegatus omnino cœleſtis hic, qui piorum in cibum diuinitus deſtinatus eſt panis, grauiùſque premebat condita ſacro huic abolendo myſterio ſyngrapha per apparitores ſacerdotibus ſignificata. Verùm ne ſuauiſſimâ hac diutiùs priuarentur annonâ; è Catholicis nonnulli clàm priuatis in ædibus tumultuarias erexerunt aras, in quibus immaculato rite litatum eſt Agno: hos autem fuiſſe perhibent Grillæum magnæ autoritatis virum, & Vigneſium cauſarum patronum, priſci moris, romanæquæ religionis tenaciſſimum: cuius in domo cùm ſacris operaretur ſacerdos, ac auguſtum Chriſti corpus ſublime tolleret aſtantibus cũctis adorandum; adfuit excubitorum tribunus ab hæreticis, quibus id ſuboluerat miſſus, & mox quaſi Guillelmus alter Aquitaniæ Dux latentis ſub panis in-

Hoc indignè ferunt Catholici.

Sacra fiunt priuatis in ædibus.

His terretur Hæreticus.

uolueris Dei Maiestate perculsus, terga vertit illico, cùm abscondi-ti quidem, præsentis tamen Numinis vim ferre non posset. Magnum hoc, quod intuitus erat mysterium, clàm habuit; quippe religione prohibitus, perlatum tamen id est in vrbanam basilicam à veteramentario, qui postmodum atroci cæsus in pugna, debitas intemperantiori linguæ pœnas exsoluit. Nihil omnino Vignesio[illegible]uit, quod hospitio suo mundi reparatorem exceperit, contrà verò cœlestibus cum muneribus hospes tantus impertijt, quæ in nobilem eius familiam verè piam & Catholicam redundarunt. In Grillæi verò domo cùm rem diuinam faceret Andreas Trial vir morum candore & singulari pietate inter suos clarus, comprehensus ab hæreticis est, & cum ipso sacrificantis habitu, totâ iactis in eum scommatis perstrepente viciniâ, in consulare ductus comitium.

Rohanius Castilion. sufficitur.

Castilionæo ex Occitanicarum, vti appellant, Ecclesiarum præfectura depulso communibus omnium votis sublectus est Rohanius, moxque gratulatoriæ à Rupellensibus ad Monspelienses venere literæ exaggeratis eius laudibus cumulatæ; in quo cùm summa omnia esse affirmarent, claritudinem tamen generis, ac moderandorum bellorum peritiam altiùs extollebant, rogabantque, ne ad pios eius prouehendos conatus parciùs æra, cæterosque bellorum commeatus submitterent, nihil his deperiturum polliciti, qui pro communi religionis incremento afferendaque reformatorum salute sua largiter impertirent. Commendabant insuper initum recens à sectæ proceribus Montalbani propugnandi consilium; monebant postremò, ne inconsultis comitiorum præsidibus in vllas cum Regiis pactiones, pacisque conditiones descenderent. Verùm superuacanea tot erant hortamenta, cùm promptissima ijs Sectarij Monspelienses spopondissent auxilia, En quod ipsi conuocato in cœtu promulgarunt edictum.

Rupellensis literæ ad Monspelienses.

Sectariorum edictum.

Proceres è quinque prouinciarum vrbibus ad comitia Monsp. delegati, omnibus has literas inspecturis S. Cùm reformatas Gallici regni ecclesias diuexare pergant Papistæ, acriùsque quotidie inualescant hostilia in religionem nostram odia; è re fore nostra duximus, si, quoad eniti poterimus, nefarios eorum conatus infringamus: quod haud difficulter perfecturos nos spes est, eaque minimè dubia, si qua vrbium nostrarum securitati nocitura sunt, procul auertamus: caueamusque diligenter, ne quæ ad salutis nostræ, fortunarumque tutelam concessæ sunt arces, cedant in aduersantium nobis perfugium. Quamobrem, ne quid non antè prouisum nobis contingat, sancimus, ac

pro ea, qua pollemus autoritate iubemus, ut omnes Papistarum Ecclesiæ, tum intra urbium nostrarum septa, tum aliis in locis erectæ, claustralium item monachorum cœnobia, campanilia, aliaque Ecclesiasticorum ædes quæ munimentorum loco hostibus nostris erunt, aut esse poterunt, sublata omni cunctatione disturbentur, ac in planum deiiciantur Monspelij 15. Decemb. 1621. Lepontius *Præses*, Pauletus, *adiun*[illegible] Petræus, *&* Richardus *à secretis*.

Hæc tametsi incredibili astantium plausu accepta fuissent, horum tamen vni haud ita probata res est, tristeque intuentibus spectaculum fore asseuerauit; verùm quia vastis sacrarum ædium ruinis oblectandi erant ciuium oculi, decretumque sic fuerat, maturandum opus censuit; ne, quorum in id collimarant sententiæ, ludificaretur autoritas; priùs tamen, quam tetro facinori sacrilegas manus admouerent, Numinis ipsius opem, cui nefarium bellum indixerant, efflagitare nituntur. Ieiunium itaque cunctis solenne indicunt, quod tum maximè imperant, cùm arduum aliquid, & periculosum aggressura est secta. Vt autem parum sobrias ex imposita sibi, & susceptа haud ita gratantèr inedia, mentes traxisse planum faciam, referam quod ipsi carmen ante hanc sacrorum ædificiorum cladem cecinerint. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum Sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.* Non profectò satis attendebant hæc contra se à Regio vate expostulari, præstringique vnos se, qui tot templa tanta religione vallata infinitis polluissent sacrilegiis, nec adhuc à vecordi hac mente, fœdandorumque ac euertendorum sacrorum insania temperarent.

Ieiunant ante templorum euersionem.

Et contra se cantant, siue occinunt.





HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB LVDOVICO XIII. REGE



LIBER TERTIVS.

Anno Christi 1621.



EVM almamque Dei genitricem oppugnare non cessant hæretici. In Riuensi diœcesi circa id tempus nefarium per eos susceptum peractumque est bellum. Vix alibi funestior Religioni Catholicæ importata est clades; ab ijs siquidem non solum expilatæ, direptæ, sed in equina etiam præsepia Ditiorum commutatæ sunt ædes, inquinatæ fimo basilicæ; pro alternantibus quotidianas preces sacerdotum choris, auditi haud

Sacrilegia hæret. in Riuensi diœcesi.

absque horrore crebri dossuariorum iumentorum hinnitus, A conspurcatis supremi Numinis ædibus, in hospitem ipsum impia, feralique rabie procursum, Ecclesiasticâ compilatâ supellectili, sublata per vim Eucharistica pyxis, ludibrio habiti panes, qui inerant sacri, proculcatum Electorum frumentum, Crucis Christi labarum in signum datum, cui contradiceretur, & in quod, veluti propositum sibi scopum Christiani nominis hostes venenata tela depromerent. Eadem Christi de Cruce pendentis effigies equorum caudis illigata per Tonnesiæ vrbis compita à cachinnante circùm plebe, scelerate traducta. In Apamiensi tractu mactatæ à Sectarijs Scrofæ, ac per eosdem supplicantium more per ædium sacrarum ambitum circumlatæ, tum lustricis baptismi fontibus ad parandam salsamentorum annonam fœdè immersæ. Hæc inaudita Catholicæ religionis ludibria coram Rege dequestus est Petrus Cornulerius Redonum Præsul; quo tempore habita sunt Lutetiæ Parisiorum Ordinis Sacri comitia, quæ omnia ægrè adeo molestéque Rex tulit, quique cum eo aderant aulici, vt eorum plerique à fletibus non temperarint; & quia nullis reorum lacrymis abstergi poterat fœditas tanta, tot sacrilegia sacrilegorum ipsorum cædibus expianda esse duxerunt, ne si hæc haberentur impunè, non tam venia foret, quàm scelerum admissorum patrocinium.

Impietas in S. Euchariſtiam.

Et in Crucē.

Apamienſium ſacrilegia Regi ſignificata.

Antequam vlteriùs progrediamur, stylum ad se aduocat Mariana Monspeliensium ædes, quæ post ferale illud edictum, cuius superiore libro meminimus, restituta cùm esset à Catholicis, solo iterum æquata ab hæreticis fuit; hanc peruiam omnibus prodigiorum officinam per Dei Genitricem patratorum aliàs iure appellaui, cùm cuiuslibet morbi doloribus affecti promptam inibi Mariana ex ope medicinam, sanitatemque depromerent. Simulacro autem erat indita edendorum mirabilium maxima vis è nigricante ligno confecto, quod stantem almam Dei Genitricem exhibebat puerum IESVM cubito læuo sustinentem: atque id ne temporis longinquitate splendida quæque corrumpentis fatisceret, in argentea eiusdem Numinis parentis effigie clausum persimilis quidem formæ, sed humanam exæquante staturam diu latuerat, latuissetque ad id vsque temporis, nisi sæua perduellium barbaries cum sacrilega impietate coniuncta virginalem hanc speciem, pudoris vndique radios emittentem è loculamento suo extractam varias comminuisset in partes, partes verò, quia argenteæ erant, fœda prædonum rapuisset auaritia; cui cùm non satis es-

Mariana Monſp. ædes euertitur.

Miracula illic edita.

Effigies Deiparæ.

Rebelles ſacra deprædantur.

ſet quidquam, nec eſſe poſſet, ablatæ contuſæque ſunt aliæ Diuorum icones, altarium ornatus ex attalico panno, phrygio textu elaborati, ſacerdotales amictus auro, argento, ſparſiſque varij generis lapillis locupletati, Calices aurei argenteique affabrè facti à profanis graſſatoribus abrepti, ſordidos in vſus commutati, ſacrorum organorum tubi in cauponias lances eliquati.

Tota ea nox permixtis gementium Catholicorum, inſultantium verò hæreticorum clamoribus, veriùs quàm inumbrantibus cœlum tenebris inhorruit. Perſtrepebant vbique acuentium ſe ſe ad ſacrorum cunctorum expilationem inconditæ perduellium cantilenæ, ad congeminatum hoc verbum *Harlan*, quæ vox ad irrumpendum teſſeraria fuit, quaſi œſtro aliquo perciti, aut armatæ facibus à tergo vrgerent animarentque furiæ, in omne confeſtim proruebant latrocinandi genus; maximè vbi flagrantiores ad audendum conſummandumque nefas omne ſtimulos admouerent ſectæ miniſtri, turbarum incentores præcipui. Poſt feſtinatam Marianæ baſilicæ cladem, quia haud facilè reſtinguuntur incenſi ſemel habendi cupiditate animi, direpta euerſaque eſt Canonicorum ædes, extracti ex eorum bibliotheca codices varij tituliquc, & in ignem coniecti, ſacerdotes vndique ad cædem quæſiti, interturbata Catholicorum poſt obitum quies, horum cadauera è ſepulchris ſuis eruta, inſpecta, traducta, prætereuntium ſannis ludibrioque per dies aliquot expoſita, exin fruſtra tentatum Benedictinorum Anianenſium cœnobium, fuſi fugatique rebelles cum centurionibus ſuis, quos pariter in Deum ipſum, cæliteſque aut importuna prædandi libido, aut inueteratum odium contra Catholicam religionem armarat. *Impietas in mortuorum corpora.*

Hæc omnia ab Occitanis perduellibus nefariè ſuſcepta haud vſquequaque probabantur ab omnibus etiam nouatæ religionis ſectatoribus; Leſdiguierio certè doluit plurimùm, quòd Monſpelienſes tot admiſſis in regem flagitiis, (oppugnantur enim in ſuis Principes) poſtremam ſibi cladem accerſerent, quos vt iuſtum in obſequium flecteret, Ducroſium ſemipartitæ cameræ in Delphinatu Præſidem ad Rohanium mittit, comitemque ei adiungit Dumaſium Gratianopolitanum, erant quidem ambo ſectæ veneno imbuti, prudentes tamen admodum viri, ſpectatáque in multis fide Regis amicitiam promeriti. Hi Monſpelium ad Rohanium adeunt, fidem ab eo datam ſollicitant, orantque vt abſtractos à Rege populos, quia ſic antea ſpoponderat, reducere connitatur ad frugem. Verùm quia noxia ple- *Rohanius hæc flagitia improbat.* *Troceres mittit ad Monſpel. placandos.*

rumque sunt consultoribus ipsis sanciendæ pacis consilia, suspicati rebelles fœdus per eos cum regiis attentari, & quod de Romano quodam literis proditum est, pacem, quam noxiam sibi fore putabant, in Ducrosij sinu afferri, mox per Occitaniam totam explicando, nisi forte reformati obsisterent: enim verò repentinas in furias acti, tetrum, barbarumque facinus meditantur, quod in Præsidis conuersum est caput. Illi enim nebulone in ducem assumpto, cui Cadeto nomen fuit, longè audacissimo, immanisque naturæ viro, Ducrosianas in ædes immigrant, & quia nullæ occultiores sunt insidiæ, quàm quæ latent simulatione officij, salutant primùm hilariter officioséque, tum mollia, & festiua quadam vrbanitate conspersa ore planè renidenti loquuntur. Exin Cadetus induta seueritatis persona, truci, barbaroque vultu secum aliquid agitans, tacitéque mussans, & mox ad Ducrosium versus, *Ten, inquit, scelefte, tene communis reformatorum causæ proditor, hanc in vrbem appellere ausum, vt Rohanium religionis nostræ propugnatorem à partibus nostris abstraheres?* Trepidanti Præsidi, multaque dicere paranti, effari verbum vel vnum minimè licuit; in eum enim edito signo percussores irruunt, multisque confossum vulneribus crudeliter enecant. Dumasius è fenestra præceps labitur, crureque fracto, reptat vt vt potest, paratamque cædem deuitat, Præsidis filius, cohibitis ad tempus orbitatis suæ lamentis, nocturnis extinctis funalibus, multo se se peristromatum aggestu contegens præsenti se se paternæ sortis experiendæ periculo cautè subduxit.

Malè accipiuntur.

Ducrosius necatur.

Feritatem hanc execratus Rohanius, in sicarios huiusmodi quàm citissimè inquiri iubet, in quorum septenos capitalis pœna sancitur; alijs de furca pendentibus frangitur gula; alijs rota irrogatur supplicium: alij in quibus non causa, sed gratia præpotuit, ad remum damnantur, aut virgis per vrbana quadriuia cæduntur à Carnifice. Ducrosius in Diuæ Catharinæ templo; seu potiùs euersi templi ruderibus sepulturæ mandatur, quem in locum crebrò factiosi conuenire soliti, nomen inde Catharinotorum traxerunt: qui execrandus decoctorum hominum grex, proculcata omni religione, sanctis regiorum administrorum capitibus barbarum in modum insultare solebat, Ducrosij percussores ex hac hominum colluuione natos Monspelienses memorant tabulæ. Cadetus reliquorum ad immane crudelitatis exemplum antesignanus, iustam vt pœnam deuitaret, celeri fuga ad Cebennates quasi tutam in stationem contenderat, vbi Rohanij iussu

In Sicarios inquiritur.

Supplicio afficiuntur.

Catharinoti vnde sic dicti?

nij iussu comprehensus Monspeliumque ductus fractis in rota cruribus, brachijsque immane facinus luit.

Molaurensis castri obsidio. Sequitur Monlaurensis castri obsidio die Sanctioris hebdomadæ cœpta; quo tempore ob triste campanarum silentium lugubri, explosæ ab hæreticis magno cum fragore obsidionales machinæ quatuor, sexagenique continuata emissione intorti maiores in propugnacula globi, quibus nondum satis ad insiliendum patentibus, cæca tamen ducti temeritate irrupere sectarij, sed validè cum non exigua suorum strage repulsi. Nox resarciendis muri ruinis ab obsessis impensa, dùm interea è ferali stratorum cadauerum intuitu ferociores longè spiritus perduelles haurirent; quamobrem prima luce obsidionales iterum fulminant machinæ, mœniumque partem deturbant. *Bosquetus toparcha indignè habetur à perfidis.* Bosquetus loci Dominus, militaris ingenij operumque præclarus, sed paucitate suorum deterritus, ancepsque animi, quid in his potissimum moliretur angustijs, quod illustre tum nobilitatis suæ, tum præclare gestorum decus minimè obteretet, qui bellatoris egregij partes cum dignitate sustinuerat, prudens postmodum sapientissimi ducis consilium capiendum sibi esse duxit; in bello siquidem noxia pariter habentur timiditas ignaua, & audacia præceps, siue insana temeritas; & ab vtroque allidendæ comminuendæque famæ scopulo tutum se præstitit, euocatis ad colloquium hostibus, nullas nisi decoras castelli dedendi conditiones admissurus; in quod, dum interea colloquerentur ex vtraque parte proceres, furtiua se se irruptione insinuant milites aliquot ex hostium lecti manipulo; hos alij atque alij tacitè, pressoque subsequuntur vestigio; omnes vindictæ cupiditate incensi, solitáque perfurentes rabie, stricto gladio, stratis obuiis quibuscunque ac villaticis præsertim, qui eo finitimis è pagis confugerant, immanem edunt carnificinam. Bosquetus mixtis cadentium cædentiumque clamoribus excitatus, ad ferale hoc spectaculum horruit, damnatáque hæreticorum fide, quæ quo tempore iustum in fœdus dilabitur, violatores eius esse sustineat, in turrim protinus insilit, cum tricenis, quos secum duxerat, extrema prius quæque toleraturus, quàm vt iterum fœdifragorum se fidei potestatique permitteret; & ad id ipsum offirmarant animum reliqui, infractaque mansisset constantia in exsorbendis obsidionis difficultatibus, hostilibusque aut repellendis, aut excipiendis missilibus, ni validius obortæ famis telum omni plane commeatu defectos ad deditionem compulis-

ſet; cuius dum honeſtæ conditiones poſtularentur, præclarè ſiquidem monent ſapientes, ſic demum tempori præſentibuſque neceſſitatibus ſeruiendum eſſe, vt ratio ſemper habeatur decori, amica omnia ſperare iuſſere ſectarij; quamobrem reſeratis valuis intromittuntur in turrim, ſed inſpecta obſeſſorum paucitate, recrudeſcentibus odijs, actique vindictæ ſtimulis, pudendum ſe quid indignumque vetere gloria facturos denunciarunt, ſi cum ijs in vllas fœderis leges deſcenderent, quos ſolenne belli ius dederet victorum nutibus obſequuturos; quotus enim quiſque eſt qui cum ſupplicibus, auxilio, animoque defectis pactus eſt vnquam? nec mora priuſquam iugulum peterent, ſpoliant obſeſſos, lineâ tantùm vnicuique relictâ ſubuculâ. luctuoſum ſanè ſpectaculum, ac luctuoſius longè, dum conueſtiendis graſſatoribus nonnullis Boſquetus ipſe Baro veſtes ſuas exuere cogitur, auertére haud dubiè oculos præſidiarij ab hoc viri tanti, herique ſui dehoneſtamento. hic verò altiſſimo vir animo in inopino hoc caſu conſolatricem aduocauit innatam nobili familiæ ſuæ fortitudinem, ſeque ſua multis in rebus teſtata virtute inuoluit, donec miſerante ex hoſtibus vno reſtituta eſt veſtis, non reſtituta tamen pax, nec exſoluta, quam hoſtes, dederant fides.

Infractus eius animus.

Factum iam ſatiſerat auaritiæ; barbaræ, immanique crudelitati reliquum attributū eſt tempus. Horret animus ferales huiuſmodi ſtylo repræſentare tragœdias vix apud poſteros habituras fidem, niſi teſtatiſſimæ forent, illuſtrique nobiliſſimorum virorum ſanguine conſignatæ. Quini, qui cum Boſqueto durabant inter has contumelias, atroceſque hoſtium minas, data ſecuritate iubentur è turri paratis ad id ſcalis deſcendere, obſequuntur ſtatim, tametſi crudum ſibi aliquid deſtinari ſuſpicarentur, & quia magnas generoſaſque animas pro Catholica tuenda religione profuderunt, horum edam nomina faſtis iamdiu æternitatis inſcripta. Primo nomen à ſancto Clemente fuit, eratque is omnis laude clariſſimus, quem proximè ſubſequti ſunt Robini in ſubſidiorum curia Præſidis filij, Quintus è nobiliſſima Mirabellorum familia; hi omnes perinde quaſi victimæ quinæ hæretico ſatiando furori deſtinatæ, non mactati ſunt ſimul, ſed vbi primùm è turris culmine deſcenderat aliquis, præſto aderat ſicarius, qui eum ſilentio iugularet, cæſique corpus occuleret, ne proximè feriendi oculos perterrefaceret ferale necatorum commilitonum ſpectaculum. Immane fuit Mirabelli matris illuc properanter appulſæ lacrymas, & allatum redemptionis pretium à barbaris reij-

Necantur Sanclementius, Robini fratres, & Mirabellus.

Mirabelli matris lamenta.

ci, at immanius multò contabescentis præ dolore illustris fœminæ oculos iniusto carissimi filii sanguine cruentare. Bosquetus è turris fastigio hanc lanienam conspicatus, ac tam constanter obitis suorum mortibus vnum superesse se in dedecus vertens, biduum totum sine vllo cibo potuque traduxit, tracturus longiùs inediam, ac ferro priùs flammisque perire obfirmatus, quàm vt se se hostium fidei toties violatæ concrederet: verùm intercessit nobilissimorum cognatorum turba, contrarium enixè rogantium, quibus ægrè annuit ille Caluinianam perfidiam obiectans, ac tandem cum vicenis quaternis quos secum habebat, ad castrum Sancti Desiderij; illinc postmodum cum quatuordecim è toto numero lectis, quasi iure belli captus Sumedriensem in arcem perducitur, deni reliqui post infinitas propemodum toleratas ærumnas, triduo pòst suspendio necati, quod autem pudendum hoc in supplicij genere fuit, expunxit horum innocentia constansque in retinenda propugnandaque Christi fide animus. haud ita multo post Monlaurense castrum in prædam militibus datum fœdâ direptione vastatur, quique supererant commeatus, aliò ab hæreticis asportati.

Hostiù crudelitas, & perfidia.

Monlaurense castrum diripitur.

Accurrerunt extemplo mulieres, coniugum, & liberorum suorum interitum, orbitatemque suam deplorantes: quorum corpora fœdis vulneribus deformata postremos in funeris honores dari sibi postulant, ferales his inuoluendis sindones explicant. Hæ dum mixtas crebris eiulatibus lacrymas excruciantis doloris testes vbertim profunderent, falsè primùm ridentur ab hostibus; tum ferale, quod quæque linteum afferebat, dare coactæ, in triumphantis de Rege, Regijsque rebellionis vexilla mutandum. At hæc etiam paratis ad indigna quæque ferenda Catholicis toleranda videbantur, Verùm quid magnopere peccarant infantes inter matrum vbera ingemiscentes, & quid patre suo actum foret blæso tum ore rogitantes, quos hostium furor materno è sinu auulsos barbara feritate humi afflixit, protriuitque; eorundem sordes taceo, dum matronatum pudori etiam ante oculos cognatorum turpiter illuderent, ne tam fœdarum impuritatum cœno chartam inquinem, ad alia itaque progrediendum.

Mulieres cognatorum cadauera petunt.

Reijciuntur.

Sindones in vexilla mutata.

Versus in infantes furor.

Et in fœminarum pudorem.

Circa idem tempus Sangeorgiani pagi obsidionem molitur Rohanius, locumque circumiens, ac triduo toto obequitans, Vaucourte missum à Mommorancio cum præsidiarijs in Oppidanorum subsidium immissis equitibus aliquot loco cedere cogit, nec mora crebris obsidionalium glandium emissionibus territos ad colloquen-

Vastatur Sangeorgianum oppidū. dum, fœdusque paciscendum adigit, quo percusso, pagus victoris potestati traditur, armati exeunt Catholici omnes, aureisque ad tria millia repræsentatis, instantem loci direptionem redimunt. Sed quia mutabile est hæresis ingenium, loci parochum post datas securitatis syngraphas cum aliis multis demigrantē, Lunellensem in arcem aut carcerem ducunt, non inde migraturum nisi post quinquagenos aureos pro recuperanda libertate contributos: versus postmodum in oppidum furor, cuius mœnia diruunt, ædem sacram diripiunt, domos incendio vastant, aliisque circùm populationibus illatis infestum habent finitimum tractum.

Mommorancius tot illatas clades vindicaturus, atque è destinata iam pugna victoriam haud dubiè sequuturam præsagiens, equites aliquot hostilem aciem speculaturos immittit; hos nimio plus progressos fundunt, fugantque sectarij, fusos autem palatosque colligit Mommorancius, Annibalisque copijs firmat. Præcurrebant interea hostes Verunensium pontem insessuri, ni Portesius Marchio correptis illico armis propero cursu aduenisset, Ducisque sui exemplum sequuti milites, in perduellium manipulum cæsis ex ijs quindenis irrupissent, quos inter Lablaquerius tribunus militum occisus, cuius necem ægrè admodum tulere sectarij. Mommorancius interea priores nunquam satis æstimans victorias, nisi recentes semper aggereret, agitansque animo secum, in quo imminutum à perduellibus Numinis cultum regiamque authoritatem sarciret, admotas in hostium globum obsidionales machinas tam opportunè displosit, vt horum complures in frusta conciderit, reliquos confusis ordinibus turpem in fugam compulerit; verùm stetit hæc victoria Vaucourtesij sanguine, catapultariâ pila maxillam vtramque transgressâ lethaliter icti: eius obitus, qui paucos post dies contigit, Catholicis partibus, patriæque, quam contra Caluinianos incursus spreto capitis sui periculo tuebatur, luctuosus admodum extitit; sed grauem tanti viri iacturam nonnihil solata sunt crebra fortitudinis constantisque pro Romana religione studij ab eodem monumenta relicta.

Pugna circa Verunensem pontem.

Vaucourtesius necatur.

Tentatur Monferrād. castrum. Illinc tentatum Monferrandense castrum situ arteque munitissimum quippe altis præruptisque in montibus, quo vix martialium tubarum clangor, tympanorumque strepitus peruadere poterat: conuersæ tamen eo sunt murales machinæ, cassis, irritis, addo & irridendis emissionibus fatigandæ, dum interea inanes perduellium conatus festiuis iocis eluderet Fenollietus loci Comes, & Monspeliensis

Præsul, metuendus magis, quàm metuens. Hic tametsi directis in hostium agmen tormentis fulminare statim posset, abstinendum tamen primò censuit, quasi ridiculam, quam inchoabant fabulam protracturus, dimanaturam quippe in ora vulgi, crebrisque eius plausibus excipiendam: & quia cantores secum habebat Ecclesiasticos, carmen sacrum aliquod musicis numeris ordiri, iterareque iubebat, hoc perinde ac missile telum aliquod intortis, sed imbellibus hostium globis repositurus. Et audiebant illi quidem sed non auscultabant modulationibus pijs, flagrantiores irarum æstus temperare solitis; insistebant semper in eodem, tametsi ridendo Martis ludo, cúmque ad exhaustas nihil agendo, multùm tamen laborando reficiendas vires instructa essent omnia, integramque ad hæc famem cuncti afferrent; ecce tibi Fenollieti iussu, tam opportunè, tamque dextro, quod aiunt, Apolline explosa est colubraria canna, vt eorum ollam, quæque in ea coquebantur carnes, ius denique omne, ac iurulentum quidquid inerat euerterit; aheno in frusta comminuto, conuasatum illico est, serpsitque festiuum illud in vulgus, qui Fenollietum armis aggrederentur, eos non porcinam, non vitulinam, non minutalia, non pectorales altilium pulpas & alia huiusmodi gulæ torpentis irritamenta ructaturos, sed productioris inhalaturos fœtorem ieiunij.

Ridet inanes conatus Monsp Præsul.

Cernaria obsidentium olla euertitur.

Sub id Candillarguæa funditus à sectarijs deleta est Cælitum ædes; postque conculcatam supremi Numinis maiestatem, ad regiam haud absimili furore labefactandam aggrediuntur, dum omnem in se legendorum magistratuum autoritatem deriuant: Monspelij præterea nummos cudunt aliquot, quorum in conflaturam sacros calices, cruces, aureas, argenteasque lipsanothecas, & alia id genus Ecclesiarum fœdè direptarum spolia conferunt. Scio vel Marianæ solius Tabularum apud Monspelienses basilicæ, tantam, tamque locupletem supellectilem fuisse, vt quingenti circiter eius prædatores censi fuerint, qui cùm hianti semper auaritiæ necdum abundè fecissent, ad alias atque alias expilandas, deturbandasque Ecclesias sacri huius lucri odore irretiti certatim accurrerunt, quin & iterum ad perscrutanda functorum cadauera progredientes, osseas huiusmodi crates, compagesque tetram mephitim inhalantes, varias versabant in partes, an relictum in collo monile, an aureus exeso tabe digito annulus adhæresceret, exploraturi; adeò nihil horret auaritia, quod sibi proficuum putat, vnde vnde petatur non reputans.

Ecclesia Candillarguæ diruitur.

Sectarij nummos cudunt è sacris calicibus.

Diutius, quàm animo destinaram stylum remorata est Occitanicarum Ecclesiarum euersio, varijsque in locis Catholicorum edita strages; & certè si perquam difficile est in communi religionis clade non dolere, cum videas; longè difficilius est tacere, cùm doleas. Restant adhuc pleraque calamitosi illius temporis monumenta, penéque ruinas veteres eloquuntur lapides è dirutarum Ecclesiarum parietinis residui, nemini non patent inflicta nobilissimæ ciuitati vulnera. Ego, tametsi parum diligens horum inspector, video tamen sępius semirutas has ædificiorum moles, deformatas statuas, proximas lapsui decumanas portas, ferales in his nidiculantes aues, effossa mortuorum sepulchra, sicca truncataque ossa, nudatas carne caluarias, euersas cruces, aliaque huiusmodi reparatæ salutis indicia pari sacrilegio prostrata; hæc autem cominus intuens hæresis olim dominatæ vestigia, cohibere manum minimè potui, quin quod ipsi quotidie perlegerent, lugerentque oculi, literarum monumentis mandaret. Nec propterea hostile quid in se factum criminentur sectarij, dum hæc refero: amica siquidem mente, manuque conscribo, sacrilegiorum ijs fœditatem, morumque feritatem objicio, vt quidquid à maioribus suis olim peccatum est, posteritas vitet, & meliori semper famæ intenta, paterna probra ac dedecora continuatâ rectè factorum serie contumulet.

Expeditio Benearnica. Nunc Benearnia stylo nobis delibanda occurrit regiarum palmarum amplissima seges, quam vel lustrasse Ludouico, Cæsari verè Gallico, vicisse fuit; atque è mirabili hac victoriæ celeritate, Ludouiceæ felicitatis tractum est omen, quam ferè assidentem sibi habuit, aut si fefellit aliquando, illustriores ei postmodum triumphos adornauit. Eo autem ipso, quo ante annos quinquaginta Benearnicis exularat vrbibus die, restitutus fuit Romanæ religionis cultus, difflataque quæ iam coalescere incipiebat sectariorum respublica.

Prodigia quædam. Hanc expeditionem nonnulla præcesserant à compluribus obseruata prodigia; flammea siquidem in cælo conspecta crux erat, visique in agris spicarum fasciculi sanguineo rubore perfusi; quasi Cœlum & terra in Benearnici hæreseos monstri perniciè coniurasse viderentur, dum ferali hoc colore inhorrescerent. Cælestia hæc portenta sic interpretabantur non pauci, vt certò assererent graue aliquid inexpectatumque contra sectam parari, igneasque è cælo destinari cruces Dominicam aspernantibus Crucem. Consternabantur interea perduelles, iratumque sibi manifestè Numen imperato placare

Quid portenderent.

affiebantur ieiunio, sed parum Deo grata acceptaque erat hæc inedia, coacta quippe in multis, à pluribus ad intendendas tantum antiquæ coniurationis vires sobriâ parum mente suscepta.

Hæc prouincia iamdiu Caluinianâ lue corrupta sacra cuncta proscripserat; ac Episcopis reliquisque animarum pastoribus pulsis, sacros eorum occuparat prouentus; hanc igitur quippe opimum Borboniæ stirpis patrimonium nouatorum erroribus implicatam Rex ægrè admodum ferens, nihil non tentandum esse duxit, vt quidquid à Catholici gregis caulis iampridem deerrauerat, ad veritatis callem reduceret. Quamobrem orsurus à clementia conciliandorum animorum illice, Renardum clarissimum virum ad Benearnenses delegauit, horum pertentaturum animos, iustique in regem commonitum officij; sed cùm nihil ab obstinatis expressisset, nam quæ latis legibus non obtemperat, rarò se proborum monitis flecti sinit perduellio; cúmque hi regij promulgationem edicti differrent in dies, affirmarentque arctiore nexu obligatas Forcæo vni cunctorum esse voluntates, quàm vt alieno se se mãcipare possent obsequio; Rex quod præmissis humanitatis officiis, gratiæque cunctis indulgendæ sponsionibus non potuerat, enim verò armorum vi, quod vnum supererat, extorquere constituit. Delectu itaque militum habito Granatam venit. Et quia eminus etiam Reges Majestatis suæ radios emittere solent, formidanturque vbi non sunt, accepto Regis appropinquantis nuncio Benearniâ totâ trepidatum est; quem vt timorem Forcæus imminueret, Regi se se obuium sistit, monetque quod cusum erat recensedictum, in supremæ curiæ tabulas iam esse relatum, eiusque maiestatem etiam atque etiam rogat, ne porro pergere in animum inducat, pacata iam omnia esse, quodque ipse imperarat perfectum, obligatas eius fidei cunctorum se voluntates afferre, parendique amorem, quæ tamen studia propensissima in Principem suum momento disturbaturus sit insperatus eius aduentus; nam (sic enim loquebatur) quia suspiciosæ oppidò sunt hominum mentes, insidebit hæc plerisque cogitatio vltorem aduenire Regem non pacificum; aut Romanam religionem, aut atrocissimum portare bellum, quorum alterum continuò tota sit effundendum prouincia; non prudenter satis bellicam inferri mentibus vim, quæ vnis deuelatæ veritatis armis expugnari possunt; tum addidit, si quid contra legitimum Principem suum machinetur rebellio, sentio planè haud mihi satis virium fore, vt in his prouinciæ turbamentis factiosorum cœpta

Rex Granatam venit.

Cui Forcæus bellum dissuadere nititur.

disturbem; vilescit quippe Forcæi apud omnes autoritas, ex quo vnus ipse inter sectæ cultores debitum Maiestati tuæ cultum rependere pergo. Cui Rex, Atqui illud ipsum est, quod me ad lustrandam Benearniam vehementer hortatur; nempe vt enervem in commissa tibi præfectura autoritatē tuam roborem, promptamque dem operam, vt contumax nimium populus, mihi, tibique rebellare absistat. Quòd verò arduos soli illius accessus obiectare solent aliqui, nihil admodum moror; perrumpet siquidem modico labore virtus oppositos itinerum obices: cum auiis præruptisque cautibus luctabimur, asperiores cautibus hominum mentes domituri.

Non persuadet.

Terretur Benarnia Regis aduentu.

Ibat itaque Rex supremi Numinis auxilio fretus; cùm ecce quæ Galliæ toti ferox minabatur Benearnia, pacatioribus iam studiis mentem applicat; residunt illico peruicaciores illi spiritus, vel cogitato Regis nomine percellitur metu prouincia tota. Nimirum aliquid sui Deus Regibus impressit; cùm vbi non videtur, formidetur vterque, crescatque è timore reuerentia, Cælesti, terrenoque Principi meritò exhibenda. Interea Regem, cùm Arsacum aduenisset, confestim adeunt Pali Consules, rogantque ad eius pedes affusi, vt quò se in vrbē apparatu intromitti maximè velit, significet; regio (inquit ille) cultu vrbem inirem, si locus sacer superesset aliquis, ad quem, velut ad portum post longam difficilemque iactationem appellerem: Nunc verò cum infausto hæreseos, rebellionisque turbine Catholicorum templa conciderint; tanquam priuatus ingrediar, ne qua ex vrbe Rex ipse Regum iamdiu ab hæreticis pulsus exulauit, intempestiuum in ea decus ambire videar. Ingressum in vrbem adiere Magistratus, post salutationis officia, magna quæque, promptum præsertim ad imperata obsequium polliciti, quibus omnibus verba scita quadam vrbanitate condita reposuit, & horum plerosque ad se nec repugnantes pellexerat; cum factiosi nonnulli ne diuturniorem hoc in tractu moram faceret, commeatū omnem auertere satagebant: sed nouis annonæ dispensatoribus affatim cuncta ad esum cultumque suppeditantibus, egregiè ludificati sunt sordidi huiusmodi frumentarij. Exploratas hostium futelas vlcisci Rex noluit, quin & ijs ipsis, qui panem sibi subducere nitebantur, pingui vt pulpamento vescerentur, accurauit, rerum omnium affluentia vna cum Romanâ fide reuecta. Exin Nauarræum in castrum profecto portas aperuit Salesius loci præfectus, cuius munus, post adnumeratam ei pecuniam Poyano cōmittitur. Eucharisticum sacrum eadem à Ludo-

Rex Palensem vrbem ingreditur.

Et Nauarræū castrum adit.

uico

uico XIII. restitutum est die, qua ante annos amplius quinquaginta intermissum fuerat, quemque supremi Numinis cultum Ioanna Nauarræ Regina proscripserat, restaurauit eius nepos Galliæ Nauarræque Rex, tam studiosus Ecclesiasticarum rerum cultor; quàm ijs infesta Ioanna fuerat, digna profectò immortali præconio, ni regias eius dotes obscurasset hæresis; qua in tuenda propagandaque vltra debitam fœminæ moderationem longè processit. *Cultum religionis restaurat.*

Quærebatur interea locus in quo diuina peragerentur mysteria: cúmque vnicum Pali superesset templum, quod ante annos sexaginta Catholicis ereptum in consuetos nouatæ religionis vsus secta conuerterat; in hoc Caluinianis ritibus per solennes Ecclesiæ expiationes rite purgato augustissimum instaurari primùm cœpit Missæ sacrificium; post quod solennis per vrbem ducta est supplicatio, cui Rex nudato capite, cereumque manu gestans cum Cardinalibus, reliquoque regio comitatu interfuit. Vmbellam sub qua Cælestis agnus ferebatur, sustentabant Principes aliquot, altiores nunquam habiti, quàm cùm altissimo Cæli terræque moderatori Deo ceruicem inflecterent. Concio à Ioanne Arnulpho Societatis IESV, Sacro Regis Oratore in hæc verba instituta. *Quam terribilis est locus iste; non est hic aliud, nisi domus Dei & porta Cæli,* Quanta verborum grauitate, quantáque facundia pertractatum hoc argumentum fuerit, explicaret nemo meliùs, quàm Arnulphus ipse, sui temporis Ambrosius aut Chrysostomus. Audiui ego, dum Tolosæ ad cæruleorum Pœnitentium sodalitatem sacras conciones haberet, à primarijs Ciuitatis totius, qui tum intererant viris, affirmari, è re Catholica fore, si nunquam mortalitate contingeretur magnus ille vir, ad erudiendum, compellendumque ad Christianam sanctitatem populum diuinitus datus. *Palense habet. templum datur Catholicis.* *Solennis supplicatio. Concio.* *Mira Arnulphi facūdia.*

Benearniam totam lætis admodum auspicijs Rex potestati suæ submiserat; supererat id vnum, vt antequam aliò commigraret, nouis eam legibus, institutisque deuinciret, ne lapsu temporis dilaberetur, quæ tam properè parta erat felicitas. Conuocato itaque cœtu, statutum id primò fuit: vt Episcopi, Abbatesque Prouinciæ repetito veteri more sedem in suprema curia, iusque ferendæ sententiæ obtinerent, tum vt recuperatis Ecclesiarum prouentibus Præsules congruentem amplissimæ dignitati suæ viuendi rationem inirent; deinde vt Nauarra, quam inferiorem vocant, nec non ipse Benearniæ principatus Gallico deinceps ascriberentur imperio, adunatisque *Sancita Benearnia.*

vtriusque tractus iurisdictionibus augustior inde senatus existeret. Postremò vt exauctorarentur Prouinciales nonnulli armorum duces, quos Persanos appellitabant, quorum nutu intra diei vnius spatium septena hominum millia sub signis conspiciebantur. Post hæc ad publicam tranquillitatem fouendam prudenter instituta, Rex Parisios inter intendit, cui vniuersus applaudens populus publicam meritò gratulatus est felicitatem.

Parisienses Regi gratulantur.

Verùm quia facilè resumuntur arma, vbi terror abscessit: dum Parisienses lætis acclamationibus victorem Regem excipiunt, Benearnenses iterum rebellionem incœptāt; & paulò antè ad genium redituros se maximè post hunc à se distractum comminati fuerant; quasi verò vnus Regis metuendus sit oculus, in quo præcipua maiestatis est sedes, & non pertimescendæ manus, quas dum longas Regibus inesse vates asserunt, congruentia veritati loquuntur. Flagrantiores rebellioni faces subdidit Petrus Lescunius apud Palenses olim Consiliarius, qui aut vehementiore nouæ religionis studio, aut cæca potius auri cupiditate inflammatus, ferre nullo modo poterat recens imperatum à Rege; vt quæ iampridem à Caluinianis occupata sacerdotia fuerant, Benearnensibus Ecclesiasticis, antiquis illorum possessoribus redderentur; quamobrem quæ pro Catholicis contra reformatas (vti vocant) Ecclesias sancita in Benearnia fuerant, passim dolenterque quiritando proseminabat; & quia sectæ proceres, Montalbani cœtum indixerant, illuc cum Viniaucio properè accurrit, de communibus Benearnensium reformatorum expostulaturus miserijs; ostendebat autem lamentabili voce, crebrisque interrupta suspirijs violatam omnino edictorum veterum fidem, sectæ templa papisticis polluta superstitionibus, laceratos religionis codices, Romanam idololatriam, quæ iamdiu exoleuerat; magno Præsulum, sacerdotumque gaudio reuocatam; inclinatam denique penéque protritam iis in locis religionem iacere, in quibus tanto cum animarum fructu dominata olim fuerat.

Rebellāt iterum Benearnenses.

Lescunius rebellionis autor.

Mōtalbani quid egerit?

Tanto huic, vt interpretabantur, damno aut finem aut modum aliquem allaturi sectæ magnates, Milliauij, quæ vrbs est in agro Ruthenensi, cœtum indicunt, circulum adit Lescunius, eadem quæ superiùs expostulaturus: hunc autem hoc ferè modo prolocutum annales referunt. *Angor animo supra quam credi potest; quòd Benearnensis prouincia, quæ fœderatis fratribus ad id vsque temporis expetitam opem tulerat, nunc eò miseriarum prolapsa sit, vt auxilium*

Et Milliauij.

à vobis postulare cogatur, vectigalque pendere deterrimis Euangelii hostibus, quorum tam agrestis est feritas; vt non vrbibus tantum nostris innumeras clades inferant, sed in reformatorum vsque mentes maiori longè crudelitate grassentur; extincturi in iis cælestè fidei lumen, nisi diuino corroborati præsidio nefariis illorum conatibus infractos opponerent animos, veramque religionem vita sua chariorem haberent. Hæc & alia singultiens, aut potius singultientis in modum eloquebatur Lescunius; & flectebatur his lacrymis concio vltroque miserescebat, cum in genua prouolutus orator, quasi verso in citharam fletu, omnes adesse animis iussit, ac Benearniæ decori pristino restituendæ spem fecit non exiguam, si qui astabant, viri essent, & digna viris auderent; deplorandam quidem videri prouinciæ sortem, non tamen conclamatam omnino; suis consepultam propè cineribus, verumtamen ex illis emicare viuax aliquid, quod spem auspicatioris fortunæ exsuscitet; post emendata, si quæ tandem reperiantur in reformatis flagitia, quieturam haud dubiè percutientis Angeli manum. Addit Nauarræum iam Regi deditum haud difficulter posse intercipi, Oppidanos magnam partem esse sectæ cultores, peregrina eò inuecta sacra ægrè admodum pati, colla quidem victori flexisse, animos tamen retinuisse armatos, opportunum ab ijs expectari tempus, quo præsidiarios omnes aut interimant; aut exturbent, promptum esse somno vinoque sepultos aggredi, vnaque internecione delere, præsto futuros Bensinos agendi properos & ad patrandum facinus lectos.

Spem facit recuperandæ Benearniæ.

Dum hæc modò in misericordiam inflexa, modò in vindictam asperata voce dissereret, varios conciebat in auditoribus animorum motus; miserabantur afflictam Euangelij noui sortem, tum addente stimulos ira, acrem in vindictam omnes exardescebant. Post varias arbitrantium altercationes in id demum conuentum est, vt de ferendo Benearnensibus auxilio cunctorũ iureiurando adstringeretur fides: statutum deinde, vt Lesdiguierio; Buillonio, Tremolio, Sullio, Malausio Marchioni, aliisque sectæ columinibus festinatus de Benearnensi clade perferretur nuntius, & de reformatis indignè ab Rege, regiisque habitis omni ope subleuandis seriò admonerentur; tum vt addictas eiusdem religionis hominibus vrbes, ne consimilis eas turbo quateret, validis communirent aggeribus, sublataque omni cunctatione vnus aliquis deligeretur imperator, qui auxiliares copias in Benearniam, & finitima circùm loca transferret.

Auxilium spondetur.

His subscripsere placitis *Caussæus* Præses, *Chamerius* adiunctus, *Guerinus* à secretis. Dein imperata variis in vrbibus in militare stipendium æra, dum ampla militi obuia quæque diripiendi copia fieret.

Dira in PP. Soc. Iesu ab hæret. iacta.

Hæc Milliauij sancita, sed non absque mille in Societatem IESV diris, & execrationibus iactis; quasi qui eius è sinu prodeunt, spiritualia tantùm arma volones edocti, ad sæcularem aggrediendam militiam Reges ac Imperatores compellerent; quin fartos portentosis huiusmodi codicillos Regi obtrudere non dubitarunt; Iesuitas, quos asciuerat conscientiæ suæ moderatores, id vnum suggerere assuetos, quod ciuiles vbique dissenssiones aleret, quod Iustum optimumque Principem ad iniqua contra reformatos suscipienda bella incenderet, nihil hac Societate immanius, cui iucundissimum sit redundantes inter innocentium sanguine campos incedere, quæ gratiore nunquam pabulo pasci soleat, quàm horrendo spectaculo humanæ carnificinæ. Non ignorabant Societatis Patres sparsa hæc in vulgus maledicta non tam dedecori sibi, quàm gloriæ verti; qui cùm depromptis è sana Catholicorum doctrina iaculis, hæresis vnius iugulum impetant, hæreticis longè, quàm nunc fit, melius esse optarent, si tandem ad inspiciendam veræ fidei veritatem mentis oculos aperirent. Norunt plerique omnes quàm faciles aditus hugonotis ad se diuertentibus præbere soleant societatis religiosi, quàm expeditam, & amicam redituris ad frugem operam impendant, quanta recalcitranes eosdem patientia emollire conentur. Vidi aliquos è sectæ gremio in Romanæ melioris longè matris Ecclesiæ sinum admissos, posteaquam se se in Patrum nostrorum consuetudinem tradidissent, hæc in verba prorupisse. In malam crucem abeant impii illi circulatores, qui Iesuitis Cyclopum aut Læstrigonum genium inesse maledicis, mendacibusque verbis astruunt, cùm eorum societate humanior nulla existat, & ad exhibenda nationibus cunctis christianæ charitatis officia pronior.

Interea Bensini Nauarræi castri iacturam ægrè ferentes, & turbulentis synodalium concionũ clamoribus incensi, arcem illam cum non exigua ignauiæ nota, sic enim interpretabantur, à Salesio Regiis deditam, ex insidiis adoriri maturant: iamque occulta nonnullorum coniuratio, qui auxilium iis pollicebantur, in apertum eruperat, timerique poterant, nisi complures à regiis exploratoribus comprehensos Poyanus suspendio necari iussisset: qui post

Hæretici aliquot in patibulum acti.

paulò Bensinos geminas Mongiscardi montis turres nihilo segnius inuadentes exturbare molitur; collectis enim trecentis aut eo amplius bellatoribus, in hiantium turrium, casuique proximarum foraminibus bubonum instar nidulantes aggreditur, adeoque premit, vt ad extrema quæque tentanda compellat. Forcæus Bensinorum decori vitæque consulturus, implorata Benearnensis curiæ autoritate obsessos loco cedere; Poyanum verò obsidionem soluere iubentis, victoriam quam is propè in manibus habebat, auertere satagit; at cùm senatusconsulto Regi sibique haud mediocriter noxio parere abnueret, id tandem exorari se siuit, vt cum obsessis honestis conditionibus transigeret, geminas tamen turres ne posthac in horum receptaculum paterent, solo æquari præcepit. Bensini oppugnantur.

Forcæus ratus hæc omnia in religionis suæ opprobrium verti, cuius supra fas retinens fuit, fœdum hoc, vt opinabatur, dedecus perinde quasi insigni facinore aliquo purgaturus, tumultuarium conscribit exercitum, Persanos, quorum iam memini, continuò in armis esse iubet, nouos arcibus præsidiarios imponit, totam denique prouinciam ad tentandam iterum armorum aleam, nouamque cœptandam rebellionem inducit. Rex insperato hoc nuncio perculsus, præmisso Saludio Espernonium cum cohortibus regiis, festinatis itineribus contra Forcæum maturare præcipit; hic ad minuendam quoquo modo iteratæ rebellionis inuidiam, id excusationis attulit, haud potuisse se absque noua nominis sui macula ignauum inertemque consistere, dum Poyanus cum armatis hominibus, obsidionalibus machinis, cæteroque belli apparatu Benearniâ totâ volitans, omnem in se Proregis autoritatē transferret. Ad hæc Saludius, nihil hactenus à Poyano tentatum respondit à Regis voluntate alienum, in eo itaque nihil esse malignè carpendum, si regiis obsequeretur imperiis; tum Forcæus, priusquam subitarios, qui in auxilium venerant, milites dimisero, faxo (inquit) vt apprimè intelligat Rex, nihil à me temerè factum, cùm ad armorum confugi præsidium. Cùm ita que ad obsequium flecti non posset, Espernonius armorum vim exercendam ratus, subitanea irruptione cum quaternis peditum millibus, & octigentis equitibus Benearniam inuadit. Forcæus repellendis tot viribus impar, in Occitaniam inferiorem iter arripit, quam ei præfecturam Rupellensis cœtus adscripserat; dissipatis postmodum eius copiis, armisque ab eo positis prouincia tota Regis obsequio fideique magno rerum suarum compendio redditur, tantò æquio- Forcæus rebellat. Hunc contra mittitur Espernonius.

P 3

ris Domini iugum acceptura, quantò iniquius extraneorum se se dynastarum potestati submiserat. Espernonius Montanetensem arcem, vt & alia oppidorum propugnacula exturbari iussit, seditionum incentores aliquot capitali pœnæ addixit, extinctisque veterum discordiarum reliquiis pacatissimam regionem, ac reuocatis Romanæ fidei ritibus, Deo, Regique tranquillè possidendam reliquit.

Benearnia Regi obsequitur.

Mulctantur seditionis autores.

At non vbique similis quies; rebellabant siquidem Salmurienses sectarii, quasi fatigata post Benearnenses perdomitos Regis arma defectura mox essent. Rex, cui curæ semper fuerat vilissimi etiam sanguinis parsimonia, ægrè admodum inducebatur, vt aduersus contumaces filios arma tractaret, quos, ne se suaque funditus perditum irent, de oblata vltro gratia certiores omnes fieri iussit; tamen quia parum tuta maiestas est, vbi quotidianis eius imperijs hostes insultant, amotoque pœnæ metu turbidiores audacia fiunt; Fontembellaqueum petit, quo in loco quæ ad armandam sustentandamque aciem pertinerent, perpulchro descripta sunt ordine. Prospectum primò vt res frumentaria reliquusque belli apparatus diligenter accuraretur, decretum deinde ne pedites vnum supra quadraginta millia excederent, sena verò equitum millia ad proximam expeditionem necessaria visa. Exin Rex exactis solito pietatis documento Dominicæ Resurrectionis solennibus festis, tantò fortior, augustiorque quantò Numine plenior, decimo octauo Aprilis Aureliam iuit, huic se Comites adiunxere Cheureusius Dux, Cardinalis Guisius, Ellebouius, Luinius Comestabilis dignitate recens auctus, Brissaeus, aliique Magnates: Condæus ad Bituriges missus; Comes Suessonius Parisiis ad magnæ ciuitatis regimen subsistere iussus, Dux Guisius ad piraticas Rupellensium excursiones auertendas, regiasque naues instruendas in Massiliensem delegatus prouinciam; Occitaniam concursabat Mommorancius, hostiles, si qui ingruerent, impetus compressurus.

Salmurienses rebellant.

Rex Fontembell. petit.

His ad regni tutelam incredibili studio excubantibus, Rex, quò exploratius omnibus fieret, in vnam subditorum suorum rebellionem quas tùm collegerat effundendas vires esse, integram verò religionis libertatem vnicuique concessam, edictum condidit, quo sectariis omnibus, qui debita sibi desponderent obsequia, regiam pollicebatur tutelam, præteritorumque obliuionem sanciebat, si modò Rupellensis conuentus placitis parere abnuerent; quod edictum à

Nouum condit edictum ad mulcẽdos hæreticos.

supremis curijs recognitum per omnes regni prouincias dimanauit. Poterat humanitas hæc tanta peruicaciores quosque ad se pellicere, nisi vetus obstitisset contumacia, effrænataque hostium contra Regem armis experiendi libido, quam conuelabat speciosus defendendæ religionis obtentus; accedebant iteratæ sæpius ab ijsdem querelæ, vt beneficia, ita & Regis promissa super arenam spargi ventorum permittenda ludibrio. Nempe cunctis ferè hominibus, ac præsertim fidei hostibus inest malignū & querulum aliquid in imperantes: vix vllum videas, qui ad iugum accipiendum sponte accedat; eique ferendo ceruicem lubens incuruet. Arces aliquot optarant semper aut vrbes Ligeri adiacentes sui iuris efficere, quo sociarum inde ciuitatum securitati prospicerent; Sancerram iam, Gergolium Salmuriumque diu tenuerant, qui postremus opportunissimus omnium locus videbatur, quòd Normanniam, Britanniam; Andegauensem agrum, Meduanum, Pictauiensem, Turonensem, aliasque, vbi potentiùs ac impuniùs imperitabant, prouincias necteret; quæ loca omnia recuperare Rex statuit, Condæo itaque Principi, Longauillæ Duci, & Vitrio Marescallo Sancerræ, Gergolijque aggrediendi cura committitur; ipse sibi Rex Salmurium deligit aut vi aut deditione Catholicis partibus adiungendum.

Repugnant illi.

Rex vrbes aliquot recuperare nititur.

Dum hæc in arcano Regis agitarentur consilio; aderant exploratores hæretici, vt quidquid ex ijs foras erumperet ad Rupellana statim perferrent comitia; qua in re haud inertem operam impendit Chalasius à sectæ proceribus delegatus. Rupellenses, vt, quod sibi malum apparari pertimescebant, in Catholicos verterent, grauiores aduersus selectiorem Christi gregem turbas concitant; atrociorémque procellam; quam vt deuitarent quotquot aderant Sacerdotio præditi, tutam illico vbi pacatiùs agere possent, delegere stationem, Congregationis Oratorij IESV Presbyteros, ne consimilis afflaret tempestas, nihil tum damni perpessos ex vrbe dimisit, qui supremus vrbi Præses erat impositus: quod vt comitatis genus exhiberet, non tam Christiana suasit, impulitque charitas, quàm subdolum infesta Regno consilia occultandi studium; quæ vt cautiùs Rupellani premerent, mandarunt cunctis securitatis vrbibus, vt cùm primùm in eas Rex aduenisset, eius statim pedibus ciues aduoluerentur, atque in omne officij obsequijque genus descenderent; tum Plessi-mornæum Salmurij gubernatorem datis literis enixè rogarunt, vt quantâ maximâ fieri posset, pompâ Regem exciperet,

Sacerdotes vexantur à Rupellanis.

Vafra eorum consilia.

diligenterque prouideret, ne quid in se suspicionis hæreret, aut diffidentiæ, quin potius offensas veteres explicata ad omnem humanitatem hilaritatemque fronte cautè dissimularet. Hoc affectatæ comitatis inuolucro conceptum aduersus Regem odium, quo nocentius foret contegebant: nam simul ac Pictauium iuit, Salmurium & Iuliodunum firmis communire præsidiis, ingentesque circa Ligerim copias alere decreuerunt; obstituri videlicet, ne auxiliares manipuli, viresque finitimis è prouinciis collectæ peruenirent ad Regem: quin & mediam aliquam inter eundem fluuium, & Parisienses vrbem inuadere statuerant, vnde noua discordiarum semina in principem regni ciuitatem iacerent; quo pristinæ erga Regem suum fidei immemor, excusso decoræ seruitutis iugo, fœdam cum factiosis hominibus rebellionem induceret.

Salmurij arcem muniunt. Hæc non tam sana Ducum ac Tribunorum consilia, quàm insania nebulonum somnia Bullonius attentè reputans, Rupellanis actutum significari iussit; omissis his, quas occultè molirentur fraudibus, reiectáque omni dissimulandi arte, alterum è duobus eligendum, aut festinatis obsequijs implorandam Regis, & demerendam esse clementiam, aut obfirmandas contra Regis postulata cunctorum mentes, viresque strenuè viribus opponendas; quod postremum, quia interdum optimis pessima præhabentur consilia, à rebellibus absque mora delectum; Salmuriensem itaque vrbem castrumque variis propugnaculis muniendum indicit, eoque immittendum quidquid vndique virium colligi posset ad regiorum impetus retundendos; non carere ciues domesticis magnorum virorum exemplis, qui sub Condæo Principe, marisque præfecto aduersus oppositas Regis cohortes magnos exercitus compararint, hostilesque sæpius fuderint, fregerintque acies, nihil itaque procrastinandum, cùm arma armis irritari soleant, offerendum Regi quam ocyssimè bellum, vt ad honestas pacis conditiones inflecti se sinat. Ad id tanquam oraculo partum vniuersus Rupellensium cœtus adhinnijt, sanciumque vt bina armatorum millia e vestigio Salmurium mitterentur; quæ perduellium consilia sibi per fidos, qui tum Rupellæ aderant, administros patefacta, statuit Rex festinata Salmurium versus profectione interuertere: vrbium ergo præsides, quæ Ligerim inter & Parisios mediç interiacent actutum moneri iussit, vt strenuis, quàm celerrimè fieri posset, comparatis militibus, hostium, si qua tandem irrumpere conarentur, vires arcerent, coërcerent audaciam, sectarios

sectarios cuiuscunque generis armis exuerent; sub id hospitiorum designatores Salmurium præmisit, qui appulsuris mox aulicis, regijsque stipatoribus ædes inscriberent; horum pars maxima aut intra vrbis septa, aut suburbia dissentiente ciuium nemine, præsidiarijs nihil contra mouentibus admittitur; adcò frangit rebellium animos conspecta nondum Principis scelera vindicaturi, sed procul adhuc agentis formidata maiestas.

Postridie inopinus adfuit Hallierus Prætorianorum militum princeps, castrumque ingressus, Plessi-mornæo, à quo viccnis è finitima nobilitate bellatoribus cincto blandè in speciem salutatur, Regem hoc consilio proficisci denuntiat, vt cum Regina intromissus in castrum dies aliquot exigat, de ijs, quæ ad pacem, priuatamque omnium vtilitatem pertinent, deliberaturus, Mornæum grauiter perculit inopina hæc regiæ voluntatis significatio, anceps itaque animi, varias dissentientibus præsidiariorũ consilijs flectebatur in partes, cùm adfuit Villanourxia eius filia, Patrem etiam atque etiam rogatura, vt quia grande cunctis periculum imminebat à Rege, eum obseratis castelli portis aditu omni ex parte prohiberet; Verùm contrarium suadebat Villanourxius Mornæi gener, præstandique, vti par erat, Regi commonebat obsequij, vxorem obiurgans intemperantis animi fœminam, quasi parùm prouidè, sapienterque loquutam. Mornæus itaque generi sui precibus Hallierique hortamentis euictus, ne nobilissimam familiam suam, fidam olim regibus fœda rebellione pollueret, per sacra cuncta obtestantium, castrum Regi dedere omnino statuit: ob præproperam tamen eius festinationem auditus est queri, causatus videlicet de præfectorum fide malè suspicari principes, qui eos ex improuiso adeunt, quasi occultis artibus aliquam regno machinantes perniciem. Addebat Henricum Magnum solius tum Nauarræ Regem, post acceptum ex pactione ab Henrico III. Salmurium, vrbem tantùm, non verò castellum ingressum. Post tergiuersationes tamen huiusmodi, cum præsidiariis excessit; euanuitque confestim senorum millium armatorum legio ad auxiliarem Salmuriensibus præstandam vim, aut collecta per id temporis, aut propediem colligenda.

Regii administri in vrbem admittuntur.

Rixa pro Rege admittendo.

Castrum Regi deditur.

Senos Rex illic dies subsistit nobilitati lentiùs aduenienti præstolaturus, maximè verò vt pronam ad rebellandum vrbem fido peruigilum excubitorum cõmuniret subsidio, quibus Saultium Comitem Crequyi filium sectæ cultorem præfecit; tum è felicibus iactis hoc

Rex in Deipara templũ diuertit.

in loco primordijs, expeditionum reliquarum felicitatem auguratus, in Ardilleriæ Dei Genitricis templum diuertit variorum prodigiorum frequentia inclytum, magnæ Matri, cuius filium se clientemque profitebatur, immortales habiturus gratias, ac illustre principibus reliquis documentum relicturus, nunquam obsolescere pietatem inter arma, hæc si pro Catholica fide propugnanda, sanciendisque pacis fœderibus decorè tractentur. Non hic tacebo Mornæi fidem à Rege prolixè laudatam, ac antiqua eiusdem erga decessores Reges obsequia; hunc tamen turpis ignauiæ, fœdæque proditionis insimularunt hæretici, quasi verò Regi quod æquum est exigenti, sine cunctatione tradere, inertis sit hominis, eidemque ius quod natiuum habet asserere, proditoris. Non hic tacebo complura libri per Mornæum eundem editi ab honorarijs Regis pueris exemplaria inuenta, discerpta, concremataque fuisse, cui libro ascriptus hic erat titulus. *Minister iniquitatis*, aut *Papatus historia*, in quo præter infinitos errorum & mendaciorum centones, vix quidquam quod sanam mentem redoleret, inerat; adeo enim absurda, non cohærentia, imò & inter se pugnantia loquebatur, vt miraretur lector tam crassas autori doctrinæ famam apud suos assequuto circunfusas mentis tenebras, qui semetipsum passim, quasi causæ suæ præuaricator, tanto cum stupore refelleret.

Mornæi libri combusti.

Salmurio Rex Thoarsium, Parthenæum, & Fontenæum adijt, quo in loco Caluinianus præco rebellionis autor, & stimulator præcipuus regios ad pedes prostratus, quam ferè scelerum veniam desperabat, extorsit. Illinc Niortium properanti Paraberus loci gubernator occurrit, ac in vrbem deductum triduo toto, quosque secum ille duxerat comites, exquisitissimis epulis aluit; contestatus sæpius Regi, Regijsque aulicis multo plura deberi à se quam hospitalem hanc mensæ lautitiam, quòd è tenui admodum, quanquam non ignobili familia, singulari Henrici Magni munificentia, à quo præfecturas multas acceperat, in pollentem præpinguemque fortunam regni etiam Proceribus inuidendam excreuisset. Hic tametsi contumax satis Caluini sectator existeret, in mancipata tamen Regi fide stetit semper immotus; qua è generosæ infractæque mentis constantia fructum hunc maximũ cepit, ipsum vt paucis ante mortem diebus errabundæ circa Deum diuinaque fidei seriò quanquam serò pœnituerit, fœdatamque hæreseos maculis vitam honesto exitu Catholici gregis partibus aggregatus absterserit. Sic Pictauiensis ager vix euoluto die-

Paraberus Regem Niortii lautè excipit.

Fit Catholicus.

rum quindenorum spatio Regis in potestatem redijt. Præpollet Regis præsentia multis bellatorum millibus,euibratisque maiestatis radijs , alto , quanquam incruento vulnere transfiguntur hostium mentes , ceduntque clementiæ , quæ vim sibi factam repellere adnituntur. Atque hæc auspicatissima Ludouicæi regni primordia demirati sunt omnes tum finitimæ , tum remotæ procul nationes ; florens enim Iuuentutis robore , prudentiæque canis conspersus quocunque Rex iter intenderet , laureis illud proseminabat & triumphis,dignus semper vincere qui etiam sine fulmine pertonaret,qui debellatis hostibus non insultaret superbè , sed ideò contumaces frangeret ; ne vlla vnquam deficeret occasio munificentiæ apud indignos etiam collocandæ.

Rupellana Decreta varia in loca mittuntur.

Hæc dum auspicatò gererentur , feruebant adhuc Rupellana comitia . varijque varias in regni partes mittebantur nuncij , qui quæ per sectæ principes instituta fuerant, vbique adimplenda significarent. Volitabant itaque per cunctas Gallię prouincias eiusmodi multi , pronisque omnium auribus animisque admittebantur , quasi Rupellanorum oraculorum baiuli , quibus fidem abrogare nefas esse putarent. Atque vnus ex his aliquis Castrum Albigensium adijt , quæ vrbs forensis cameræ sedes est, vbi æquato numero Catholici , & sectarij magistratus omnibus cuiuscunque religionis viris iura dispensant ; conuocatisque in templum sectæ cultoribus post præmissam à prædicante concionem assurrexit, postulatoque silentio , afferre se nonnulla denuntiauit, quæ comitiorum Rupellanorum iussu communibus in cœtibus explicari meritò debeant, quæque ipsos audiuisse minimè pœnitebit,si regios inter turbines , infestasque hostium vires religionem stare incolumem velint. Tum orsus de more aduersus Regem acerbiùs expostulare, mitem sectæ genium amplissimis verbis commendare institit ; quæ nihil non hactenus molita fuerat, vt altissima pace frueretur Gallia tota , vt vetera partium consopirentur odia, vtque in dispari religione peramica stabiliretur animorum coniunctio : quæ tamen fidelium vota pacandis animis adeò necessaria , irrita semper fuerant , inualescente semper apud Regios protrahendorum armorum licentia ; quare ne crebra frustratione ab Rege deinceps illuderentur, statutum ab Ordinibus dixit, vt quia supplicibus fidorum sibi subditorum precibus exorari se minimè sineret , quæ illi iure fieri sibi postulabant, hæc armata manu vindicare tandem aliquando aggrederentur : hanc quippe fratribus dirum

Orator hæreticus bellũ suadere nititur.

in modum oppressis superesse alleuamenti toties expetiti spem vnicam; quæ in armis dominaque campi fortuna posita sit; addidit insuper haud anxiè nimis inquirendum, num æquum sit quod aduersus religionis hostes suscipiendum est bellum; cùm pro aris & focis arma capere nulla lex vetet: quin imò sempiternum illi gloriæ fructum relaturi sint, qui honestam pro tuenda reformatæ fidei causa mortem oppetierint.

Tum quotquot illic aderant, primariæ dignationis viros blandè compellans. *Temerè* (inquit) *facturos nos exprobrabit aliquis, quòd nondum exploratis Ecclesiarum viribus, cum potentissimo fortissimoque Rege armis decernere placeat, quasi verò nullam ijs maturet opem æterna bonitas, quibus iustior pugnandi causa incumbit; imo, si secluso Numinis auxilio vna spectarentur Ecclesiarum nostrarũ vires, eò rem iam progressam asserere ausim, vt ipsa Regis copia, siminus omnino frangi, debilitari saltem à nobis possint; magna me item sustentat spes prosperam adeo futuram nobis belli fortunam, vt in certaminibus cunctis non vni duntaxat pertimescamus, sed alterno percellantur metu Rex & Ecclesia a quo parum admodum expectandum est gratiæ, cùm eius beneficentiæ fontes obserent, aut ad se inuidiosè pertrahant tot hirudines aulicæ, quarum ad libidinem Rex vitæ suæ rationes exigit*; libertatem itaque, quam nemo bonus nisi cum vita simul amittit ab imposito iugo vindicandam edixit, spoponditque iuris sui reformatos breui futuros, nunquam premendos deinceps tyrannicis dominantium imperiis, si ocyus ad arma confugerint, prouidendum deinde admonuit, vt aggeribus, vrbs muniretur, idoneisque propugnaculis, tollerentur cunctationes omnes, quippe audacibus cœptis quibuscunque infestæ; exterminarentur vrbe tota Catholici, quos iamdiu necatos omnes oportuerat, ni fides publica, quæ à Papistis ipsis contemnitur, horum vitam & libertatem texisset; tum Societatis IESV religiosos, quasi subdolæ fidei homines acerrimò stylo perstrinxit, reliquorum sectariorum more Ordinem hunc sacrum maledictis incessentium, quia hæreticæ prauitati corruptisque moribus infensum. Huic, cùm dicendi finem fecisset, vniuersus quantus quantus erat cœtus applausit; non placuit tamen exigendorum ex vrbe Catholicorum sententia; prohibebantur quippe iure cognationis non pauci, ne quos arctè natura sibi coniunxerat, tam inhumaniter ab se distrahi finerent; congruentius itaque visum, inuidiosumque minus si continuatis terroribus

Societ. Iesu PP. perstringit.

crebrisque cœptis seditionibus eò demum Catholicum gregem propellerent, vt voluntarium exilium quasi minus aliquid sibi suisque imperare deligeret, quàm in hæretica vrbe inter tot rixarum turbines, ingestasque identidem pœnarum minas hærere diutiùs.

Postea quam in eam concessere sententiam, mille turbandorum Catholicorum artes indagarunt sectarij; nunc enim repentinæ mortis terrorem inferebant, nunc Iudicum bipertitæ cameræ seueritatem implorabant, vt atrocibus in papistas detonarent edictis, proditores quippe, vt asserebant, omnes, quique Galliam totam, ni prouidè à magistratibus caueretur, perditum irent. Hæc cùm truci vociferatione certatim ingeminatent, è condicto aderant eorum non pauci, qui simulata cum Catholicis amicitia, vrbe confestim excedere, si saluos esse se vellent, enixè rogarent; haud esse in magistratuum potestate positum concitatiores furibundi populi cohibere conatus, acerbiùs nunquam comminatos esse reformatos, intemperantiùs igitur quàm olim sæuituros, ni contra quos acuebantur huiusmodi factiosorum iræ, eorum se se telis omni sublata mora subducerent. Quòd si tam beneuolè benignéque moniti, consulere tamen sibi negligerent, parcerent saltem amicis, ad ea quæ his in angustijs necessaria viderentur, sincera mente hortantibus, quique pro antiqua necessitudine, sanguinisque communione cladem illis paucos intra dies obuenturam, ducerent suam, communique cum ijs fato interire cogerentur. Sub id crudele hoc ab efferato in rabiem populo decretum prodiit, quo aut ex vrbe facessere iubebantur Catholici, aut si moram imperio facerent, parato Carnificis gladio aut cruentioribus subijciebantur luendis supplicijs. Vulgatus quoque recens à Rupellanis libellus editus, quo indignè sibi ab Rege fieri expostulantes, innocentiam suam candido (vti gloriabantur) simplicique stylo deprædicabant, quidquid autem rixarum & calamitatum in regno existeret, congerebant in Catholicos.

Vexantur Catholici à Castrensibus Sectariis

Nos ad Generalia Galliæ, principatusque Benearniæ comitia à prouinciis delegati, &c. Quia crudeliùs contra reformatos sæuire pergunt qui Regis amicitia turpiter abusi, praua ei consilia suggerunt, dubitari certè non potest, quin tyrannicum sit illud, quod iam pati cogimur iugum; quod vt confestim excutiamus, ipsa nos satis hortatur, impellitque natura, insitaque suadet ratio, vt conscientiæ primò libertatem, tum nostram, coniugum, liberorumque salutem; quacunque tandem poterimus ope, propugnemus. Ne tamen de nostra erga

Sectariorum querelæ.

principem nostrum fide scrupulosius quis addubitet anxieque nimis inquirat; id vnum affirmatè asserimus omnes palamque contestamur delectos comitiorum Rupellanorum proceres ad cuncta Regis imperia pronos extitisse semper, futurosque perpetuò; profitemur item solenni haud ita pridem sacramento strictè adeo nuncupatas eidem reformatorum voluntates, vt sublata omni conditione latis ab eo legibus obtemperare decreuerint, cùm enim regendis populis à Deo delegati sint Reges, ac vicaria eius potestate fungantur, violaret ille iuris æquitatisque leges, qui horum iussis nutibusque parere abnueret. Atque his intelligi potest, quanto nobis inferiores sint Papistæ, qui in Gallia nati educatique Regem sibi à Deo concessum contemptim præ Romano Pontifice habent, ac reformatos Regum suorum cultores præcipuos quasi fucata in eosdem obseruantia damnant; hinc quotidianis in concionibus suis, atque in ipso arcanorum consiliorum conclaui fabulosa multa contra nos religionemque nostram deblaterant, quæ rerum nostrarum ignaris persuadere nituntur; nos rixarum omnium autores, patriæ turbines, religionis faces contumeliosè appellant supremorum tribunalium seueritatem obiectant, terrores vndique iaciunt, perinde quasi à tergo facibus flagellisque armata instent furia, susceptum à nobis nefas aliquod vindicaturę.

Verùm magis nunquam Papistarum in nos odium exarsit, quàm cùm Regem in Remensi sua inauguratione hæc in verba iurare compulerunt. Iuro, regiamque fidem obligo, quos Ecclesia hæreticos renuntiauerit, conaturum me impigrè vt è regni mei finibus exturbentur. En vt Regem etiam addita sacramẽti religione ad exturbandam religionem nostram Papistarum magnates astringant; sed præsertim exitiabilis Iesuitarum Societas. quorũ inaudita ad regiorũ vsque fauorum culmen sese attollit ambitio, à quibus durius longè quàm ab aliis diuexari solet innoxius reformatorũ grex, hi nempe vni sunt scopuli, ad quos allisa sæpius vera, quã profitemur, religio è periculoso vix emersit naufragio, his inflammatiores subministrantibus faces, quot per Germaniæ prouincias exarsere, quot in Gallia excitata, restaurataque sunt bella? nemo tamen ex iis nobis infestior, quàm qui regię se moderatorem conscientiæ fœdâ putidâque iactantia prædicat, cùm Regis in aures quæ ad nostram religionisque veræ cladem pertinent, continuò insusurret.

Inuehuntur in PP. Soc. Iesu.

Plura longè querebantur hæretici hoc in libello expressa, indignè quippe ferebant semoueri se à supremæ curiæ dignitatibus, iu-

dicumque capitalium exedris, concionales item suos à debita commissi sibi gregis cura depelli; quare non immeritò Rupellensia extracta esse comitia, vt præsentibus damnis remedium quæreretur aliquod, & præcaueretur futuris. Postremò Regem etiam atque etiam obtestabantur, vt calumnias in reformatos à Catholicis irrogatas, regiâ, qua pollebat, autoritate compesceret; memoria repeteret quanta pro asserendo Borboniæ stirpi Gallico regno, quámque periculosa bella reformati susceperint. Dein oratione ad Præpotentis Numinis maiestatem conuersa, supplicabant efflictim, vt nullius criminis conscios, afflictos tamen prostratosque Israëlitas pro infinita bonitate sua dignaretur erigere, longa calamitatum serie fractos debilitatosque sustentaret, oleum denique hiantibus religionis vulneribus, ne funditus interiret, pius opportunè *Samaritanus* infunderet. His postulatis, seu questubus potiùs subscripsere *Combertus* Præses *Bannagius* adiunctus, *Rodilius* à Secretis.

Circa id tempus memorabilis cœpta est Sancti Ioannis Angeriaci obsidio, plurimarum ferax palmarum, quas Rex cùm inuenili adhuc ætate floreret, de prostratis hostibus feliciter reportauit. Hanc vrbem post restitutum Regi Salmurium sectarij multis firmarant aggeribus, ac propugnaculis, quasi regios depulsuram aut fatigaturam saltem exercitus, obstituramque ne quod maximè timebatur, rebellionis princeps inuaderetur Rupella, quam tutam maximè à repentinis hostium incursibus præstare connitebantur. Principio quidem ad omne officij comitatisque genus Angeriacenses dilapsi, bellum à se, & sequuturas inde clades amoliri se posse ducebant, & Rohanius ipse, tametsi voce præconis cunctos, qui arreptis armis vrbem tueri abnuerent, exire iussisset, compositis tamen ad omnem humanitatem literis, & ad Auriacum Comitem castrametatorem regium, Luyniumque Comestabilem datis, imminens vrbi deprecabatur periculum; ita enim compositis mendacijs, & militaribus dolis adrepens scripserat, vt vehementer mirari videretur, quorsum Rex cum tot armatorum millibus adueniret; cùm expugnanda nulla vis foret, regijs quippe iamdiu nutibus mancipatam vrbem, debita nunquam negaturam obsequia, quieta illic, & composita esse omnia, vt corporum, ita & animorum Regem Dominum esse.

Expugnatio S. Ioan. Angeriaci.

Rohanius obsidionem dissuadere nititur.

Hæc ille, tanquam minimè dubia, sinceraque in speciem mente affirmabat, non facturus tamen fidem regijs, quibus compertæ omnino elusæque sæpius eius fuerant machinæ, fine bellica stratagema-

Militares eius doli. ta, quæ bellatores inter perpulchra vulgò habentur; scitè quippe versare dolos, hostiles diluere astus, honestæ, decusque aliquod præ se ferenti Ducum solertiæ prudentięque adscribere solent. Rohanius igitur exercitus regij ductores de tradendo citiùs Angeriaco benè sperare iubebat, verùm quia hostibus occulta plerûque cōsilia prementibus prudenter auscultate turpe periculique plenum existimarunt Regij quacunque spe niti à perduellibus data; & consultè id quidem, nam inter illas mittendarum vltro citroque literarum moras, præsidiarios sensim in vrbem immittebat Rohanius, & Subizio fratre vrbi iam vrbisque defensoribus præposito, ipse quasi rerum vsu arteque militari longè clarior, discessum aliò i e litabatur sparsis per varia loca sectarijs affuturus, promptamque ac expeditam opem laturus, si paterentur hostilia. *Subizium fratrem vrbi præficit.* Subizius vrbani præfecti munus haud difficulter admisit, atque vt tu nida fere rebellium spes est, regias se in vrbis defensione per anni vnius spatium copias fatigaturum iactabat; spem alebant præsidiarij ad tria millia in vrbem immissi, qui sociatis cum oppidanis viribus, pro patriæ religionisque libertate fortiter pugnaturos se, ac, quia dubij ancipitesque sunt bellorum exitus, vitam lubenter profusuros spoponderant.

Interea Angeriacenses, ne qua obsidentibus regijs paterent hospitia, terna vrbis suburbia, domum insuper ih Capucinorum Patrum cœnobium destinatam euerterant; quo tēpore Rex quanquam multis subnixus cohortibus, veteranis èmilitibus lectis, quia varijs casibus subiacent humana ferè omnia, præcipuam opem sibi exercituique toti festinabat è Cœlo, quam vt vberem emererentur milites omnes, monuit, vt peccatorum sordes, priusquam martis adirent pericula, piaculari confessione abstergerent; & præire ipse cunctis hoc in pietatis genere voluit, tantò promptiora sibi suisque cumulaturus auxilia, quantò propiùs ad illibatam beatarum mentium integritatem accederet. *Rex à pietate orditur.* Chisayum ergo profectus sacram illic Pentecostes diem magno sensu pietatis exegit, perceptisque rite diuinis mysteriis, mille ducentos strumis affectos tetigit. Bellum hoc ab insigni erga tam multos beneficentia feliciter auspicatus, eadém aut paria erga obsidendos Angeriacenses prosequututus humanitatis officia, ni rebelles aluissent de more spiritus, quos frangas citiùs, quàm emollias, aut ad debitum inducas officium. Sanè quidem nulla ærarij accumulandi spe, aut præpropera vlciscendi libidine ad bellum hæreticis inferendum stimulatum se fuisse vulgato super hac re libello contestatus est Rex, inuita

se manu

se manu fulmen tractare, plagasque ijs infligere non rarò dequestus, quos saluos & incolumes vellet, paternoque complecteretur affectu; quin quod palam prætexebant, & affirmabant hæretici, in nouam eorum religionem, hanc licet, quippe falsam, execraretur, non proruebat infestus, cùm rebellionem vnam impeteret, quare variis ad sectæ proceres datis literis ad saniora sæpius hortabatur amplectenda consilia, serióque Rohanium & Subizium eius fratrem commonendos curauit; vt nobilissimæ stirpis suæ memores ab impiis nefariisque armis abstinerent, quæ priscum maiorum suorum decus infami rebellionis notà obtererent; verùm hi iustis pij Principis imperiis, aut paternis potiùs monitis turbida Rupellensis cœtus præhabuere consilia.

Rebellionem vnam impetit.

Subizius vrbem ingressus cuncta repellendis hostium viribus idonea comparat, dum Auriacus Comes vir animo ingens, locorum nonnullorum expugnatione, auspicata belli primordia poneret. Hic Iulianæum fanum ex improuiso aggreditur: exin virtute sua fretus, auctusque quinis Campaniæ, Ramburij, Pedemontii, Picardiæ, & Bellimontis legionibus, bellicum, qui à Rupellanis mittebatur, instructum, tormentarium puluerem, glandes ferreas, aliaque huiusmodi ad vim hostibus faciendam arcendamue spectantia subitarius occupat; præsidiariis, qui hæc conuehi curabant, repentina fuga dilapsis. Praslinus speculandis suburbanis præmittitur, locisque oppugnationi commodioribus dignoscendis; ille, qua mentis erat solertia, scitè cuncta perscrutatus, congregatis copiarum præfectis retulit, qua præsertim in parte cunicul ariorum labor excauando solo futurus esset vtilior, vnde sensim aggeres ad mœnia sine graui periculo protrahendi, vbi collocandæ obsidionales machinæ, vbi castrorum metatio opportunior foret, Regique securitas maior; addidit, quàm difficiles essent in vrbem accessus propugnaculis, vallisque circunseptam, arcem denique vix regiis etiam annis expugnabilem; sed plura, formidandaque magis edixisset, si contumaces introspexisset obsessorum animos, quorum plerisque mors honestatis plena videbatur, eam si pro tuendis religionis suæ ritibus oppeterent. Nunquam etiam maior in regiis militibus notata constantia, nunquam flagrantiore studio ad imminentia vitæ discrimina prosilire nobiles; atque vt hæc auderent omnes, hortabatur Regis præsentia qua validius nullum est ad fortia qualibet aggredienda incitamentum.

Auriacus bellicum hostium instructum capit.

Praslinus loca speculatur regiis castris opportuna.

Tormenta quinis in locis posita.

Quinis in locis collocantur obsidionales machinæ duæ supra viginti, quibus omnibus præficiuntur Dux Chaunius, Marescallus Praslinus, Valeta Marchio, Zametus, Bassompetra; quo tempore Rex Chisayo Veranum in castrum profectus, inde flexo ad S. Iuliani fanum itinere sacella quædam & altaria variis in castrorum partibus extrui iussit, in quibus sacra peragi, milites peccatorum sordibus expiari cœlestique dape refici commodè possent. Pijs Regis nutibus obsequuta est militum pietas, post peractum Missæ sacrificium ad salutaria sacramentorum subsidia certatim accurrentium; dixisses in cœnobitica claustra, militaria tum haud absque contuentium stupore castra esse mutata, qui ad id vsque temporis, pessimo sanè exemplo, sanctitatem ab armorum tractatione penè proscriptam viderant; mandauit insuper Rex valetudinarium erigi, in quo aut morbo affecti aut vulnerati milites adhibitis Christiana pietate fomentis valetudini pristinæ restituerentur. Sic non Regis tantùm potentissimi, sed & pastoris optimi gloriam æmulatus, non animarum tantùm sed corporum etiam saluti prospectum diligenter voluit; atque id causæ fuit, cur qui antea effræni ad nefas omne ferebantur licentia, intra Christianæ modestiæ, militarisque disciplinæ limites se se cuncti non repugnantes cohibuerint, Rege vt ad bellicam fortitudinem, sic ad omne sinceræ pietatis genus facem præferente.

Rex sacella erigi iubet.

et valetudinarium.

Disciplina militaris & pietas.

Talliaburgum oppugnatur.

In Talliaburgo suburbio præsidiariis eripiendo positum à Regiis primum martis experimentum; erat id variis operibus munimentisque vallatum, quæ res delectum Gallicæ nobilitatis florem adeò non infregit, eam vt accenderit magis; nam plerique nobilium, quia clarescit inter ancipitia virtus, exuto etiam thorace, vt ad ludicrum ioculare aliquod, sic ad periculosam martis aleam magna celeritate proruebant; haud ignari inter periculosa quæque militarem claritiis emicare gloriam, faciléque ab ijs sperni vitæ diuturnioris vsuram, qui ad solam nominis immortalitatem aspirant. Atque hunc ferè in modum hostibus insultabant Catholici, dum inermes, & patentibus ad accipiendas plagas corporibus contra cataphractos incredibili mentis ardore prosilirent, sed damnata etiam à Rege est seuerioribus verbis non prudens satis audacia, tametsi priore hoc impetu nonnulla suburbij munimenta labefactata corruerint; tum post collaudatam nobilium qui hoc in conflictu ceciderant, ac eorum, qui incolumes euaserant, fortitudinem, omnes hortatus est seriò, ac pro Regia etiam autoritate iubendum censuit, vt effrænatiores etiam

Nimia Regiorum fiducia.

Reprehenditur a Rege.

impetus in bello cohiberent, quod vt rectè, atque à laudabili veterum heroum disciplina gereretur, singulari semper temperandum esset prudentia; monuit insuper, vt salutis suæ tuendæ memores & sollicitiores effecti, castigarent vehementiorem illum amplificandæ gloriæ pruritum; asserens vel vnius nobilis vitam expugnatis vrbibus multis potiorem sibi semper esse futuram, sed quam in efferuescente nimium iuuenum globo reprehendebat aut inanem fiduciam, aut inconsultam potiùs temeritatem, in eam penè incurrit Rex ipse, dum quasi maiestatis immemor suæ, augustissimum caput variis obiectaret periculis, dum inter emissas ab obsessis ignitarum glandium procellas securus inambularet, dum explorandę cominus vrbi longiùs à castris, quàm Gallicis rebus expediret, progrederetur, ac contrucidatis & concidentibus hinc inde suis staret ipse medius, immotusque quasi Cæsar tantus fortunam non extimesceret, vnis tantùm formidandam ignauis. *Rex ad pericula intrepidus.*

Nec luculentius Rex fortitudinis, quàm peritiæ militaris specimen dedit; obseruauit enim vt prodidere scriptores, tum in castris collocandis, tum ducendis fossis, tum cæteris obsidionis apparatibus erratum sæpius esse. Ferunt duodenas horas in equo hæsisse, dum positis iam castris, productisque aggeribus cuncta circum studiosè perlustraret, adeoque bellicæ insueuisse tolerantiæ, vt multiplicibus animum curis intendens, noctes totas insomnes etiam incœnatus exigeret. Post occupatum suburbium Proceres in nouam hilaritatem effusi victoriam gratulati sunt Regi, tametsi nobilium quorundam cæde magna ex parte corruptam Montreuelli præsertim & Buscouerduni, quorum hic in ipso certaminis æstu vulneratus interijt; ille verò post lethalem plagam acceptam tandiu vixit, donec præclaram Regi ad se inuisenti voluntatem egregiè testatam relinqueret; sic enim postremùm affatus est eum cũ instante morte colluctans. *Cunctos vitæ meæ annos ad hoc vsque tempus (Rex augustissime) non indecorè perduxi, quam exuere haud ita graue futurum est mihi, cùm hanc in sinu tuo depositurus sim, pro asserenda Maiestatis tuæ autoritate, firmandoque Gallico regno iampridem deuotam, consecratamque; cùmque inter palmas tuas emori mihi contingat, mortem meam dolentiùs ferre non debes; lauda potiùs vitam feliciter actam, terminandamque feliciùs. Vtinam ijs qui è stirpe mea prodituri sunt, par fortuna contingat, continget autem, si ex Montreuellæa gente Deo, Regibusque suis fida procreatos se fuisse meminerint.* *Buscouerdunus Montreuellus necantur.*

R 2

Ad hæc postremos inter anhelitus pronuntiata Rex ingemuit, eximiamque virtutem ex imminentis mortis angustiis se se tam fortiter efferentem laudauit quam maximè, prælargè pollicitus amorem suum, cuius fructu moriens cariturus erat, in eiusdem cognatos affinesque non inutilem dimanaturum. Hic tam insignibus regiæ liberalitatis testimoniis recreatus post paulò non tam viuere desijt, quàm feliciorem auspicatus est vitam.

Imbutam nobilissimo sanguine pugnam strenuè prosequutus Rex est, atque eò vehementiùs, quò inflammatiore vindicandæ suorum cladis cupiditate flagrabat; auersos ab obsequio rebelles ferre non poterat, sed acriùs multò percellebatur, quòd hi laxatis ferocienti naturæ habenis, Galliam fortissimorum virorum altricem tot heroibus, patriæ gloriam in immensum elaturis exhaurirent.

Rex milites hortatur ad audendum. Hic igitur ad agnoscendam propiùs vrbem è castris digressus, cùm explicatas hinc inde acies, bellatorumque animos alta quædam meditantes introspiceret, vnumquemque non ducem modò, aut tribunum nomine suo compellare occœpit, sed & plerosque è militibus benignè alloqui, ea quæ cum laude gessissent, verbis extollere, ad audenda etiam fortiora, cùm res exigeret, adhortari; tum si quid subruendum, aut extruendum ad oppugnationem videretur, primus significare, quin & regias ad infima quæque gregariorum militum opera manus accommodare, maiestatem deprimere, alium spe, alium gloriâ illicere, cunctis subsequuturæ victoriam adoreæ partem aliquam polliceri. Lustratâ cominus vrbe, quia tuta satis non erant aduersus hostes facilè erupturos tormenta, frequentiorem ad hæc

Cuncta ordinat ad irrumpendum. militem aduigilare iubet, tum quia per occurrentem passim rupium duritiem altiùs excauari fossæ nequibant, vimineis cratibus gleba circùm aggesta firmatis militem tegendum edicit, dum interea ex interiori porta iuxta Carniotam turrim ex improuiso cata-

Cædes ex vtraque parte. phracti prosiliunt hostes, interceptosque è regiis aliquot aut interimunt, aut castris suis exutos, turbatosque insperatam in fugam conjiciunt. Conclamatum propemodum erat, ni Sanlucii castrametato-

Sanlucius dissipatos colligit. ris erexisset se commodùm virtus, palatosque milites ad repellendam obsessorum vim sublata omni mora collegisset, ac pulsos fortiter hostes retrusisset in vrbem. Stetit hæc victoria denorum è regiis interitu; cæsi pariter ex hostibus aliquot; sic æquata ferè vtrinque clade, cum longè dispari gloria.

Proueheбantur continuò fossæ, admotæque suggestibus suis mu-

rales machinæ, fulminandæ paucos post dies vrbi obuertebantur, Bassompetra, Auriacus, Teminius, Sanlucius, Thermesius diligenter instabant festinandis operibus; quatiebantur hostium propunacula, noua construebantur, restaurabantur vetera; aggrediebantur illi, defensabant isti; similis in vtrisque animi fortitudo, parque emicabat constantia, Aduesperascente die, quia peropportuna nox est repentinis aggressionibus, struendisque insidiis; hostes subita eruptione in eam partem impetum faciunt, in qua regia collocata erant tormenta, & cessisset ijs prosperè res, ni Crequius prætorianæ cohortis Dux cum valida regiorum manu festinus aduenisset. Hac in velitatione Castelierus Baro plumbea glande traiectus occubuit; luxit exercitus præcocem tanti viri iacturam, mœrorem tamen haud ita multo post absterfit insperatus Tremollii regias ad partes reditus, qui spontanea arcium suarum deditione quidquid contra Regem deliquerat, feliciter expiauit, viamque ei facilem strauit, exercitum in Aquitaniam deportaturo; his autem Regem ferè affatus est verbis.

Crequius hostes repellit.

Castelierus Baro necatur.

Habes Rex maxime Tremollium tuis pedibus aduolutum, veniam efflictim orantem, quam desperaret omnino, nisi supplicibus cunctis accipiendis obuia foret benignitas tua. Non vni duntaxat tibi, sed cognatis etiam meis atrocissimam iniuriam feci: contaminaui siquidem antiquum gentis meæ splendorem fœdissimâ notâ, cùm ad hæreticorum partes defeci, dum regiis tuis sanisque prudentissimorum virorum consiliis, lixarum, calonumque somnia prætabui, quibus ferè ex hominibus Rupellana conflantur comitia: qui quia è populi fæce originem ducunt, plebeii tantùm status commodis inuigilant, ac quidquid altius in ciuitatibus fastigium obtinet, petulantissimè insectantur: & quia mortalibus reliquis longè Reges antestant, nihil non aggrediuntur, eos vt de auito Regum solio per summam iniquitatem deiiciant, aut priuatis vtilitatibus suis accommodent.

Tremollius regias ad partes redit.

Rex accepto perhumaniter, iussoque optima quæque sperare Tremollio, probæ dixit indolis esse; sicubi à recto deerratum sit, non excusare præfractè, sed humiliter confiteri; non consueto vulgi more peccare magnos illustresque viros; exprobratricem continuò sceleris adesse sapientiam; quæ delinquentium mentes identidem vellicet, admoneatque veram nobilitatem commune nihil habere cum vitiis; Lesdiguierium abdicatis Hugonotorum partibus Principi suo sacramento dixisse; magni huius viri virtutem æmulatum esse Tremollium, generosi pariter facinoris imitatores habiturum, cùm

Laudatur à Rege.

Sectam deserit.

hoc etiam addiderit in recentis partæ sibi gloriæ cumulum, vt non sectariis tantùm, sed & sectæ ipsi, nuncium, quem non expectabat ipsa, remitteret, Deoque fidus imposterum esse ambiret, qui regiam in fidem sincerâ optimâque mente redierat,

Accisæ penitus Hugonotorum res videbantur tantò sectæ dempto patrono; non conciderunt tamen animis, imò perinde ac serpentes, post exsectum sibi caput acerbiores præ se ferunt iras, multiplices voluti reuolutique in flexus; ita & secta detracto sibi capite ferocientibus acriùs membris exarsit, Medea altera deserta à suis, vim tamen à se rabiemque petitura. Angeriacos pertinaciùs tunc resistentes censuit Rex non atterendos omninò, priusquam deditionem imperasset; fecialis itaque ad Subisium missus, qui Regis iussa perferret. Hic cæruleo sago, bacilloque aureis lilijs variegato ad speciem aliquam maiestatis ornatus, nobiliumque stipatus corona, præeunte tubicine ad Subisiũ adit, atque hunc in modum præfatur. *Beniamine Rohani, Rex communis vtriusque nostrum Dominus vrbem illutum reddi sibi iubet, quam contra ius fasque omne retines; si moras nectis imperio; te perduellionis, imminutaque maiestatis reum, bona tua fisco addicta, teque è gradu nobilitatis excidisse pronuncio.* Subisius operto capite perduellionem obtentu necessitatis excusat *Ego (inquit) nihil hac in vrbe autoritatis mihi vindico, nec in me positum est, quod à Rege exigitur.* Plura cùm prolaturus esset, hominis arrogantiam seuerè fecialis increpat, qui tecto capite mandata Regis exciperet; sed commodùm adfuit Alrifontanus præsidiariæ cohortis præfectus, qui crimen, si quod esset, in ritus, quo excipi feciales mos est, ignorationem refunderet. Post paulò consultis super hac re sectæ proceribus, his ferè verbis nudato capite respondit. *Ego Beniaminus Rohanius seruum me Regis subditumque esse profiteor; cui si, quod iubet, vrbem minimè reddo, persuadeat sibi velim, complures hic esse, qui obsistunt; tum inane illud esse, quod gero præfectura munus, omnemque potestatem in municipes esse translatam.* Atque id vt integrâ fide perferretur ad Regem, scripto firmauit, subscripsitque.

Fecialis ad Subizium mittitur.

Inepta eius responsio

Regi displicet.

Haud facile dictu est, quàm molesta hæc fuerit Regi responsio. Et quidem ab homine, quem non statim illatâ vi, sed honorificâ compellatione aggressus Rex fuerat, repulsa huiusmodi expectanda non erat, quam vt turpem indignamque nobili viro, ab Hugonotis etiam nonnullis scio fuisse grauiter reprehensam: verùm, proh infelicis sæculi dedecus! Rupellanorum responsa oraculorum instar erant,

& his mordicus adhærebat Subisius. Hic scilicet rebelliū est genius, vt beneficiis innumeris prouocati, contumaciores induant spiritus, rati sana, quæ suggeruntur consilia, è consultorum ipsorum metu prodire, infirmitatisque conscientia. Quod vt refellerent obsidentes, densiores continuò aduersus obstinatos immittunt pilarum procellas, subterraneos agunt cuniculos, contra desperatos denique ac perdi se volentes, machinas bellicas, variasque nocendi artes restaurant. Bassompetra, Trenelius, Sanlucius, Theminius, Ionuillæus Princeps, Chaunius, aliique è primaria nobilitate viri impigras iuxta ac fideles in promouendis operibus curas collocant, Rosnius tormentis bellicis præpositus quæ sui sunt muneris haud accurat inertiùs. Sed dum certatim omnes in demandatum sibi munus incumberent: triste id luctuosumque cōtigit, vt Crequius, dum generosiùs etiam nudato capite hostibus insultaret, grande vulnus acceperit, sauciatus pariter fuerit Valliacus, occisus Vilandrius; doluit exercitus vniuersus extinctam hanc citiùs altissimam indolem, ad cuncta martis munera experrectam. Haud segniùs rem agebat Stissacus è nobilissima Rupifocaldiorum stirpe, vir bellica virtute præstans, cui valli ad Sanctum vsque Eutropium proferendi commissum erat negotium.

Sauciantur nonnulli.

Vilandrius occiditur.

Regiis fortiter oppugnantibus, rebellibus verò crebris eos eruptionibus noctes diesque infestantibus protrahebatur vltrà, quàm spectabatur obsidio, corpora fatigabant æstus intensissimi, ac proserpentes circum morbi, quæ omnia incredibili animi robore perferebat Rex, illustre tolerantiæ gregariis etiam militibus relicturus exemplum. In media siquidem prati planitie tentorium erigi iusserat, duraturus illic cum aulicis, donec protrita rebellione aut iustis armis vrbem subigeret, aut deditione recuperaret. Influebat sensim in Principum; ac ductorum animos infracta Regis constantia, & Alexandrum suum ad fortia quæque intrepidè præeuntem sequebantur alacres, è periculorum societate in gloriæ communionem admittendi. Interea nocturnum in ducendis vallis insumebatur tempus, quæ cùm propiùs vrbi admota fuissent, maxima hinc est hausta fiducia eius propediem recuperandæ, ni spem hanc paululum infregisset, qui per regia castra increbruerat rumor, auxiliares magno numero copias à Rupellensibus mitti, quibus confestim repellendis Rex leuem armatorum manum opposuit: è proceribus itaque nonnulli delecti, qui ad eorum vsque mœnia obequitarent, villas incenderent, agros peruastarent, Luxemburgicus Dux, equitum turmis præposi-

Castrenses morbi.

Regi constantia.

Vastantur Rupellensiū agri.

tus hac illac continuò volitabat, venatori quàm militi propior, cùm palatos ex hostibus complures intercipieret, Regique sisteret ferarum instar laqueis irretitos. Rupellani, vt fatales sibi regiorum cursus arcerent, Tranchæum propugnaculum opere tumultuario construxerant, delegatis ad vrgendum hoc opus Labasio, Lanousio, & Bessayo cum mille ducentis militibus & campestribus machinis aliquot; contra quos ab Rege delecti Marescallus Praslinius, Comes Rupifocaldius cum mille quingentis peditibus, equitibus verò trecentis; qui omnes tantam hostibus trepidationem intulerunt, vt informi relicto castello confusis ordinibus extemplo terga verterint, quorum è numero, dum in naues insilire pararent, aquis absorpti ferè ducenti, Regii post disturbatum haud magno certamine inchoatum hoc opus, incalescentibus ad nouam congressionem animis Talmontiam arcem præsidiariis Rupellensibus infessam dedentibus se vltro militibus, Principis sui partibus asseruerunt.

Hostes fluctib⁹ hausti.

Regii Talmontiã arcem occupãt.

Auxit eorum vires, animosque inexpectatus Espernonii Ducis aduentus cum quaternis bellatorum millibus, apud Bencamenses, & Vascones lectis. Igitur decima octaua Iunii postremæ vrbis aggressioni destinata est dies; acti sub terram cuniculi, atque hinc magna obsessorum sublato muro strages edita: ignis quippe è congesta humo subitò erumpens semiusta corpora laceraque varias in partes distulit, ferali lamentatione dequerentibus, quibus integer adhuc supererat halitus. Præmissus Primipilus cum militibus aliquot, qui ruinam eminus speculatus, victoriam in manibus esse denunciauit, accurrere statim proceres aliquot, fortitudinis coram Rege specimen aliquod edituri, Guitautus, Crius Baro, Lauardinus, Sanchomondus, Valancæus Melitensis eques, aliique complures, quos proximè subsequuti sunt gregarii milites in vrbem intromittendi: sed quia ob dissilientem recens humum arduus patebat ascensus, angustiorque ac lubricus aditus, lapsante, dum vehementiùs connitcrentur, vestigio, cùm interea resumptis animis ruinæ acriter defendendę obfirmatiores instarent obsessi, ac per eius angustias irrepentem quemque mactarent, loco cedere post nobilium nonnullorum cædem coacti sunt regii: Lauardinus, & Crius dum fortiter dimicarent, multis confossi vulneribus occubuerunt, ingenti sui desiderio relicto, sauciatus Sanchomondus, Sriorsium pari cum aliis alacritate in hostes irrumpentem igniaria corripuit olla, extinxitq; Erat hæc resinâ, oleoque imbuta, nitrato puluere farta, formidandum sanè hostibus missile:

Auxiliares Espernonii copiæ.

Acti cuniculi.

Hostium strages.

Irrumpunt Regii.

Caduntur.

Ignita varii generis missilia.

ſile, aliæ inſuper peſtes huiuſmodi, aut flammulæ ferro nocentiores intortæ, aut cometæ potiùs fictitij, quidquid ex alto demiſſi contigerant, adurentes.

Redeuntibus ex hoc conflictu rebellibus creuerat in immenſum audacia, quæ poſt paulò remigrante in regiorum corda virtute, tota confeſtim elanguit, illi enim aut reſarciendæ iacturæ libidine, aut recuperandæ laudis cupiditate, aut pudoris ſtimulis concitati, pugnam alacriores reſtaurant; hoſtes turpem in fugam compellunt, reſiſtentes interficiunt. Cecidere tum Nouilocius, auxiliaris centuriæ præfectus, Altifontanus caſtrametator, cuius fatum luxere ſectarij. *Necantur hoſtes.* Trepidabant interea vrbis primores, contumacia vertebatur in preces, quamque ferè deſperauerant veniam, ſupplices extorquere nitebantur. Subizius in primis, audaciſſimus ille ſectæ propugnator, qui regio feciali ægrè admodum aſſurrexerat, nunc abiecta ſpe vrbis diutius conſeruandæ, altiores illos ſpiritus demittere; & ne quid ſibi, contra quàm vellet, ab irato Rege cuderetur, non fruſtra pertimeſcere; quem vt ſibi metum imminueret, deſtinatis ad Zametum literis efflictim rogat, ne ſe in ſalutis, exiſtimationiſque ſuæ periculum temerè lapſum, & à priore fortuna derelictum abijciat; Comeſtabilem adire ne grauetur, cuius autoritati accíſas res ſuas omnes committat; ſi quid rebellando peccauerit, deſtinatum hoc animo iam habere, continuatis id erga Regem expiare obſequijs, cuius Maieſtatem violare nunquam mens hactenus ſibi fuerat de tuenda tantùm religione ſollicito. *Primores vrbis veniã petunt. Et ſubizius.*

Labentem obſeſſorum fortunam proſtrauit conſtituta recens in Niortenſem portam tormentorum ſedes; hæc enim cùm maximam murorum partem fœdè quaterent, cò rebelles induxerunt, vt æneatore præmiſſo per Mommartinum, vrbiſque conſulem de cunctis deditionis conditionibus tranſigerent, quas leuiſſimas nec indecoras ſibi futuras imponi ab rege etiam atque etiam ſupplicabant. Comeſtabilis legatos ad Regem ducendos ſic affatus eſt, vt Maieſtatem dedecere oſtenderet cum ſubditis ſuis, præſertim, ſi rebellionem ſæpius inſtauraſſent vllas in pactiones deſcendere, veniamque ſpopondit, ſi poſtera die, ſublata omni cunctatione colla iugo ſubmitterent, prædeſque ad datæ fidei firmamentum tranſmitterent, quæ cum facturos ſe pollicerentur, indultum eſt Angeriacis ab Rege diploma in hæc verba conceptum. *Rex non paciſcitur cum ſubditis.*

Turpe, probroſumque ſemper Regibus fuit cum ſubditis ſuis de

sanciendis pacis legibus pepigisse. Decet enim eum, qui cunctorum in caput à Deo deligitur, omnium intra præscriptos legum terminos voluntatibus moderari: Cùm igitur Angeriacenses pacem, & rebellionis veniam supplices orent; adeo procliuem se Rex ad eos omnes indulgenter habendos exhibet, vt facilè exorari se permissurus sit; si modò iurati spoponderint in fide mansuros se semper, nec eam semel datam violaturos quocumque religionis suæ obtentu; quam quidem religionem tametsi nouam, variisque ex erroribus compactam oppugnare se nolle contestatus est sæpius Rex; in ea itaque, vt omnis deinceps rixarum præscindatur materies, quanto voluerint tempore, perseuerent; iubebit illico Rex arma conquiescere, dummodo ab instauranda deinceps rebellione absistant. Exeant itaque ex vrbe præsidiarij cum sarcinis suis, aliis item excedendi copia datur; cauebitur diligenter, ne quid in itinere detrimenti à victore milite accipiant. Assensere regio diplomati Oratores, & solenni iuramento in hæc fere verba præstito, quam spoponderant fidem obstrinxerunt. *Nos infra scripti Oratores pro Angeriacis ciuibus extraneoque vrbis præsidio perpetuum Regi spondemus obsequium, factiones quascunque ablegamus, clandestinaque consilia & iuxta indictam hanc nobis legem, & victuros, & morituros nos omnes pollicemur. Actum in castris propter Angeriacum fixis. Subscripti Mommartinus Laudricrius, Labagandierus, Masuraus, Grenonus, Secretarius.*

Eius diploma ad Angeriacenses.

Qui obsequium spondent.

Ex vrbe excedunt.

Egressi ex vrbe pedites supra mille quingenti depressis in terram armis, funalique catapultarum extincto: hos proximè subsequuti sunt præfecti copiarum ducenti; sauciis, ægrisque aliò deportandis concessa sunt plaustra. Postremus omnium exiturus erat Subizius, & in hunc victoris exercitus intendendi cupidiùs oculi; accurrunt ergo vndique multi huius propiùs contuendi studio illecti; adest post paulò deiecto in terram vultu, fastuque cum ense, quo præcinctus erat, dimisso, ad genua Regis prouoluitur, haud ignoratam sibi misericordiæ sedem; non purgat vetera delicta, accusat potiùs, ac exaggerat, quò paratior, & securior sit venia confitenti iam reo. Regem inflexit resipiscentis hominis oratio supplex, gratiamque his ferè verbis spopondit. *Si qua cunctis hominibus innata est ratio; si patria tua amor; si fides Principi tuo astricta tuis in posterum consiliis dominabitur: si quod sceleratis te armis immiscendo deliquisti, emendare satages melioribus factis; na totum id ego, tametsi grauiter læsus*

Subizius veniam impetrat.

obliuione perpetua conteram; & qui vlcisci iure potui, vitam tuam, fortunasque tuas contra vim aduersantium omnem nunquam non protegam.

Sed quàm vera & sincera Regis, tam inanis & mendax Subizij oratio fuit, seruientis duntaxat tempori, non fidi hominis officio, ab omni verborum simulatione abhorrentis:& quia metu leuatis suum crebrò redit ingenium, ita & ille ad suum postmodũ rediit, eosdem reuolutus in mores. Porrò quàm religiosè pactas deditionis leges custodiri Rex iusserit, vel illud quod iam referam satis apertè declarat. Milites aliquot per patentes murorum ruinas in ædes sectæ prædicantis illapsi, quidquid illic supellectilis erat, abstulerant; dissipato circùm rumore Rex quanti illud esset æstimari iussit, soluique continuò: ad sarciendam hanc qualemcunque iacturam ducentæ quinquaginta persolutæ sunt libræ, malè deinde multati qui contra Regis edictum alienæ se rei furto polluerant. Reddita Regi vrbs die Diuo Ioanni Baptistæ sacra, quasi sanctus hic Christi Domini antecursor destinatos sibi festiuos ignes, illabenti cum pompa hæreticam in vrbem triumphantique religioni accendi voluerit. Bimestre spatium tenuit obsidio, vltra semestre progressura, ni panis defecisset, cùm salsamenta, vinum, & cætera victus adiumenta abundè suppeterent.

Fures mulctati.

Rex à pœna rebellibus infligenda innatæ memor bonitatis abstinuit, versa in locum ipsum vindicta, quem vrbis prærogatiuâ exclusum ad oppidi vilitatem abiecit, demptáque Angeriaci, seu Sancti Ioannis prærogatiua, Ludouicæum de suo nomine appellauit: quanquam & exoleuit postmodum recens hoc impositum nomen. Sic qui ciuium saluti fortunisque Rex pepercerat, vrbis quoque famæ decorique consuluit; exin Angeriaco dilapsus, aduersus Pontios haud longè dissitos victorem transportat exercitum, quam in vrbem, montium quibus cingitur, asperitate munitam Castronouanum Marchionem cum militum delectu Rupellani miserant, vt regias frangeret, aut moraretur saltem copias, dum interea ipsi maturas iam fruges colligerent. Et impositum sibi munus impigrè curaturus erat Castronouanus, ni Lesdiguierius hominem ad deserendas perduellium factiones non tam monitis, quàm exemplo suo traxisset, quæ muta eloquentia vim expugnandis mentibus longè maiorem inferre solet, quàm loquax.

Pœna vrbi inflicta.

Rex Pontios aggreditur.

Castronouanus persuadetur à Lesdiguerio vt vrbem dedat.

Hunc ergò ad se fidenter adeuntem blandè aggreditur, missóque omni verborum apparatu, vnum se ipsi conspiciendum exhibet, ag-

nituro absque vlla dubitatione, quantò præstabilius sit cuiuscunque religionis hominibus contra rebellionem, quàm pro rebellione confligere. Ille anceps animi, nihil tutum satis vtraque ex parte contueri, opponere tamen conducibilius nihil esse vrbis præfecto, quàm datam semel fidem nunquam fallere, suam iam pridem Rupellanis astrictam; viro forti non perfidiæ tantùm maculam, sed leuem eius esse suspicionem vitandam; nihil admodum esse, quod ad tam repentinam deditionem cogere possit, præsidiarios magno numero censeri, ac in vrbis tuitionem diligenter incumbere, commeatu bellico instructissimam vrbem. Quid? si ne conspecto quidem hoste, nullis bellatorum perstrepentibus armis, loco tamen cedere apud me statuam, eam certè subibo infamiæ notam, quam nullis vnquam viribus eluere possim. Pręmittenda itaque vtraque ex parte nonnulla belli experimenta; cœptandus periculosus ille martis ludus, ex eo enim consequuturum me spero, vt si Regi tradendus sit locus iste, quotquot hic aderunt aut copiarum duces, aut militiæ gnari, non tam inertiæ meæ, quàm fortunæ temeritati ascribant. Cui Lesdiguierius. Amoue procul stultam hanc sapientiam, quæ reos imminutæ maiestatis efficiat; tutiùs longè est fidem regi datam præstare, quàm populo legitimi Principis sui placitis obsequi detrectanti; amentis est alienis implicari negotiis, rebus verò suis non cautè satis prospicere, cùm inclinatæ iam sint; an ignoras in spontanea vrbis deditione famæ, vitæ, fortunarumque certam constitutam spem esse, rebellibus autem exitialem rebellionem fieri, suáque tandem peruicaciâ, qua nulla grauior est pœna, contumaciores animos plecti. Hæc dum Castronouanus reputaret attentiùs, fidem in posterum, obsequiumque spopondit; maximè cùm dirigendis, componendisque domesticis rebus aut Rege ipso, aut patrono egeret aliquo qui ex intimis aulæ asseclis foret. Dediti itaque Regi Pontij, cuius arces vrbis dirutæ, deturbata mœnia, aliaque factionis receptacula solo æquata, Lesdiguerianæ cohortes aliquot intromissæ.

Deduntur Pontij.

Regem sua iure repetentem antiqua semper comitabatur felicitas, contrà verò perduellibus infesta erant omnia; abiectæ afflictæque spes omnes; vrbes quæ facilem ijs Ligeris transitum dabant, mensis vnius spatio ab Regiis occupatæ. Salmurium iam antea Rex ceperat, Sancerram Condæus, Gergolium Comes à Sancto Paulo. Et postremum hunc locum cùm rebelles validis secum ductis militibus insedissent, omnia circùm loca crebris propulationibus per-

Sancerra & Gergolium capiuntur.

uaſtare cœperunt, quin & ad Aureliæ vſque portas adequitabant infeſti, cædibus omnia, rapiniſque miſcentes. Comes Aureliæ gubernator ſumpto murali tormento, comitantibus Mareſcallo Vitrio, Marchione Rotelino, Barone Perſano, nec non Montepipæo toparcha contra huiuſmodi prædatores proficiſcitur, miſſoque tubicine Regis nomine deditionem imperat. At Bobieto loci præſide regiis iuſſis parere cunctante vehementer increpito, in cuncta vrbis munimenta tam citato impetu tantoque ciuium terrore diſplodi iubet, vt poſtulato ad primam pilarum emiſſionem colloquio, locum vitâ rebuſque aliis integris ſibi relictis dediderint. Præſidiarij Gergolio pulſi Sanſerram perfugerant, ſub Vatteuillæo Præſide vrbem acriter, vt ſpes erat, defenſuri; ſed vbi primùm Condæus in armis fuit conſpectus, acriores illi reſedere ſpiritus, ad obſequium redierunt Oppidani, quibus ea lege data eſt venia, vt ab armis aduerſus Regem regiaſque copias reſumendis abſtinerent deinceps: exin euerſa, quibus vrbs vndique cingebatur, propugnacula, cunctæque rebellionis arces diſiectæ. Captum deinde haud ita facilè Sullium validè reſiſtentibus Briquemautio, & Vatteuillæo, qui poſtmodum variis è locis exturbatus, Rupellam, quam tutiorem in ſtationem delegerat, remigrauit; hinc tamen, quod non præſenſerat, petita fugitiuo clades poſtrema; nam cùm à comitiorum proceribus per Normanniam, Britanniam ac Perticenſem plagam ſubſidiarias copias conquirere iuberetur, in caupona quadam percuſſorum nonnullorum inſidijs circumuentus miſerè petijt; eius cadauer curiæ Rotomagenſis edicto contuſum à carnifice, rotæque ad ludibrium expoſitum, ac poſtea concrematum documento fuit haud impune ſemper peccari ab hominibus, in quibus etiam vita carentibus reſtat aliquid ſemper, in quod vindicta cadere poſſit. *Sullium item* *Vatteuillaus necatur.*

Interea per Aquitaniam cum armatis aliquot vagabatur Rohanius, Caluinianos ad alendam rebellionem inflammans, faces acriùs intendente Forcæo Benearniâ ab Eſpernonij cohortibus pulſo, & in huius prouinciæ præſidem à Rupellenſibus cœtibus lecto. Seditionis flammas augebant quotquot illic aderant ſectæ prædicantes, dum ſingulis in congreſſibus collabi religionis columina dolentiùs expoſtularent, vim inferri ſingulorum conſcientiæ, fucum fieri euangelicæ veritati, luſum plus ſatis illuſumque à tetertimis Numinis hoſtibus; iuſtis retundendos armis, qui iniuſtis contra reformatos graſſari *Rebellio in Aquitania.*

S 3

non absisterent. Et valebat plurimùm apud imperitos crebrò repetitus hic clamor; emicabant siquidem, ac insilire parabant noui milites in Romanæ Religionis cultores præcipuos, inertiores si qui conspicerentur, ijs vires animosque suppeditabat æterni consequendi brauij spes à ministris oblata. Hæc præmia necdum sua, nec, si in errore perstarent vnquam possidenda profani spondebant oratores, & auscultabant tum proceres, tum infimæ sortis homines fallacibus verbis, vt ad propositas palmas, sic ad obiecta pericula omni deposito metu ruituri.

Visus tamen resistere Boissäpardalianus, qui cùm paucos haberet fortitudine pares, ægrè admodum inducebatur priores vt partes Forcæo concederet. Sic enim ille secum tacitè. Qui Benearniâ obrem improsperè gestam excedere coactus est nuper, quorsum iam in Aquitaniæ præfecturam supremumque prouinciæ regimen conatur irrepere? Comitiorum Rupellensium iudicia hunc mihi præferentium haud moror plurimùm, quasi verò incorruptè semper senserint, aut eblandita nunquam fuerint suffragia, aut nunquam fuerint digniores præteriti; procerum verò qui conuentui præfuerunt, autoritatem etsi venerari par est, non extimesco tamen, nec eorum mihi gratiam ascisco; tuebor itaque armis, quod virtute partum est mihi. Hæc inter illustres antiqua nobilitate viros orta discordia rem catholicam magnopere auxit; nam simul ac Forcæo auxiliares à Rohanio copias mitti Pardalianus agnouit, iunctisque contra se armis animisque vtrumque insurgere, melioribus ille consiliis animum intendens, regiis se se partibus confestim adiunxit; redditum cum eo Sanctę fidei oppidum, Gensacum, Monhurtium, Bergeracum, aliaque circùm oppida regis in potestatem redacta, Rohanius verò Clairacum, Toneinsium, Calmantium, Castroialousium, & Neracum inuasit, quod postremum longè cæteris præferebat; tum quod in Aquitanię vmbilico sita vrbs hæreticarum vrbium opulentissima sit; tum quòd cameræ iudicialis seu edicti sedem ibi constitutam abolere statuerat, ne prauis ipsius consiliis cœptisque Senatus, pro ea qua pollet autoritate, obsisteret.

Pardalianus Regi se adiungit.

Rohanius vrbes aliquot capit.

Hæc autem vrbs Alebretensis Comitatus facilè princeps Condomensi Cathedrali Ecclesiæ beneficiario iure obstricta, nullius olim ferè nominis erat: verùm cœli solique clementia comitatus huius dynastas ad castrum in vrbe sedemque collocandam illexit; atque hinc orta eius commendatio, opumque copia non exigua; muni-

Neraci situs.

tam satis natura fecerat, quippe collibus vndique cinctam, expugnatu verò difficilem ciuium virtus, tum in ducendis ordinibus, tum in lacessendis, repellendisque hostibus sub Henrico Magno ingenti cum stupore perspecta. Huic itaque vrbi collecta ex longo cupiditate inhiabant Forcæus & Rohanius; repugnabant ex oppidanis sapientiores quique sacramenti religione impediti, quo minus intra vrbis septa Rohanium admitterent; idque solennibus verbis coram Loyaco Senatore Burdigalensi spoponderant, ad continendum in fide officioque populum delegato; fecere tamen turbulentæ ministrorum conciones, vt vtrique permitteretur ingressus, quorum intromissio, Catholici magistratus expulsio fuit; neque enim inter armorum licentiam stare ius ciuile poterat. Senatores Catholicos sectarij proximè subsequuti sunt pari dignitate fungentes, vt rebellionis in vrbem inductæ inuidiam, qua proximè deflagraturi erant, depellerent.

Pichonus in Neracensi curia Præses Catholicus saluti suæ consulturus in castrum nondum ab hostibus insessum transfugit; spoponderat enim Portæus loci præfectus recessurum se nunquam ab obligato Regi obsequio, Rohanium vero ingressu prohibiturum, extincturum denique cunctos, si qui posthac inflammatiores orirentur rebellionis fomites; sed maiora viribus pollicebatur, occultas hostium grassationes non satis intelligens; nam cùm desertus stationariis locus esset, nocturnos in arcem excubitores inclinato in vesperam die tanquam eius curatores submittebant vrbis Consules, sicque horum proditione, occultisque fraudibus intromissus Rohanius fuit. Pichonus Meduano de omnibus quæ gerebantur per literas monito, lætus admodum ob vitatum vitæ fortunarumque suarum periculum Burdigalam versus iter arripuit. Atque hinc planum fit quàm intuti sint supremi etiam quique magistratus sine armorum præsidio, apud eos præsertim, qui non in legum placitis, aut probatæ consuetudinis robore, sed in effrænatis armorum viribus ius omne constituendum existimant. *Necessarium armorum præsidium.*

Hæc rebellionis Neracensis primordia à turbulentis, vt iam dixi, prædicantium clamoribus orta, quorum vnum hoc ferè modo præfatum ad suos tradidere nonnnulli. *Vita huius tot obnoxia casibus æquo constantique animo, libertatis autem iacturam nemini nisi de statione mentis deiecto perferendam prodidere sapientes; hanc vt in reformatis labefactent, cùmque ea ius omne natura peruertant, mul-* *Ministri rebellionis auctores.*

tiplices à Papistis mouentur machinæ; nam quorsum spectant eorum arma, quid districti toties minacesque circunferuntur gladii? nisi vt libertatem nostram opprimant; credendi regulas pro arbitrio cudant, quibus tanquam laqueis incautorum mentes irretitas ad impia profitenda sacra compellant. De infinitis reformatorum stragibus, probroque matronis ac Virginibus nostris illato quid magnopere queri attinet? Fætet adhuc militum impuritas in imbellem sexum impunè grassata, quæ flagitia pacatiùs nobis ferenda viderentur, si pari spurcitia religionem nostram inquinare desinerent. Quid igitur? silebimus semper, tam impiè habiti? tam crudeliter diuexati? conquiescent arma nostra, dum interea furentes audacia Papistæ iugulum nostrum impetent, extremamque religioni nostræ molientur perniciem? Caderemus omnes animis, ac desperaremus omnino, ni superstites etiamnum agerent fidei nostræ vindices duo, Machabæis conseruandæ studio veritatis æquandi, fortitudine verò, armorumque peritia Cæsaribus pares aut Alexandris.

Pichoni ad Meduanum literæ.

His truci clamore prolatis lacrymas addidit potentissimas internorum motuum concitatrices, exarsitque plebs illico ad vrbis defensionem, pellendosque Catholicos; quo tempore Pichoni literæ Meduano Duci sunt redditæ quartana febri præpedito: ille non tam morbi vi, quàm iracundiæ flammis inæstuans, è lecto, in quo æger decumbebat, sine mora prosilit; & Cardilhacum, vbi tum Espernonius aderat, aduerso Garumna deferri se iubet. Datum illic Barrautio, Ornanoque à Sancta Cruce mandatum, vt idoneas ad vrbis oppugnationem legiones conscriberent. Postridie Marmandam appulso sistit se Pichonus cum Catholicis Senatoribus aliquot; cúmque Neracensis rebellionis initia, progressusque copiosiùs vir facundus exponeret, innuit Meduanus haud opus esse pluribus verbis, finem dicendi faceret, sectariorum perfidiam vbique tametsi de illa taceretur, prodidisse se satis, quam vt condignis pœnis afficeret, etsi nihil se recurrentis febris ardores remorati fuissent, lentiùs tamen quàm sua paterentur vota, progressum. Exin Vignolium cum copiis sibi ab Espernonio Benearnia regresso commissis extemplo festinare iubet; Roquelaurum & Albaterram ad inchoandam obsidionem inuitat, illi cum cæteris, qui auxilio aduenere nobilibus confestim, omniumque citiùs expectatione legionarios mille ducentos, cataphractos trecentos, castrenses insuper machinas binas Aginno & Acilione abductas ad cœptandam aggressionem.

Statuitur Neracensis expugnatio.

fionem adducunt, quibus bellatores mille quingentos ætate florentes validosque Vignolius adiunxit, egregia facturos operæ pretia, si modò, quæ optima quæque labefactat consilia, Gallisque nostratibus plurimùm nocet, præpropera abfuisset festinatio, quæ in temeritatem degenerat.

Fauit præpotens exercituum Deus pijs Regiorum conatibus, tametsi numero longè Neracensibus inferiores existerent. Præmisso Feciali, qui deditionem interposita Regis autoritate iuberet, contumeliosè insultatum à ciuibus & præsidiariis fuit; destinatâ etiam in eius caput, quod sanctum erat habendum, catapultaria glande. Meduanus quod mollibus inuitamentis à contumaci populo exprimere non potuerat; enim verò potentioribus armis extorquendum esse censuit; & quanquam audax videretur quod agitabat facinus, cùm impar numero militibus foret in vrbem intrusis; non desperabat tamen, cùm ipse multorum instar haberetur, & esset. Quid enim in Imperatore tanto modicum? summa in eo fuerunt omnia, corporis proceritas, dignitas oris, incessus grauitas, membrorum denique omnium conformatio, qualis fortissimos heroas addecet, animus autem longè præstantior. Huic è Regio contemptu, pariterque suo propter indignam fecialis violationem exorto grauis ira incessit, hinc pectoris ima depascens, vultuque proditus dolor, hinc comminationes acerbissimæ, quas sequuta postmodùm est vrbis oppugnatio; quæ cùm vix denis hominum millibus cingi posset, hanc tamen cum ternis tantùm millibus aggreditur, sed plurium instar erat Meduani nomen, subigendæ rebellioni fatale, ideoque plusquam armatæ ferro acies formidandum obsessis.

Fecialis spernitur.

Meduanus vltionem parat.

Excesserant iam ex vrbe Rohanius, & Forcæus, quorum loco eam adgubernabant partito per vices imperio Monpolianus Forcæi eiusdem filius & Vicecomes Castesius Fauasio patre natus; iamque propiùs accedebant ad vrbem legiones, ducebantur aggeres, suis quæque suggestibus locabantur obsidionales machinæ, cùm Meduanus non Ducis tantùm sed militis etiam vices obiturus, nullis contra missiles hostium globos munimentis instructus, paucosque trahens secum leuis armaturæ milites, in obsessorum castra prosilit, equites binos qui Sclopetariis ducentis aut hastatis præibant eruptionem meditantibus eminus aspicit, hos festinus aggreditur, sclopum displodit,

Monpolianus & Castesius vrbi præpositi.

sed irrito iactu. Tum ductorum alter Castaingius nomine audax sanè ingentisque roboris vir aduersus Meduanum accurrit, applicitoque ad eius interulam sclopo. *Egregie* (inquit) *Princeps, quod impune nunc possem, id enim vero maxime nolo, nec paria repono lacessitus, altissimam in hoste dignitatem veneror: consilium interimendi mei haud defuit tibi, vna defuit, & aberrauit manus, aut sclopus. Vindicandus hic esset iure conatus, Verumtamen Ego saluum te, & incolumem volo, & præsto; referes apud tuos eum inesse hostibus tuis mentis celsitudinem; vt cùm cæteros motus, tum ipsam etiam vlciscendi libidinem compressam, constrictamque teneant.*

Hostis humanitas in Meduanum.

Nondum ordinata satis erat oppugnatio, cùm repentinus ad Meduanum pertulit rumor Caumontium oppidum senis illinc leucis dissitum ab Amato Forcæi filio mille quingentis bellatoribus freto recens interceptum, restitisse tamen castellum ab Estoruillæo loci præside propugnatum. In arduo præruptoque monte posita est huiusmodi arx Garumnæque imposita; ad cuius defensionem, relicto Neraci ad prouehendam obsidionem Vignolio, Meduanus cum equitatu toto, & Barrautij Vasatensis Senescalli legionibus festinus aduolat, præsidiariis arcta obsidione vallatis subuenit ac perfractis hostium sepimentis inductisque cibarijs, quæ ob gubernatorum inertiam iam antè defecerant, vrbis oppugnationem aggreditur, quod oppidani veriti, de facienda sui, rerumque suarum deditione aut de fuga fauentibus noctis tenebris arripienda deliberant, quod dum festinarent exequi, funestum id & memorabile contigit, quod hic paucis expedire pretium operæ duxi.

Qui Caumontijs auxiliatur.

Equos & pulueris tormentarij apothecam asseruabant obsessi in vrbano templo, quod, ne in regiorum vsum cederet, statuerunt occultè comburere, igniario ad id aptato funali, per quod sensim ignis proserpens ad nitratum vsque puluerem perueniret. Inter has moras tuti stabant complures in Ecclesia, cùm citiùs, quàm præuiderant, consumpto fune adrepsere scintillæ, puluerique immixtæ, flammis eluctantibus, ædis sacræ disiecere fastigium. Intercepti subitaria ruina tum hostes, tum hostium equi; Amatus, cùm proximus arderet paries, Castrojalousium profectus tutum quidem ibi receptum, sed non perinde gratum inuenit; hunc enim cum ducentis equitibus

Hostium clades.

intrare parantem ea lege ciues admiserunt, vt omnes solis suc cincti gladiis ante vrbis portam conspiciendos se darent, quod cùm ille ferret indignè, ac festinaret vlcisci, astitere continuò stationarij ad vim repellendam instructi. Interea Caumontium Meduano deditur, quod ille commeatu ad bellicos tolerandos labores abundè munitum fidorum præsidum curæ tutelæque commisit; post paulò in pœnam rebellionis prætetitę solo æquatum, oppidanis hac illac dilapsis, quibus nouæ ad radices montis fundandæ vrbis data est copia. Meduanus tam insigni victoria potitus debitas præpotenti Numini grates de more rependit, à quo militare robur omne in se suosque defluxerat. Exin horrendum ac victoribus etiam triste visum spectaculum, dum semiustulata laceraque ex Ecclesiæ Caumontianæ parietinis eruerentur cadauera, in quorum adhuc nonnullis torui oculi, relictæque in frontibus minæ. Claro genere natos prodidere baltei auro argentoque rigentes, equi etiam complures extracti horribili laceratione ac fuligine deformati, spolia etiam ampla reperta, sed lapidum aggestu, qui super incubuerant, aut fumo cuncta ferè corrupta. Regiorum haud amplius quinquaginta, è rebellibus verò quadringenti necati.

Caumontiū diruitur.

Horrendum spectaculum.

Hæc dum apud Caumontios prospero marte gererentur, Neracenses quotidianis eruptionibus Vignolij copias fatigabant, ac nisi huic tametsi pugnanti fortiter, cunctaque ex ordine militibus munia describenti auxiliares Suzij Comitis maturè adfuissent copiæ, complures è regijs diuturnioribus belli laboribus fatiscentes terga vertissent cum dedecore; etsi qui alacres ad leuia certamina proruebant obsessi, haud perinde prudenter, atque ex arte dimicarent; vnde fortes eorum conatus retardabat plerumque aut inscitia, aut temeritas, & adiutare cogebantur fœminæ viros, diuidebaturque in vtrumque sexum bellicus labor, haud dispari, ni rebellionem protinus exuerent, pœna mulctandum. Vt ergo finis aliquis tracto diutiùs imponeretur obsidio, expectabatur ab omnibus Meduani aduentus & eius felicitas, quem approperantem bini comitati sunt Galliæ Marescalli, Rupilaurus, & Albaterra cùm legionarijs multis, à quibus Neracenses vndique cincti, bellico deficiente instructu, diurnis nocturnisque debilitati vigiliis post sancitas à Meduano deditionis leges tradidere se Regi. Nona die Iulij anni 1621.

Neracenses vrbem Regi tradunt.

Post rebellium egressum vrbem adiit victor exercitus, legionarios ad prædandum accinctos vnius pœna coërcuit à Belebato irrogata, forensibus causis in Aquitania summo iure præfecto, Regioque apud Meduanum legato, cuius iussu gregarius, quòd militari elatus licentia poma ad forum venalia subripuisset, suspendio luit; seueriùs fortè pronuntiatum in furem, ni milites reliquos infame hoc supplicij genus absterruisset ab effrænata prædandi licentia.

Furtum seuerè mulctatum.





HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB LVDOVICO XIII. REGE.



LIBER QVARTVS.

Anno Christi 1621.



VANTO Caluinianorum ſtatus erat abiectior, tantò ſublimiùs aſſurgebat Catholica res; & patrocinantis Numinis auxilio, Regis auſpiciis, fortunatoque Meduani ductu ſubnixa, magis ac magis efflorεſcebat in dies. Sanè quidem quod Marcellum olim apud Romanos pepetiſſe ſibi decus prodiderunt Hiſtorici, par omnino apud Gallos, aut amplius Meduanus emeruerat; ille præcipuum Imperij robur, promptiſſimuſque in hoſtes gladius

Meduanus rebellium terror. omnium ore de virtutibus eius condignè arbitrantiũ appellabatur;hic verò terror sectariorumque flagellũ;quin & Regis dextera corque dici iure poterat,cum intimæ regium in pectus admissionis prærogatiuam heroicis planè virtutibus supra cæteros omnes retulisset. Et quia gloria nonnisi è fortiter actis existit, augebat ille vbique nominis sui famam nouarum arcium, aut oppidorum expugnatorum accessu; plurimumque ad id contulerat Castroialousium post Neracenses perdomitos nullo præuio certamine recuperatum; misso enim eius nomine Caduceatori, qui deditionem imperaret, continuò paruerant Consules, vrbemque haud ægrè tradiderant, efflictim tamen orantes, vt in ea saluis rebus omnibus, illæsáque præsertim religione tutò sibi liceret consistere, quod & haud difficulter impetrarant. Potuisset diutius resistere vrbs, in obsidium etiam regium abundè præmunita, sed illustrior ea fuit victoria, per quam positâ contumaciâ, excussáque penitus rebellione semetipsam generosè deuicit. Inter præcipuas securitatis vrbes adnumerabatur, peropportuno sita loco, ad Condomenses, Baionenses, ac Burdigalenses, merces suas absque magno cuiusquam oppositu mittere poterat; hinc ampla Catholicorum rebus accessio facta, sed longè cumulatior è spontanea eius deditione fructus extitit, cùm aliæ atque aliæ eius exemplum vrbes æmulatæ, regiam ad clementiam perfugerint, parem cum ea gratiam acceptura.

Castroialousium deditur

Alia insuper oppida. Iugum accepere Mommarsanus, Tartasium, Mediolanum ad Aquitanos, Monhurtium item ad Garumnam. Minoribus autem recuperandis instabat Rex impigrè, quasi debellandæ prælusurus Rupellæ, cuius importunæ frangendæ ceruici longè grauius infligendum erat vulnus; huius autem fastum pertinax, vt ita dicam, comprimere debuerat Regis bonitas, obuiaque indulgentia, aut insultantem nimium, viribusque suis præfidentem iusto timore percellere læsi toties eiusdem ira ex longo collecta; non continuò tamen cœpta est oppugnatio, cùm nondum satis instructa classis esset ad eam omni ex parte cingendam; igitur qua maximè continentem respicit, eò terrestres Espernonio Duce immissæ sunt copiæ. Terni ne quaterna peditum millia cum sexcentis equitibus censa, qui non tantùm decretum iam inchoarent obsidium, sed vagas etiam præsidiariorum hac illac volitantium populationes arcerent, ciuiumque messes,ac purpurascentes postmodũ vuas igne ferroque corrumperent. Atque id iniunctum sibi munus tanto lubentiùs admisit Esperno-

Espernonius contra Rupellanos mittitur.

nius, quantò maiori cupiditate flagrabat illatæ sibi vlciscendæ iniuriæ, docendique nunquam impune Magnates traduci; meminerat siquidem delectum se in Rupellensium vrbis regimen, contemptimque reiectum, Candalium verò Comitem ab ijsdem ad eiuranda Catholicorum Sacra compulsum; inquinatam vna cum filio nouitiis erroribus Espernoniam stirpem, vt antiquitate, sic & religionis integritate præstantem; vno filii vitio deformata tot heroum decora; quod vt probrum vlcisceretur, cunctis hostium propugnaculis fortunato marte infessis, tam composité regium ordinauit exercitum, vt nemo vnus hostili ex vrbe dilaberetur, quin in eius casses iure belli captus incideret, quo tempore interceptus Lanous contra regis copias ad vrbis vsque portas obequitantes erumpere ausus, stragesque nonnullorum edita: arcanam quandam coniurationem suspicati sunt rebelles è cuniculis suis expectatione citiùs prodituram: nempe quod formidant miseri, euenturum id putant, eiusque aculeo, quanquam remotissimus sit, quasi in antecessum figuntur. *Capitur Lanous.*

Dum variis per singulas ferè Galliæ prouincias cladibus afficerentur rebelles, nouas in Pictauiensi præsertim tractu noxas accumulare pergebant horum nonnulli, ne pœnarum ipsis ab vltore Deo, Regeque irrogandarum seges vnquam deficeret: Penè refugit animus eorum meminisse, quæ licentiùs vbique debacchati suscepere consummaruntque flagitia, dum post direptas, compilatas, æquatasque solo Cælitum ædes, supremi Numinis mystas, cùm sacris operarentur, captos illusosque pecorum more fœdè mactarent, æra campana conciendis ad Ecclesiastica munia populis destinata in obsidionales eliquarent machinas. Serpebat latiùs immanis hæc in Catholicos exprompta crudelitas, quorum numerum continuatis stragibus imminutum ibant, quo debilior foret in religione propugnanda superstitum vis; communisque vox omnium erat, tantò certior, quantò sincerior testantium fides, mitiùs longè facturos fuisse Ottomanos, tametsi agresti planè barbarie in selectum Christi gregem sæuire consueuerint. *Sectariorum crudelitas, & impietas.*

Aduersus impios sacrorum direptores missi à Rege Ellebouius, Praslinus, & Rupifocaldius Comes, qui audito cespititium ad prædas agendas, Rupellamque conuehendas munimentum extrui, strenuos illuc continuò bellatores immittunt; nec mora è semistructa mole prodeunt infelici omine congressuri cum Catholicis hostes, primo siquidem prouentium regiorum impetu fracti, comparatis ad *Coërcentur.*

Terga vertunt. capessendam fugam nauigiis, confusis ordinibus terga vertunt illico; cæduntur ex iis aliquot, dumque iacentia passim inspicerentur cadauera, repertus est Ricardetus Rupellanæ cohorti præfectus, vir latrociniis, sacrilegiisque supra modum infamis, ac proinde fœdiore dignus exitio. *Caeduntur nonnulli.* Hic effugij spe omni, vitæque propagandæ sublata, dum consuetum Catholicorum asylum hæreticus ambit, ac in sacram Numinis ædem trepidus aduolat, in ipso limine, ne augusta in adyta profanum penetraret aliquid, à sicario perimitur, & *Ricardetus necatur.* hanc sibi pœnam accersierat prouocato iustam in iracundiam Deo, cuius cruci affixi effigiem in eadem Ecclesia catapultæ globo transfoderat, adeo in mortalium omnium reparatorem infensus, & asper, vt quem, quippe extra telorum omnium iactus constitutum, lædere non poterat, in præcipuo eius simulachro violaret. *Eius impietas.*

Hæc tam pertinaciter malignéque à sacrilegis hostibus tentata, strenuè vindicatum ibat Rex locis occupatis plerisque, quæ secta sibi adscripserat, Romanoque passim cultu reuecto; ne tamen nouam inde quiritandi ansam arriperent extranei Principes, quod ad plectendam sectariorum rebellionem, vltra, quàm percuperet ipse progredi cogeretur, concinnatis ad eos literis de capto ab se circumferendorum armorum consilio, eorumque progressu per delegatos aulæ proceres, cerriores effecit, nihil sibi amabilius pace contestans, quam regno toto stabilire maximè vellet, sperarerque si depositâ priuatarum rerum cura regendos se se traderent Principi suo subditi, ius in omnibus, communemque regni tranquillitatem spectanti. His præmonitis, artis enim est regiæ conflatam in se inuidiam sedatè perpeti, eamque cùm ratio postulat amoliri, Curtracum proficiscitur oppidum memorabili Henrici Magni victoria nobilitatum, quam de Anna Ioyosæo, dum ciuilia maximè flagrarent bella, retulerat, iuuitque palmas regias cominus intueri nobili in loco succrescentes, paternis adhuc sudoribus imbuto. *Rex Curtracū petit.*

Exin paria, aut maiora editurus facinora porro pergere in animum induxerat; cùm Castillonij, oppidique Sanfideani consules veterem rebellionem deprecati, regios prouoluuntur ad pedes, certumque in obsequij specimen, vrbis claues offerunt, vnáque ciuium omnium mentes: verùm quia solutus in pascuis iugum ægrè bos subit, herbescentis viriditatis captus illicio, Sanfideani prætericæ rebellionis vesanâ nunquam destitutæ licentiâ memoriam replicantes, quod imponi sibi iugum haud ita grauatè sustinuerant, postmodum contu- *Castillonii. & Sanfideani dedunt se Regi.* *Rebellant iterum.*

maciùs

maciùs excusserunt; adeò prauorum consiliorum tenax est hæresis, vt si quid interdum coacta demutet, non diuturniorem in recto moram faciat, pristinumque statim ad genium remigret, vnde vi sibi facta desciuerat. Sed quod illi exuerant, postmodum à Bergeracensibus acceptum est iugum. Hæc vrbs in Aquitaniæ confinijs, Petracorijs adiacet, & quo tempore Henricus Nauarræ Rex sectæ commentis adhærebat, vigebatque factio illa potentissima, quæ vnionis sanctæ nomen assumpserat, firmis adeò munimentis vallata vndique erat; vt compluribus obsidionem pertinaciùs etiam adurgentibus potuisset obsistere. Hanc Forcæus cum Castronouo filio, ac mille quingentis bellatoribus ingressus, contra Regiorum impetus propugnare cœperat; diutiusque rebellasset, ni Panissautus fraude bellica commodùm vsus, subitanea rixarum incendia vrbe tota sparsisset, grauisque Forcæum inuasisset timor, ne repentinis his excitatis motibus circunuentus Regias traderetur in manus, futurus haud dubiè posteris haud ignobile diuinæ, regiæque vindictæ documentum.

Bergeracum obsequitur.

Exijt ergo ira metu permixta exardescens, continuóque vrbem Rex injit, 13. Iulij an. 1621. deditam, arcibusque ac propugnaculis destrui iussis, Ramburium Panissauto suffecit arcis præsidi, iusta priùs mercede pensato. Vrbem hanc absque vlla dimicatione redditam multæ postmodum subsequutæ sunt vrbes, quas inter Monsecurium, Tonesium, Monflanquinum, Puymirolium &c. Valancæus Bergeraco gubernator impositus, sollicitius nihil habuit quàm vt proscriptum diu Numinis cultum, ac Deum ipsum in vrbem feliciorem inde augustioremque futuram reueheret.

Diruuntur huius arces.

Aliæ atque aliæ dedũtur vrbes.

Valancæus Bergeraco præficitur

Post tot vrbes aut vi aut deditione receptas, dubitatum est diu, priusne Montalbano Clairacum aggrediendum foret; vtque certi aliquid super ea re statueretur, coactus est senatus bellicus; auditæ, excussæque diligenter variantes arbitrantium sententiæ. Qui in Montalbanense propendebant obsidium, vrbem hanc Rupellam alteram asseuerabant, arrogantiâ non absimilem, contumaciâ parem, promptum hanc esse diuque fuisse Caluinianorum asylum, æstuantem continuis rixarum incendiis officinam, denique in qua procusa fuissent, vndéque prodiissent cuncta rebellionis Occitanicæ tela; regiæ interesse famæ, ac fortitudinis, spretis minoribus monstris, tam exitiale præfocare portentum, ignoscendum tendentibus supplices manus, contrà verò præfidentiores proster-

Variè disceptatur de Montalbani & Clairaci obsidione.

nendos fortiter hostes, qui Giganteos in fastus assurgere ambiunt; nondum absolutas à rebellibus immanes arcium aut propugnaculorum moles, non expectandum donec extremam admouerint manum; occuparo semel Montalbano, reliqua haud magno molimine sequutura. Contrà verò differebant alij Clairacum sine graui Catholicarum partium damno prætermitti non posse, cùm ad eius oppugnationem præsto esset nobilitas Gallica, non armis magis quàm animis potens; à rebellibus bis mille quingentis infessam iam vrbem, ideoque nullâ interiectâ morâ sub iugum esse mittendam, ne intento in Montalbani aggressionem Regis exercitu, infestis hac illac armis populabunda excurreret; Achillęum iter Regem insistere, institisseque semper, quamobrem quascunque capesseret ille vias, conserendas has palmis esse & triumphis. Præpotuit posterior hæc sententia, obuium nihil relinquendum affirmans, si obicem aliquem copiis opponeret ad Montalbanensem expeditionem mittendis.

Clairacensis decernitur obsidio.

Rebellabant autem in inferiore Aquitania Clairacenses fere vni, eo progressi vecordiæ, vt Regi tanquam extraneo Principi contemptim insultare non dubitarent, hinc falsa passim in eum dicteria, quæsitaque felle plena. Quousque tandem iuuenis hic Francorum regulus, apud nos aget? Quin abit ille procul, euaditque ad euertendam religionem innocentesque diuexandos tam longum iter emensus? Intemperantiùs etiam oblatrabant alij, nihil nisi mordax & virulentum euomentes, adeò debitam Principibus reuerentiam exuunt, qui verum Numinis cultum falsis implicati, aut dementati potius opinionibus abiecerunt. Rebellionem augebat præter quotidiana prædicantium hortamenta, perantiqua oppidanorum in religionem nouam propensio, quam ab ipsis nascenris eius incunabulis altè animo defixerant combiberantque; priusquam enim insanis Caluini dogmatis inhæsissent, Lutherianas ad eos ineptias Rossellus intulerat, amplamque è flagitio tanto, proh seculi dedecus! mercedem retulerat, Abbas Clairacensis primùm creatus, tum Oloronensis apud Benearnenses Episcopus: hic quò callidiùs in auditorum mentes irreperet, stillaretque parum prudentibus hæreticum virus, pascebat de suo, vt aliàs retuli, numerosum infelicium gregem, iuuenum præsertim, dum in literarum studia incumberent; verè misericors appellandus, si curandis æquè suorum mentibus inuigilasset, quas purissimo Euangelij lacte depulsas Lutherianam glandem coquere, cœnare, ructareque coëgerat. Pertentandi etiam

Oppidani Regis contemptores.

A Rossello corrupti.

martis audaciam rebellibus dabat tum vrbis opulentia varijs è vicinorum oppidorum direptione spolijs locupletatæ, tum prosperi bellorum successus, quibus, ternis animosè restiterant pio Rege præfectis, regias inibi copias adgubernantibus, Valetæ, Montferrando & Lossæo; nec infeliciores tum operiebantur rerum exitus, præsertim cùm Neraco, Caumontio, aliisque ex vrbibus à Rege subactis auxiliares aduenirent milites, quorum bina saltem ad externam Vrbis custodiam selegerant millia, quibus Sanctorsius vrbis gubernator, cum sutore aliquo, aut veteramentario præerat, vltra crepidam & subulam auso, apud Batauos instructoris centuriæ munere prosperè satis perfuncto, ideoque præcipuæ inter milites reliquos autoritatis; armorum enim tametsi sceleratorum felicitas, adumbratam fortitudinis speciem non rarò induere solet, quæ ab ijs colitur, à quibus non tam bellorum causa spectatur, quàm lætus eorum euentus.

Decreta in secretiore consilio Clairacensi oppugnatione, Rex Aimatum appulit turbido, nebulosoque admodum Cœlo; illinc vix milliaria quatuor emensus erat exercitus, cùm excrescentibus immensùm imbribus, ventoque increbrescente, omnia circùm camporum æquora repentina eluuione stagnarunt: defluebant magno cum impetu è summis collium iugis in subiectas planities aquæ, vertebantur in voragines, & barathrum valles, aut ratibus transmittendæ necessariò, aut natatu vadandæ, plerique dum intumescentibus aquis contumaciùs obluctarentur, fluctibus hausti. Rex, quia vix quidquam terræ conspiciebatur, in paucis Aimato Tonensium vsque conficiendis milliaribus biduum totum equo vectus insumpserat, fœdam tempestatem excipiens, ac repetito veterum heroum more dissimulans, peruincendis huiusmodi cæli terræque incommodis parem militi suo facturus audaciam. Omnis ferè belli apparatus fatiscentibus præ viarum difficultate rhedariis ex parte corruptus, regia supellex vix è fluctibus erepta, mediáque viâ relicta, sarcinariorum iumentorum ductoribus in salutem suam è tantis periculis eximendam intentis.

Repentina eluuio.

Absterrebant hæc omnia ab inchoando Clairacensi obsidio, nisi Rex concidentes militum animos erexisset, è cælestibus minis appulsuram breui serenitatem præsagiens; implorata itaque Numinis ope, cuius id muneris est ventis ac tempestatibus moderari; dum aduesperasceret dies, Altamvineam attigit, cui, coquinariis deficienti-

Aulici cœnam Regi instruunt.

bus administris, subitariam cœnam instruxerunt vnáque adsederunt Luynius, Chaunius, Rupiguyonus, Tresmæus, Effiatus summus equisonum regiorum decurio, alijque proceres.; non abesse poterant mensæ lautitiæ; appararissimíque cibi, hos si quis è concinnatorum dignitatibus æstimasset. Postridie qui torrentium aquarum impetu corruerant, erecti sunt pontes; quodque incredibili omnes admiratione compleuit, visæ per latissimas camporum planities fluctuantes cymbulæ, quæ milites Toneinsium vsque cum sarcinis cæterisque impedimentis conueherent. Deucalionæum haud ineptè diluuium vocitarunt nonnulli, quo, vt perhibetur à vatibus, pisces supra celsissima quæque procerarum arborum montiumque enatarunt fastigia. Inter reficiendi corporis curas, grauioribus aliis exedebatur Regis animus, quid Ternesio, Zametoque factum esset anxiè identidem inquirentis, quos ille vnà cum mille quingentis legionarijs præmiserat cominus hostium vires, numerumque inspecturos.

Toneinsium vsque inter has cæli terræque difficultates delati primi Regis administri, Veræus Procancellarius, Schombergius Comes, magnus Galliæ quæstor, quique Regi ab epistolis erant, ac in vrbem intromissi, dubitare cœperunt illico de oppidanorum fide, quam licet palam Regi deuouissent, fluctuabat tamen sine obsidibus, quos dederant nullos; & quia fluxa plerumque nec diuturna est in hostibus fides, ob id tantùm seruientibus, quia rebellare non possunt, trepidatum ab aulicis est, donec qui recens venerant alariorum ductores ad singulas vrbis portas stationes agere iuberentur.

Veræus Galliæ Procancellarius moritur.

At quem non præmeditabatur Veræus hostem, fatales postmodum huius expertus est vires; obtigit siquidem è pestilenti febre mors homini deuexa iam ætate, ingentique Gallicarum rerum mole prægrauato. Hic liberalibus disciplinis egregiè excultus eloquentiam Gallicam temporum iniquitate supináque eorum, qui doctrinæ famam aucupabantur, negligentia pene obliteratam, pristino, quem habuerat olim, splendori restituit, ipso Romanæ facundiæ principe germanum in exemplar assumpto, cuius orationem pro Milone habitam, Gallicam fecit; quo in opere dilaudatum olim à Porcio Catone aliisque autoribus Gallici nitorem sermonis apertè demonstrauit. Claruit etiam vir magnus politicis virtutibus, quibus & Christianas adiecit, præsertim dum creatus est Præsul, singulare erga

Deum Cælitesque omnes pietatis studium, largitatem in egenos, ad hæc, quam maximè profitebatur, positam in suo cuique reddendo iustitiam. Eius cadauer Lutetiam Parisiorum delatum conditumque in Bernardinorum Ecclesia, sepulchrali autem marmori vnum id insculptum, quod omni fastu procul ablegato incidi iusserat, sine pompa sapere solitus, ideoque minore circunspectatorum inuidia *Guillelmus du Vair Episcopus, Franc. Procancellarius. Hic expecto resurrectionem & misericordiam*; & postremum id assequutum asserere ausim, misericordem quippe, solitumque contributa largiter stipe pauperum subleuare miserias. Næuos aliquot in splendido hoc Galliæ sydere obseruarunt sagaciores eius inspectores nonnulli; at quotus quisque est, qui tametsi virtutum callem institerit semper, obloquutores non sentiat, aut cum eximijs virtutibus non admisceat interdum leues, & ignoratas sibi maculas. Stoica huic morositas obijcitur, quam qui benigniùs interpretantur, iustitiam vocant, à cuius nunquam semita deerrauit, laudandus in eo præsertim, quòd fidam Deo, Regique operam præstiterit semper, quod primarijs auctus Galliæ dignitatibus, abusus nunquam fuerit, visus ijs maximè dignus, quòd eas castè integréque gessisset. *Quid in eo reprehensum?*

Inopino tanti viri fato Rex supra quam dici potest indoluit, cuius consilio prudentiaque cùm politicis in rebus, tum in bellicis vsus erat expeditionibus, vsurusque erat continuò, vetus id dictum reputans; quo asseritur senum sapientiæ laude clarorum consilia hastas iuuenum esse, eundem in Clairacensi obsidione consiliarium adiutoremque asciuerat; quæ quidem nunquam inchoata fuisset obsidio, si oppidani sanis Puiolij vrbis præfecti monitis obtemperassent, vt obsequium Regi debitum præstarent nunquam non adhortantis, vt quam ipse fidem ei spoponderat, hanc rebellibus ad officium reuocatis, illustrioribus quasi testatam documentis relinqueret, Verùm surdorum in aures iaciebantur tot monita, cùm varia quæ recens munimenta construxerant, ipseque Clairacensis vrbis situs, aut repellendi, aut morandi saltem diutissimè Regis fiduciam oppidanis intenderent. *Puiolius ciues ad deditionem hortatur.* *Non auditur*

Est porro Clairacum haud ignobilis vrbs, famosiorem fecit pertinax eius in Regem rebellio, vt enim virtutum splendore clarescere, ita & flagitiorum suorum fœditate, quanquam rumore longè dispari innotescere solent vrbes, nihil alioqui nominis habituræ. In aspe- *Clairacensis vrbis situs.*

V 3

ro sita est colle Oldo fluuio irrigua, arduus huic difficilisque accessus ob vinetorum decliuitatem, quibus vndique cingitur, claustris insuper erat & propugnaculis septa, perennibusque stationariorum excubiis præmunita, vnde tanquam sui secura, nullasque hostium vires insidiasque verita, regiis iampridem insultabat cohortibus. Hanc diuiso trifariam agmine oppugnarunt Catholici, Termesio dextrum assignatum est cornu, Zameto læuum, Coutenantio medium, quibus nouæ sunt attributæ cohortes, Termesio Prætoria, Zameto Picardica, Campanica, & Bellimontana; Coutenantio Nauarræa, Normannica, & Chapesia: Bellatores hi cuncti armis animisque validi probandæ indolis ad illustria operæ pretia natæ institutæque signum præstolabantur aliquod, cùm in gradu stare, nihilque mouere, dum ipse aduenisset, Rex iussit, congredientium scilicet conatus cominus aspecturus, applausurusque fortibus factis.

Regiorum acies.

At quis stricti, perfurentisque gladij aciem, iramque in Gallica præsertim nobilitate coërceat, quam martius semper ignis excoquit stimulatque arrecta laudis adipiscendæ cupiditas. Nondum ad expugnanda valla processerant acies, cùm Ioinuillius Princeps, Lesdiguierius, aliique legionum ductores procul excurrere ausi sunt, tum sub densis arborum frondibus frigidiores captare simul auras, feruentiorisque solis æstum deuitare conspecti; contra quos sistit se se ex improuiso sclopetariorum manipulus, horumque nonnullis pilas destinat, vulnera ingerit. Irrumpunt illico Regij, vindictæque cupiditate incensi aduersus hostes prouolant, repelluntque; exciti hoc tumultu rorarij cruentæ pugnæ præludunt, quam, vt maximè vellent, inhibere minimè potuere copiarum præfecti, nec Regis imperio obsequi, cuius adhuc expectabatur aduentus

Pugna.

Termesius in decurrendo hoc pugnæ honorisque stadio priores ambierat partes, primus enim non expectato belli signo in irruentes hostes subitaneus emicuit, prorupitque, nihil ordinatius nec generosius factum, eius si ducatum satis æstimes, alacresque prætoriæ cohortis animos; circumequitabat agmina, obuium quemque spe solabatur quam optima, iteratis incendebat hortatibus, nihil esse victoria illustrius coram Rege, Regis auspiciis de rebellibus parta; hanc autem propè in manibus esse; auderent modò, seque militaria non dedignantemunera, imò, & quod vetus ille ambiebat Imperator, sequerentur cuspidem suam. Verùm quia forti bellicæ

hac illac pro arbitrio progressuræ nullus vnquam præfixus est limes, Ternesium, cui famulata fuerat hactenus, postremò deseruit plumbea glande vulneratum, paucasque post horas vitâ functum, cùm quo necati pariter alij complures, sed magna ex parte gregarij nulliusque nominis viri, præter nobiles tres Lariuerium, Massotesium, & Malhiocium, quibus vberes impensæ sunt lachrymæ, sed vberior Termesio indultus est fletus, maximè cùm semianimis intermortuis verbis affaretur sic Regem. *Vulneratur Termesius.*

Mortalem hanc vitam exuo Rex augustissime, tuis olim mancipatam obsequiis, nec ægrè id admodum fero, quòd hæc mihi non ignauiter agenti, sed in decerpendis, afferendisque maiestati tuæ palmis intento violenta obrepserit. Vides manantem è vulnere sanguinem, deficientemque spiritum, non deficientem tamen meam erga te fidem, quam integram, & tanquam meæ constantissimæ in te voluntatis obsidem, transmitto liberis meis, vt nunquam non adsit paternum, quod imitentur exemplum, tuisque, ac regni totius procurandis rebus etiam cum vitæ suo detrimēto insistant. Hos porrò iuuenes cum matre sua regiis maiestatis tuæ curis impensè commendo, rogoque vt sentiant semper superstitem in te patrem viuere, nec collabi fortunam suam, quorum genitor in firmando tutandoque regni tui statu vitam lubens impendit. *Postrema eius ad Regem verba.*

Rex supplicis orationi lacrymisque benignè annuit, prælargè pollicitus, quandiu Gallico sceptro potiretur, Termesiæ se familiæ patronum, defensoremque futurum. Sic perijt, aut beatam potiùs auspicatus est vitam vir Maximus, omnibus vitæ ciuilis & elegantis dotibus instructus, singulari apud Regem gratia flagrans, bellica fortitudine clarus: vtinam virtutibus tantis par adfuisset felicitas. è Tonneinsijs Carmelitis, vbi primùm sepultus fuerat, in Diuionensem Societatis IESV translatus Ecclesiam, priores suorum, bonorumque omnium fletus renouauit. Ad eum extremum iam decumbentem, pio solaturus alloquio Regis iussu profectus Arnulphus Societatis Iesu sacerdos, tanta mentis roboratum constantia reperit, vt plus ab eo cœlestis se voluptatis hausisse contestatus sit sæpiùs, quàm eidem ipse attulerit, tantis quippe ob instantem laborum mercedem gestiebat lætitijs, vt pignus eum appulsuræ mox felicitatis prælibare nemo non crederet. *Eius dotes.* *Pietas.*

Recentem hanc Regis, Galliæque totius iacturam leniebat admirabilis Zameti, Coutenantiique in hoste repellendo & ad claustra

sua retrudendo constantia, quibus tandem effractis, in vrbem ipsam militaris versus est labor, quam cùm propiùs Rex inspexisset, binis hanc aggressionibus inuadendam edixit. Nec mora, quinorum aut senorum dierum spatio tormentis vndique fulminantibus conquassata, eò denique præsidiarios impulit, vt de imploranda illico Regis venia seriò deliberarent, quam vt faciliùs impetrarent, quasi nulla tum vrgeret dedendæ vrbis necessitas, eruptionem fecerunt acrem illam quidem, sed temerariam, magna quippe celeritate post necatos sexagenos, ab regijs repulsi, desponderunt animum, etiam qui è rebellibus præfidentiores erant; quamobrem ad saniora propendentes consilia, postulato colloquio deditionis leges cùm impetrare non possent; neque enim æquum est cum subditis suis Regem pacisci, eius se se fidei exploratæque commisere clementiæ. Tentantur itaque primi ad Regem aditus, delegatique cum sectæ prædicante primores vrbis aliquot, & ad eius pedes affusi, quæ certissima est festinandæ veniæ via, scelus non dissimulant, fecisse se impiè iniustéque fatentur, tum prolixè satis, nec ineleganter omnino sectæ Minister in hunc ferè modum orsus est dicere.

Quatitur Vrbs. *Erumpunt hostes.* *Caduntur & Oppidani veniam petunt.*

Augustissime Princeps, quæ præterita rebellionis torrente abrepta, quæsito religionis, conscientiæque obtentu in spontaneam se se Vrbs calamitatem immersit, hæc ad sacros pedes tuos abiecta, vbi subleuandis mortalium miseriis misericordiæ defixa est ara, pro debita criminibus suis pœna veniam precatur enixè, quam haud difficulter impetraturam se credit, si quàm meritò Iusti meruisti, impleuistique hactenus nomen, tam cupidè clementis & misericordis titulum ambias. Id si à Regia benignitate tua consequuti erimus, non inuadet nos repentinus ille timor qui quondam Israëlitas perculit, quorum ea vox erat. Vidimus Dominum & moriemur, *nec enim, sùm alterum te sibi Deum substituerit diuina illa mens æternaque bonitas, suorum delectari potest exitio. Pollicemur omnes, sanctéque iuramus nunquam interituram apud nos regiæ huius gratiæ tuæ memoriam, operamque daturos perquam diligentem, vt hæc incorrupta semper transmittatur ad posteros. Et quia in rebellione fouenda pertinaciores reformatis cæteris fuimus, tanto impensius omnes violata toties à nobis maiestati tuæ spondemus obsequium.*

Oratio sectæ Ministri ad Regem.

Hæc ferè prolocutus est Caluinianus Orator cum Oppidanorum primoribus, quorum oratione permotus Rex, vitam supplicibus & fortunas lubens indulsit, addiditque prudenter admodum fecisse, quòd

Rex Clairac nsibus vitam indulget.

quòd pronum se ad misericordiam, quæ præcipuum Regum est decus, veniam postulaturi adijssent, vnicam nempe hanc esse demulcendorum, placandorumque Regum viam, subditorum eos armis grauiorem ad iram inflammari, lacrymis flecti, Exin delegatos ad Luynæum Conestabilem ire iussit, quæ sui forent muneris pluribus edocendos; hic dimanare in omnes indultam à Rege gratiam affirmauit, paucis duntaxat, ijsque nocentioribus demptis extremo reseruatis supplicio. Extemplo trepidare, qui aderant, suspicarique vnos se esse in quos sæuiendum proximè foret, vellicante quemlibet præteritorum flagitiorum conscientia; sed timorem omnem excusserunt recitata eorum nomina, qui poscebantur ad pœnam, hos inter Dionysius Consul, cum magistratus sui trabea in patibulum actus, eodem supplicij genere affecti Farguesij ambo nempe cum filio pater factionis incentores, omnibus noti; Ministro insuper fracta à Carnifice gula, non tamen illi, qui ad Regem delegatus orator fuerat; abierat ille ab omni pœna immunis, tanti scilicet est instātibus capiti periculis patronam aduocare facundiam, huic cæsorum numero sutorem aliquem inserunt, cuius supra meminimus; suspendio pariter occidendus erat Poyus medicus, ni Regij commodùm interuenissent medici, furcæ dedecus non tam rebelli medico, quàm arti nobilissimæ deprecati. Sic illatâ turbulentioribus nece castigata rebellio collætantibus omnibus, immensasque Regi grarias agentibus, quod pœnam in plures sanciendam grato admodum honestoque compendio contraxisset in paucos.

Pauci supplicio reseruati.

Consul suspenditur

Vni sua patroci atu facundia.

Alteri medicina scientia.

Indignabantur milites factum esse ab Rege clementiùs vix vllius nominis vrbi, oppido potius eius cohortibus resistere auso, accendebantur etiam vehementiùs ob immaturam Termesij necem, & atrocem iam animo meditati vindictam, festinabant irrumpere, cùm id subodorati, quotquot supererant adhuc præsidiàrij, ad flumen agminatim prouolant, ac transmittere satagunt. Verùm quæ fida satis hominibus statio à supremo Numine, conscientiaque sua derelictis? è cymbis enim, in quas, dum hostis à tergo premeret turmatim insilierant, desiliebant in aquam, seu quòd non æquato satis hinc inde pondere, ex vtroque latere alternatim depressæ hac illac ægrè periculoséque ferrentur, seu quòd pleræque rimis fatiscentes, insinuantes se se sensim vndas acciperent; sic absorpti sunt fluctibus horum non pauci, maximè cùm ductarius, qui

Indignātur milites.

Vindictam parant.

Fugiunt hostes & fluctibus absorbentur.

nauigiorum cursui moderabatur, à ternis militibus abscissus est funis, qui tetrum hoc crudeleque facinus infami luere suspendio.

Mulctatam condignè rebellionem fuisse obseruarunt prudentiores nonnulli; nam quæ Caumontij excitatô conflagrarat incendio, Clairaci fluctibus hausta miserè perijt, quasi ad iustas irrogandas ei pœnas vnicum impar elementum existeret. Qui citeriorem in ripam incolumes euaserant, more palantum pecudum occidione occisi. Clairaco subacto intellectum est magno rebellionem constare, ac propè furiosum esse cum superiore ac Rege præsertim causæ bonitate conscientiaque freto contendere; accessere siquidem ad obsequium circumiacentia sectariorum oppida, Layracum, Mansum Virodunense, Maleuicinum, Iordanis Insula, & alia pleraque, quorum ne posthac induti spontaneè iugi pœniteret, solo æquata sunt mœnia: sic nempe imperatum à Rege, cuius iussa dum exequi properaret Meduanus, toto illo tractu armorum suorum, quibus perennis iuncta erat felicitas, terrorem explicuit. Garumnam transmisit finitimas Montalbano vrbes recuperaturus; tum Corbeiauxium, & Albiasium oppida resistere ausa, vi partim, partim deditione recepit; Albiasiensibus aliquot, ob grauem Vignolio plagam inflictam pœna mortis sancita, vrbs in direptionem militi data. Profuit hoc seueritatis exemplum Realuillæ, Negrapelissio, Caussadæ, Borniqueto, aliisque oppidis postremi huius calamitate sapere doctis. Paribus bellorum facibus ardebat Occitania, quæque in Aquitanis Vasconibusque sectariis stylo iam expressa fuit rebellandi audacia, eadem in Caluinianis Monspeliensem tractum incolentibus, aut fortè maior inspecta. Hi præter auxiliares, quos vndique conuocabant delectus, firmiorem etiam accersebant ab extraneis regionibus armorum instructum, quæ in Romanam religionem, Regemque distringerent, & distrinxissent haud dubiè, ni praua eorum consilia interuertisset fraus bellica, seu stratagema familiare satis militibus, dolo perinde ac virtute grassantibus, cuius narrationem paucis verbis expediam.

Alia iugum accipiunt loca.

Albiasium militi diripiendum datur.

Gesta in Occitania.

Cùm nauis Batauica armis & hominibus instructa Agathensem plagam incautè legeret, à piscatore, qui Caluinianum esse se mentiebatur intercepta ac circumuenta commodùm fuit. Hic mixtis, vt ferè fit, cum vectoribus armatisque colloquiis, horum sensim arcana penitus introspexit, didicitque tantam armorum copiam aduehi, quanta duodenis rebellium armandis millibus sufficere pos-

ſet, quæ priuſquam à regiis qui illic aderant, occuparetur, Mommorancii Occitaniæ Proregis nutum explorare, ipſumque operiri perplacuit. Quare ſigno per tormentorum diſploſionem edito ad locupletem hanc prædam euocatus, obturbante nemine confeſtim arma iubet extrahi, extractaque omnium qui tum in comitatu erant, oculis ſubijci; mirari ſtatim illi ſupellectilis bellicæ copiam tantam; conſpecta primùm ſena maioris modi tormenta, leuiora octona, ſcloporum 4000. ſclopetorum verò maiorum aut minorum 6000. haſtæ 2500. ferrei aut armati ferro thoraces quingenti præter nitratum puluerem, glandes, & in earum ſupplementũ atque fabricam, ferri plumbique vim maximam; atque hæc omnia ducentis aureorum millibus æſtimata, quæ vt ſumma confieret, ſectæ cultores, Occitani præſertim omni ſe propemodum re nummaria exhauſerant, quibus ſupra modum & inſolabiliter doluit, quòd vertenda in iugulum ſuum ære tam grandi longinquis in regionibus arma coẽmiſſent, non alienis tantùm, ſed & viribus ſuis concidendi. *Nauis Batauica armis onuſta capitur.*

Verbis exprimi, imò nec ferè mente concipi poteſt, quantam Regij ex hac præda voluptatem hauſerint, dum reputarent identidem ſuis hæreſim armis confodi, exacuto à ſe ferro iugulari; non hæc autem eueniſſe fortuitò, vehementiorem rexiſſe vndarum impetum non commentitium illud cum Tritonibus ſuis Numen, ſed verum maris, tempeſtatumque dominatorem Deum; tantum hoc damnum rebellionem promeritam eſſe, ad eius exitium ſupremamque cladem coniuratum à ventis, procelliſque; terra marique plectendos, qui in potentiſſimum terræ, mariſque architectum arma impia & ſcelerata mouerent: ſtabant tamen animis poſt acceptam hanc cladem rebelles, alias atque alias machinabantur artes, quibus paria, aut maiora damna reponerent. Ridiculum planè eſt, ideoque minimè prætermittendum Piloni apud Cebennates orti ſtratagema, ſiue bellicus aſtus. Venerat ille Monſpelium cum militibus aliquot, quadringentos fuiſſe memorant, quorum pars magna mendicabulis conſtans perſonata ac horrendum in modum efferata, ſenſim, preſſoque gradu incedere viſa, niueus penulis inerat color, cùm atrata ipſi vexilla Leoninis ſimulacris flammiſque ad terrorem interſtincta præferrent, ventilarentque, quibus formidandum id inſcripſerant *Perdam nomen Babylonis.* Ad Iuuenalem pontem conſedit fanaticus ille laruatorũ manipulus nullo edito operæ pretio, irriſus, perque omnium ora Pilonus traductus *Catholicorum gaudiũ.* *Ridiculum Piloni ſtratagema.*

cum vilissimo Lixarum, Caculariumque quem adduxerat grege.

Blaconsius Ensigeausiū aggreditur. Nec leniore infamiâ Ensigeausium tentauit Blaconsius Priuatij præfectus. Is ad omnia & audenda & aggredienda proiectus, præcepsque animi, accersitis asseclis suis magnum se aliquid mente agitare significauit, quod si prosperum sortiretur exitum, ingens reformatorum Ecclesiis decus & incrementum allaturum videbatur, pariendum nunc esse, nec differendum ampliùs quod parturiebat animus. Illi tantæ rei expectatione suspensi vires vltro suas ad cœptandum id facinus, perficiendumque polliceri, explicaret itaque fidenter quid rei esset, nec amicos, fidosque adiutores tam præclarè cogitata celaret; tum ille, Ensigeausium nunc adeundum & occupandum est nobis, castrum est Aniciensis Præsulis, loci genio artéque munitum, quo semel expugnato, è Vellaunijs ad Viuariensium intima facilis nobis nemine resistente pandendus est aditus. At quia vanescunt illico, nulliusque sunt roboris dissipata in vulgus consilia, clam id omnino habendum quod apparo, ita enim verò repentina circumuallatione inuadendi sunt præsidiarij, ac priusquam tentari se nouerint, iugulandi. Exin cum legionariis quadringentis, Amontio & Sibrerasio ductoribus lectis, intempestæ noctis silentio castri muris succedit, ferreâque ductario ponti admotâ machinâ, crepitaculum vocant, idoneam aperit immittendo militi viam. Expergiscuntur alto è somno præsidiarij, contra quos Chalamontius primus irrumpit, insilit pariter Amontius, alijque complures truci clamore ingeminantes *viuant Ecclesiæ.* Manum strenuè conserunt quotquot illic aderant stationarii, & ne debilis sexus militaris omnino laudis expers existeret, conspecta in armis est fœmina virili veste induta, viriles pariter animos gerens, tandiuquecum hoste conflixit, donec honesta morte decumberet.

Excitus quoque Sacerdos septuaginta iam natus annos, validus tamen. Erat is castri curator, oppidique parochus: & quia iusto corripiebatur metu, ne Caluiniani rerum sacrarum depeculatores infamibus sacrilegiis consecratum Numini templum de more pollucrent, pristinis aduocatis viribus murum se pro eius defensione contra nefarios barbarorum conatus opponit, profanaque etiam arma tractare aggreditur, spiritualibus tantùm distingendis idoneus, ideoque venerandus magis, quàm timendus bellator. Sed, quæ, vt deuexa iam vir ætate auderet, impellebat causæ bonitas, hæc eundem de tot hostibus in suam, suorumque cladem incumbenti-

Defendit loci Parochus.

bus triumphantem effecit. Deo itaque vno, qui cum viribus animos dabat, subnixus, in Amontium irruit, insultantemque ac congredientis canos falsè mordaciterque ludificantem obtruncat, exin sumpta maiore fiducia gregarium in se militem irruentem eodem gladio recenti sanguine cruentato transuerberat. Cadunt præterea Chalamontius, & Sibrerasius, à stationariis perimuntur non pauci, alij dum fugam præcipites carpunt, in fossam incidunt, vbi aut cum restagnantibus vndis cum magna difficultate luctantes, ad extremum præfocantur, aut anatum instar intortis sclopetorum pilis transfixi miserandum in modum intereunt. Qui pedum vsi celeritate procul euaserant, à Barone Chatesio suppetias obsessis maturante necantur.

Hostium strages.

Haud absimili clade inuoluendus erat Blaconsius, nisi per auia saltuum & confragosa loca festinata se se fuga ex instante mortis periculo subduxisset, ac cum eo superstites adhuc quadrageni è rebellibus quadringentis, qui castrum expugnaturi aduenerant. Atque hæc Blaconsiana fuit expeditio sectariorum quam plurimorum strage memorabilis, puduitque hominem repentini consilii nondum satis excocti, vnde & inualidi, sed angebat præsertim præcox tot iuuenum fatum, quos non tam iustum ad certamen, quàm ad lanienam immiserat, quodque grauiùs mentem exulcerabat, quasi victimas tradiderat sacerdotali vindictæ. Priuatium regressus multis cum querelis, iactisque vndique probris à mulierum grege accipitur, liberos ab eo suos repetentium, intentabantur vndique minæ, Ille, ne muliebris scopus iracundiæ, vindictæque foret, in proximas se se confestim latebras abdidit, discerpendus alioqui ab imbelli hoc grege, eo crudeliùs in hominum vitam interdum grassante, quo indulgentiùs peccare se nouit.

Fugit Blaconsius.

Pari furore contra Castillonium debacchabatur secta, quasi manifestum Ecclesiarum hostem, quibus non modò non prospiceret, sed obesset non mediocriter, variis, qui reformatorum arcana rimarentur, Regique perferrent, exploratoribus missis; alia item atque alia comminiscebantur, quibus eum proditionis crimine insimularent, quapropter omnibus eum dignitatibus iam ante spoliarant, ac præsertim Monspelii, Fossarumque Marianarum præfecturâ, quin& conditum aduersus eundem edictum in municipali domo recitare perplacuit, quod & publicis actis insertum, ac per circulos omnes fuisse traductũ memoriales produnt tabulæ. Magni-

Castillonius præfecturis suis exuitur.

X 3

ficentiùs certè Castillonius commendari non potuit, quàm cùm vituperaretur à secta, violatam ab eo fidem criminabantur, exprobrabant turpe admodum & ignobile factum, quasi scelus appellandum sit præstitum semel Regi obsequium illibatum seruare. Non alia hic diluo crimina, quibus herois generosissimi famam obterere adnitebantur, quem si consiliorum suorum præceptorem habuissent, exulasset ab eorum circulis Gallici turbandi status effrænata cupiditas, debilitataque funditur concidisset rebellio.

Romanus Pontifex Regi virtutes commemorat.

Sed dum fortissimi viri nomen confictis criminibus obscurare moliuntur hæretici, selectissimos laudum flores plenis (quod aiunt) calathis à Gregorio XV. Romano Pontifice in Ludouicum Regem congestos producamus in medium. Sanè quidem non Galliam modò vniuersam, sed & remotissimas Orientis ac Occidentis oras peruagabatur magna cum omnium admiratione inuicti Principis fama, Herculem fortissimum illum monstrorum domitorem regiam in mentem immigrasse affirmabant exteræ gentes, ne frustra Gallicus appellaretur; vt semper, vt feliciter viueret, succlamabant. Non poterat non collætari faustis his acclamationibus ciuitatum reliquarum princeps Roma, sedesque religionis à Rege tam constanter propugnatæ primaria. Lætum itaque de Capitolij culmine sonitum accepit Gregorius vniuersæ Pastor Ecclesiæ, Regisque decora datis ad eum literis singulari præconio extulit; has ego, ne longiùs excurrat calamus, breuem in epitomen redactas attexam.

Regem ex eo commendauit tum maximè, quòd quem nactus erat ætatis florem, non in supinis aulæ deliciis, vt plerique Regum, sed in componendis Principum aliorum discordiis, copiisque contra religionis hostes conscribendis ducendisque collocaret; ad hæc autem ingentia facta nullo aut amplificandi regni, aut aucupandæ gloriæ studio illectum, sed hausta cœlitus mente vt exercituum Dei vestigiis, qui paria olim bella commisit, insisteret; vt qui fulmen Israëlis & clypeus meritò nuncupabatur, laus pariter Israël appellaretur, orbis Christiani firmamentum & decus; tum certam ei pollicebatur opem Apostolicis precibus è Cælo depromendam, tametsi minimè dubitaret, quin religiosè cœpta felici terminaturus esset exitu, cùm præsertim diuinis cælestis sapientiæ præceptis affluens exploratum haberet firmissima quæque regnorum fundamenta non tam diuitiarum copia, bellatorumque multitudine, quàm vna orthodoxæ fidei veritate inniti. Cui enim à periculis, quibus

humana obnoxia est vita, securo diu esse liceat, nisi in perennem eius tutelam supremum excubet Numen, quam securitatem obturbare conantur, qui Cælites ipsos è terrenis, vbi colebantur sedibus exterminarunt, qui Maiorum instituta, Pontificum scita, sacrorum cæremonias, religionem denique ipsam sacrilegis armis oppugnare non timent. Tum instituta ad Regem parænesi, in hunc ferè præfatus est modum.

Cuncta hac Gallia, Catholicaque religionis dedecora tollenda penitus, Maiestati tua reseruauit Regum Rex, dominantiumque Dominus, cùmque hæc in regno tuo nata & adulta portenta consideris, remotissimas orientis Occidentisque regiones victoriis Gallicis, hoc est tuis decorãdas magna cum laude peragrabis, quod vt aliquando conteris, admonent te satis domestica Maiorum tuorum exempla, Diui præsertim Ludouici, cuius auspicatissimum præfers nomen, moresque sectaris castissimos. Sequere Charissime Fili præpotentis Numinis imperium ad magna te & excelsa vocantis. Effunde iram tuam in gentes, qua Dominum non nouerunt, vt sempiternum assequaris brauium. Interim Maiestati tua Apostolicâ autoritate benedicimus. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris 1621.

Blanda hæc summi Pontificis ad promouendam rem Catholicam inuitamenta Ludouicus Rex, quanquam hortatore non egeret, magna tamen in veneratione habuit, acrioribusque contra rebellionem sumptis animis, statuit omnino minoribus perdomitis vrbibus alias atque alias vt celebriores, ita & pertinaciores sectariorum ciuitates aggredi; idque Meduano negotij dedit, vt finitima Montalbano loca recuperaret continuò, ne militi aduersis vrbem insana tumentem arrogantia propediem profecturo violentiùs hostes obsisterent. Hic Tolosani Senatus ditionem ingressus, concinnatis ad supremum hunc Ordinem literis, eius beneuolentiam aucupari confestim instituit, ne quid inauspicatò & inuitis (quod aiũt) aut repugnantibus Dijs attentaret. Hæ porrò literæ ferè sic habent. *Meduanus ad vicina Montalb. loca mittitur.*

Illustrissimi Domini. Cùm primùm Aquitaniam Regis iussu moderandam suscepi, votum illud statim exoluere gestij, quod pro vestra, inclytaque ciuitatis vestra tranquillitate iam antè nuncuparam. Decreueram coràm ea verbis exprimere, qua mutarum tantùm literarum officio exequi cogor, Monebo igitur scopum hunc *Scribit ad senatum.*

meum esse, vt pro Deo primùm, tum Christianissimo Rege, vestra denique omnium salute, libertateque arma circunferam, quæ vt Regi, Galliæque toti salutaria semper existerent, pro immensa bonitate sua indulsit hactenus moderator exercituum Deus. Nunc verò ne quid pestilentis auræ amplissima ciuitati vestra ob sectariorum viciniam afflari possit, diligenter prouidebo; expurgabo quidquid circà tabidum & corruptum erit, nullique parcam labori, vt eximium illustrissimæ curiæ vestræ in me amorem, quoad eius fieri poterit, redamando, ac optima quæque procurando compensem, vt quos mihi plausus laudesque præfestinatis beneuolentiæ indiciis decreuistis, hac cumulatis erga vos obsequiis promeritus esse videar. Neraci 14. Iulij 1621. Humilis, addictusque vobis H. Lotharingus.

Rex pariter scribit. Meduani literas proximè ad eundem Senatum subsequutæ sunt regiæ, quibus omnes de suo Montalbani subigendi admonebat consilio; nihil addubitare se affirmans, quin idonea cœptandæ obsidioni subsidia pronà ad obsequendum voluntate submitterent; contra sectarios fortem comparandum esse exercitum, hoc est aduersus gentem Deo, sibique infidam, ac Tolosæ vrbi summè Catholicæ magnopere infestam; castigandam præfidentiorem eius audaciam, exsecandam hanc esse perniciosam Galliæ strumam, priusquam tetra eius in nobilissima regni capita serpat contagio. Non pluribus stimulandi Tolosates erant, vt hoc vellent, per creberrima quæ hactenus perpessi erant damna satis edocti non tolerandum diutiùs Montalbanum, nisi cum corrupta religione contumaces simul agrestesque mores exueret, *Masuyerus princeps Tolos. Senatus.* Masuyerus, qui tum principem in Senatu locum obtinebat, necessarium bellicos in vsus commeatum largè spopondit, vir per omnia maximus, ac in omnes semper proscribendæ prauitatis occasiones intentus. *Instructus bellicus à Tolos. datus.* Deprompta continuò communi ex armamentario regii modi tormenta tredecim, auxiliares copiæ missæ, ad quarum victum, instructumque annonarii missi sunt currus.

Expectabatur Rex á Tolosat bus, intendebantque eius contuendi desiderium innumeræ fere, quas de prostratis feliciter hostibus retulerat, palmæ, præmissus de more Meduanus vix Tolosanum subijt tractum, cùm sparsas hac illac sectariorum arces multas aut vi, aut deditione recepit, vt Tolosam Palladiam vrbem, nobile quippe scientiarum omnium emporium palantum circà perduellium terrore.

rore eximeret. Atque hinc factum illico, vt bellicis eius decantandis laudibus circumsonaret ciuitas tota, Nemo vnus erat, qui non viro tanto diuturnam, expertemque mœroris vitam, imò & immortalitatem apprecaretur, vt hæresis domitori, publicæ libertatis assertori, tutelarique prouinciæ genio; & sustinebat egregiè tantorum nominum prærogatiuam, cùm repetitâ Maiorum suorum memoriâ, tractisque in exemplum perillustrium heroum virtutibus, nihil vnquam laboris defugeret, periculis omnibus obluctaretur, tuta ibi omnia ratus, vbi regiæ amplificandæ gloriæ, religionisque prouehendæ se se daret occasio. Incensa Tolosatum erga fortissimum virum studia liuidis oculis inspexere nonnulli, & quia inertibus ingrata est plerumque magnanimorum prosperitas, res ab eo feliciter gestas malignè carpentes, sparserunt in vulgus, Meduanum arrogantiùs in cunctis agere solitum, deuinctis sibi, conciliatisque populis autoritatem, quàm quæ tribuenda illi meritò foret, ambire maiorem;

Meduanus publicæ libertatis assertor.

At ne quid laudis contra fas æquumque Meduano tributum esse putetur (neque enim inanibus verborum lenocinijs, sed rectè factorum conscientia vera pasci solet nobilitas) retexere lubet præcipua, quæ ab eo expugnata sunt loca. Layracum, Corbeiauxium, Mansum-Virodunense, Malonicinum cum plerisque aliis oppidis eius ope asserta sunt Regi. Quina tum legionariorum millia eius sub signis conspecta, quingenti militarunt equites cum tormentis campestribus octo: his fretus auxiliis, & è præteritis victoriis alias etiam locupletiores mente præcipiens, transmissa Garumnæ ripa Viroduno successit, & quoniam ea potior habetur victoria, quæ voluntaria hostium deditione, quàm quæ armis exprimitur, ad Rapinum arcis præfectum Fecialem maturare iussit, qui vrbem Regis nomine postularet. Anxius, ancepsque animi inopina hac denuntiatione Rapinus, cunctatus est primùm, at dum cuncta ad imminentem explosionem tormenta Meduani iussu comparari vidit, ferreis octonarum machinarum missilibus audiendi, qui vicaria fecialis voce auscultari non potuerat, enim verò cessit confestim loco, tanti Ducis arma, ac longè magis, nunquam non eidem assidentem belli sortem felicitatemque veritus. Exin Iordanæam insulam aggressurus mox erat, ni Bourguius vrbis præfectus Regis Imperium præfestinasset exequi, in hac collocata fuit regiorum statio, bellicaque haud exigui pretij supellex regi tota adscripta.

Virodunum tandem obsequitur.

Iordanæa insula capta.

Malouicinum Regi traditur. Sequutum proximè est Malouicinum, quod Marauatus repentino Meduani cum tormentis aduentu Regis submisit imperio, cuius adeo firma erant propugnacula, cæteraque munimenta tam scitè tamque ex arte composita, ad hæc tam impigri oppidani tamque ad militares labores expediti, vt Meduani arma iunctamque eius armis felicitatem morari diu potuisse viderentur. Verùm inopinus eius aduentus instar prodigij habitus tantam præsidiarijs, incolisque trepidationem attulit, vt cum eo victoriam pari festinatione aduolasse, aut breui aduolaturam haud ex vano crediderint. Recuperatis his arcibus, oppidisquè id vnum restare videbatur, vt quæ rebellio monumenta construxerat, cuncta in planum deijcerentur, atque id negotij Tolosanæ demandatum est curiæ, missumque ab Rege diploma, fausta ciuitatis totius admurmuratione receptum. *Diruntur munimenta.* Delecti qui disturbandis Insulæ Iordaneæ, Mansi Virodunensis, & Malauicini muris munimentisque summa cum autoritate præessent Masnaüs, Cadillacus, & Bertrandus cognomento minor. Inchoatum illico ac incredibili festinatione, ingentique Catholicorum gaudio peractum est opus.

Villatici magno numero, Præsidum iussu finitimis è pagis accurrentes his in euertendis molibus impigram ac pertinacem propemodum operam collocarunt; applaudebat populus omnis insolitoque efferebatur gaudio, quod his tandem in locis, vnde tot annos exularant, Dominicæ Crucis statuerentur effigies, præcipua reuiuiscentis tum primùm religionis insignia. *Eriguntur Cruces.* Disiectis Insulæ Iordaneæ propugnaculis, nihil non moliebantur Catholici, quorum magnus hac in vrbe numerus erat, vt integra saltem vrbis mœnia, intactaque seruarent, & id haud quaquam vrbi denegandum putabant, quæ Senescalli iurisdictione, seculari que gauderet capitulo. Auditis, expensisque diligenter rationum, quæ afferebantur momentis, non omnino dissentire videbatur Meduanus, in id etiam, vt postulantium votis annueret, conspirabat Masnaüs, stantibusque etiamnum muris Tolosam redierat.

At Belebatus forensibus causis in Aquitania summo iure præfectus, regiusque apud Meduanum legatus, & ijs, & Abbati Villalongano idem enixè petenti nunquam non restitit, ratus non consulturum se satis publicæ tranquillitati, nisi murorum suorum ruinis obrueretur rebellio, eiusque penitus interiret memoria; Tolosam itaque festinatò profectus, frequentissimo astante senatu, gra-

uiter expostulauit, regia manifestè violari imperia, nisi ipse pro ea qua pollebat autoritate diligenter prospiceret; euictum quidem Villalongani, & Catholicorum precibus esse Meduanum, vetuisseque post euersa propugnacula, operas omnes ad id negotij conductas vltra progredi. Verùm licet viri tanti placita pro imperiis iure censeri possent, potiorem tamen esse Regis autoritatem, cuius, & Catholicarum partium magnopere interesset mœnibus suis nudari hanc vrbem, quæ alioquin expeditum per vniuersam Aquitaniam aditum rebellibus turbare aliquid adnitentibus patefactura certò foret.

Belebati oratio ad Senatum Tolos. pro destruendis Insulæ Iordan. mœnibus.

Nam si sola spectentur vrbis merita, aut eius dignitas, age verò, quid tandem eximij præ reliquis vrbibus nunc habet, aut obtinuit aliquando? Impuniùs fortassis erit habenda, quia pertinax minùs? quasi verò contumacior & nocentior aliis visa non fuerit; quin & sectarii ipsi, quorum maximè interest, flagitiorum suorum debilitati conscientia hanc sibi gratiam fieri nec petunt; nec si peterent, sperarent id sibi à Rege Iusto concedendum, quod æquitatem omnem oppugnat. Ipsi ipsi sunt Catholici, qui eorum quæ ad stabiliendam vrbis tranquillitatem pertinent penitus ignari, ac in re sua cacutientes, per libellum supplicem non tam mœnium cladem, ruinamque deprecantur, quàm luctuosum rerum suarum Romanæque religionis exitium petunt. Quid enim Regem aliud rogant, nisi vt integrum maneat rebellionis post paulò redintegranda munimentum, nisi vt intra vrbis septa tecti tutique fidei hostes Catholicorum in iugulum ruant, aduersasque denuo Regis in se concitent vires, iterum ab eo vltricibus armis expugnandi, quia iterum infidi, rebellesque futuri; ineptum autem id est quod de Capitulo & Senescalli iurisdictione contumaciùs obtendunt, magneque vrbi versurum dedecori tam speciosis prærogatiuis inclyta nullo murorum ambitu ab ignobilibus locis distingui, nec sic tutam contra repentinos hostium insultus satis esse futuram; quasi verò sancita inter oppidanos concordia, promptumque Regis tuta cuncta spondentis patrocinium, cum inexpugnabilis arcis habenda sint loco, quantamlibet murorum firmitatem non superent. Coërceatur itaque ista audacia, dum per Regem licet. At sic Meduani conuelletur autoritas, cuius imminutionem præsens Galliæ status nec ferre potest, nec debet? vt ita res esset, potiora tamen nobis habenda essent Regis imperia. Verùm certum id habeo, iuratusque affirmare non vereor, quidquid super hac re san-

citum in contrarium fuerit, Meduano gratum acceptumque esse habendum; noui ego prolixam eius benè de omnibus merendi voluntatem, interdumque ab eo iteratis precibus exprimi, quod recusare pretium operæ foret; Nobilem quippe generosamque indolem nacti Principes omnium ad se perfugientium commodis subseruire etiam cum aliquo rerum suarum dispendio præhabent, quàm quemquam votorum suorum exortem, speque omni frustratum à conspectu suo dimittere.

Senatorum ad se omnium animos, voluntatesque Belebatus inflexit; nec abnuit Rex ipse, multò verò minus Meduanus consilia cuncta sua regios ad nutus attemperare solitus; qui quantam nominis existimationem apud Tolosates assequutus esset; præter ea quæ superiùs diximus, declarat satis luculenta illa Manibani Præsidis à suprema curia delegati oratio, qua Senatum Tolosanum eos potissimum colere principes demonstrabat, qui Galliam consiliorum suorum integritate, armorumque vi ad supremum gloriæ culmen prouueherent, hac verò in re Meduanum reliquis antecellere omnibus Gallicæ militiæ moderatoribus à Regè delectis; nec inane id esse, aut à putida quadam assentatione partum quod diceret; enim verò suis rectè fortiterque factis prædicari satis vbique Meduanum, supraque heroum reliquorum fastigium absque vllo laudatoris adiumento assurgere, hanc porrò vim trahere tum ab innata sibi virtute, tum à Maioribus suis, qui Palestinæ loca Christi nobilitata vestigiis, quæ deterrimi Christianæ religionis hostes inuaserant, victricibus olim armis recuperarunt. Sic porrò terminabatur oratio.

Manibanus Præses ad Meduanum.

Tu tantorum virorum haud degener nepos, hæc humani generis probra atque portenta protereres, repurgares tot sordibus amœnissimam hanc orbis terrarum partem, eamque perillustre faceres victoriarum tuarum monumentum, nisi quas Idumæa parturit, Gallico in solo palmas nancisceeris innumeras, quas ita demum quotidianis auctibus accumulas, eas vt Deo Regique, quorum vincis auspiciis, iure debitas repræsentes. Multa sanè debere se tibi fatetur Augusta hæc curia hoc præsertim nomine, quòd Regis autoritatem pro virili defendas, promoueasque in prouincia hac nostra fidei tua vigiliisque magna bonorum omnium incunditate commissa, quibus tantis officiis, cùm par aliquid reponere nequeat, sempiternam saltem horum recordationem pollicetur.

Vulgabantur per Occitaniam totam ingentia Meduani facta, felixque eorum successus, & in inferiore quidem, apud Monspelienses præsertim crebris sermonibus prædicabatur vir maximus, vbi pugnantibus de religione sententiis plena turbarum erat omnia, nec minùs lingua certabatur quàm ferro. Decretum enim erat de fidei rebus certamen Fenollietum inter Monspeliensem Præsulem & Caluinianæ sectæ prædicantem, in quo citra Caluiniani sanguinem, non verò timorem, nullis expeditis armis vicit is fortiter, magnificéque triumphauit, cuius potior erat causa, doctrinaque abundantior. Catholici Gignacenses quini, sectarij totidem de religionis integritate certantes hoc tandem statuerant, potiorem eam se religionem credituros sequuturosque semper, quæ ab Ecclesia prioribus quatuor seculis efflorescente minimè dissentiret, conquirendus erat itaque peritus aliquis ex vtraque parte doctor, cuius arbitrio dirimeretur hæc quæstio: & commodùm à Catholicis Fenollietus est lectus, cui despondentibus animum Ministris Gignacensibus, opponendus dicebatur Faucherus Monspeliensis Minister, magni apud Sectarios nominis, iamque indicta dies erat, designatusque certamini locus, cùm à concionalibus reliquis coràm adesse vetitus est ille, ab erudito quippe Antistite prima congressione sternendus.

Cum Fenollieto certare verentur ministri.

Ex hac pugnæ detrectatione, intellecta sectæ debilitas, ostentui habita Caluiniana religio, nutantes in fide corroborati non pauci, Romanam veritatem amplexi sunt quini; & copiosior longè credentium extitisset numerus, si coràm adfuisset Faucherus cum Fenollieto pugnaturus, contra quem nemo vnquam impunè certarat, non minùs sacri quo pollebat eloquij, quàm veritatis armis instructum. Atque hinc factum, vt si contra Romanam religionem molirentur deinceps sectæ Ministri, scripto tantùm vulgarent, suppresso scriptorum nomine, ne aduersus eos insurgerent armati veritate censores, & ad tentandam iterum armorum huiusmodi sortem prouocarent; sic obuoluunt se tenebris, & peccant in obscuro quos conscientia scelerum exprobratrix affuturâ mox pœna torquere non cessat.

Nonnullorum conuersio.

Antequam pedem efferamus Monspelio, iuuat perridiculum id inserere quod è Caluinianis illis Thrasonibus, qui militiam detrectabant, ausus est vnus aliquis, dum in minoris templi superliminari sectæ ministeriis traditi epigraphen hanc incidi iussit

Caluiniani Templi inscriptio. *Vera Religioni sacrum*; grandibus autem literis inscribi curauit, quo perspicaciùs pateret, eminusque conspiceretur audacia, ea in vrbe minimè ferenda, in qua tantus tamque experrecti & omnia peruadentis ingenij floreret Antistes, qui dignitatis suæ plurimùm interesse putauit tam splendidum hoc sectæ abolere mendacium. Cùm itaque Regem hac de re per literas certiorem fecisset, Gigortius, qui autoritate, vsuque dicendi reliquos inter prædicantes eminebat, veritus ne quid inde turbarum existeret, extracto clàm è muro lapidi & quia tenebrarum opus erat, captatis noctis tenebris alterum substituit. Cuius hæc etiamnum visitur inscriptio ΤΡΙΣΑΓΙΩ. Non dispudiuit hominem commentitiorum dogmatum officinam ter sancto Numini, sanctitatis omnis autori consecratam velle; fecit tamen non imprudenter omnino, cùm græcè id scripsit, ne videlicet imperitæ peregrini huius idiomatis plebi Catholicæ tam insolens pateret figmentum cum singulari quadam impudentia coniunctum. *Hæreticorum odium in Fenollietum.* Exin Fenollietum Præsulem in omnes Christianæ reipublicæ partes intentum fictis criminibus insimulare conati sunt hæretici, eiusque mores malignè carpere, qui vim ingenij eruditionisque copiam ferre non poterant; nec intra verba, aut scripta stetisset efferatorum hominum furor, nisi prauis horum conatibus anteuertisset prouida Præsulis mens, cuncta quæ parata iam sibi, aut paranda mox forent, clarè quanquam ex longinquo despiciens, cumque in hunc ab instructis sibi tutum insidiis hostiliter grassari non possent, in campestria eius loca impetum faciunt, Tertalium castrum & alia circùm domicilia fœdâ populatione deuastant.

Montalbanensis obsidio. Ne diutiùs in inferiore moremur Occitania, Montalbanensis admonet obsidio improspera illa quidem, quippe quæ præcipiti regiarum victoriarum cursui, felicitatique obicem posuit. Hactenus enim fortunatis semper auspiciis regiæ Catholicæquè res processerunt, nec repugnanter omnino impositum sibi iugum admittebant vrbes aut armis aut deditione receptæ, cùm marcescens, breuique (vti sperabatur) interitura rebellio perfurentis in morem belluæ diffractis lumbis altiùs caput extulit, crudiores longè morsus defixura. Vnde autem Montalbanēsibus orta tanta fiducia, vt cum Rege suo tot victoriarum mole prægraui, belli aleam tentare sustinuerint vt nouos aggeres, noua propugnacula, mille ludificandi artes, quin & armata rabie ferroque corpora Principi suo in vrbem suam intromitti se iubenti obiecerint, ego certè haud aliam esse causam

arbitror præter insitam rebellioni cum hæresi iunctæ audaciam, moturæ contra Cælites ipsos, si parum sibi obsequentes habuerit; ad id etiam non exiguum attulere momentum hiantes in præpingui amœnoque solo Montalbanensium cupiditates, malum semper resistere pertinax, nisi à potentiore frangatur. Quænam porro vrbs ista sit tam superbè aduersus Regem suum contumax, lectori breuiter in conspectum obijciam.

Montalbanum noua satis vrbs partim in Aquitania sita, partim ad Galliæ Narbonensis porrecta limites, Tarni fluuio magna ex parte alluitur auriferos inter recensito. Hanc trifariam diuidunt, componuntque Montalbanum vetus, Villanouella, & Villa-Borbonia. Perpulchra sanè sciteque descripta vrbs est, rerum multarum feracissima, ideoque cum præcipuis Galliæ ciuitatibus comparanda; quamobrem dolendum magnopere est, cùm intra septa sua Caluinianos complures adnumeret, malè omnino habitari clarissimam, & amœnissimam vrbem. Florentem hanc olim non parum deuenustarunt recentes incolarum mores, hausto à secta veneno vix parem sibi neminem, aut superiorem ferente; hinc tumidi illi ferocientesque in Regem spiritus, hinc frequentissimi aduersus Magnates à Principe delegatos insultus, hinc continuæ prædabundorum ciuium in vicinos circùm agros excursiones, hinc sparsus ad Tolosana vsque mœnia terror, hinc contempta, irrisaque supremæ curiæ Senatusconsulta, ius in armis positum, surdæ denique ad Regis, regiorumque iussa perduellium aures, quorum etiam contumaciam mirum quantum augebat præteritorum motuum recordatio, quo tempore multorum sibi aduersantium vires attriuerant, aut si cessissent aliquando, redeunte mox in animum corpusque virtute suis è cladibus fortiores assurrexerant; paris ergo successus, aut fortunationis expectatione inducti, regia non tantùm non extimescebant; sed vltro etiam arma prouocabant, si vincerentur, non indecorè vincendi; aut victuri (quod sperabant) honestiùs. Non procul aberat Rex cum victore exercitu, sed (quod post bellicas multas expeditiones ferè contingit) magna ex parte imminuto, continuatisque laboribus fracto. Vix dena censebantur militum millia, cùm longè pluribus ad vrbem vndique cingendam opus esse non pauci sentirent, vnde & Regem absterrebant ab obsidione tentanda, præsertim cùm integri, validi, pertinacesque debellandi forent hostes, vrbsque bellico omni apparatu instructissima regias diu copiàs moratura vi-

Montalbani situs.

Trifariam diuiditur.

deretur. Audiebantur discrepantes super hac re ductorum sententiæ, erant qui cœpto iam autumno dysentericos è fructuum varietate, quibus abundat hoc solum affectus certò præsagirent, hoc tractu mollissimam esse Galliam, non temperaturos milites ab insueto peponum, ficuum, vuarumque recentium esu, plures haud dubiè immodica edacitate, quàm parato ab hostibus ferro perituros.

Dissuadetur obsidio.

Contrà verò disserebant alij Maiestatis plurimùm interesse toties à rebellibus lacessitæ illata sibi probra non dissimulare diutius; magno versurum hoc dedecori Regi, ni vrbem in propinquo ac in conspectu ferè positam, præcipuam rebellionis arcem expugnet, insultaturam quippe superbiùs, si impunè præterita fuerit vrbium omnium pertinácissima & quia máximè rea, ita & castiganda seueriùs. Idipsum vrgebant summopere Tolosates, ac per destinatos ad Regem legatos efflictim orabant, vt ocyùs arrogantissimam vrbem aggrederetur; vt in ea Caluiniana lue multis iam ab annis imbuta restauraretur qui olim tanto cum animorum ftuctu viguerat religionis Catholicæ cultus, quæ cùm maximè Tolosæ splendeat, splendueritque semper, ex quo ablegatis ethnicæ superstitionis erroribus Christiana sacra suscepit, optabant vehementer, vt in finitimo sibi populo pari maiestate, dignitateque efflorescéret. Decreta itaque fuit obsidio, quæ si sperato caruit exitu, haud propterea reprehendendam duxerim allatam super hac re à Consultoribus nonnullis sententiam, quasi verò in euentuum infelicitate non elucescat interdum prudentia laudandaque consiliorum maturitas, quæ in deliberata hac obsidione minimè defuit, & nisi Bituricensis, & Britannica, cuius in dies expectabatur aduentus, exauctorata fuisset legio, haud inanis coërcendæ rebellionis, vrbisque recuperandæ spes erat. Piquecotium igitur castrum Montalbano non procul, Regis in sedem delectum, quo decimo sexto Augusti an. 1621. cum cohortibus appulit, quæ transmisso Auerione fluuio propiùs ad vrbem accesserunt. Componebant exercitum Prætoria excubiarum cohors, Pedemontana, Normanica, Chapesia &c. atque hæ quidem ad dextrum, cùm læuum ad latus incederent Picardica, Nauarræa, & Campanica, quibus præerant Marescalli Praslinus, Sangeranus, & Chaunius; leuem equitatum ducebat Inculismensis Dux; tormentis, machinalique instructui conuehendo præpositus erat Schombergius Comes. Diuisæ trifariam erant equestres pedestresque,

Suadetur.

Piquecotium Regis sedes.

Ordo Regiarum cohortium.

pedestresque copiæ; quæ sub Praslino, Chaunioque militabant, euertendis Montmiratensis portæ munimentis acriter instare iubebantur, cùm ad subruenda Monasteriensis propugnacula destinatæ iam essent, quæ Cheureusij, Lesdiguierij, Sangeranique regebantur imperiis, reliquis cis Tarnim considere iussis impositi præsides erant Meduanus, & Marescallus Themineus, summus autem armorum imperator delectus Comestabilis Luyneus. Circunsessam nondum satis vrbem, cùm binæ adhuc paterent ad oppidanorum exitum, aut effugium portæ, penitus obuallarunt Pompadorij, Estissaci, Vaillacique præsens in auxilium legiones submissæ. *Luynius præses exercitus.*

Atque vt mutuam sibi opem præstarent disparatæ tot copiæ, è commissis inter se ratibus ædificati Tarnique impositi sunt pontes, quod opus crebris eruptionibus, editaque vtrinque strage non mediocri interturbare adnixi sunt hostes; è regiis quippe cæsi centuriones aliquot, sed è rebellibus longè plures occisi: quamobrem per damna sua variasque suorum neces sapere docti, egere deinde præcautiùs. Memorabilis sanè fuit hæc obsidio tum ob validos Regiorum inuadentium conatus, tum ob obfirmatam resistentium aduersariorum pertinaciam, recentiaque munimenta extructa, semilunaria valla, aggeres, structasque variis in locis propugnaculorum moles, quibus non tam septa, quàm consepulta vrbs fuit, & aduersus præliares regiorum machinas communita. Sanè quidem in moliendis operibus huiusmodi nihil omissum fuit industriæ, vixque audax hoc in genere inuentum aliquid, quod non aduersus Regem suum opposuerit armata feritate rebellio. Oppidanis summo cum imperio præerat Oruallus Suillii Ducis filius iuuenis adhuc, ideoque parum bellicis in artibus exagitatus, imparque oneri tanto, nisi consiliorum ei vim suppeditasset socer eius Forcæus, qui Bergeraco recens cum liberis tribus aduenerat. *Pontes Tarni impositi.* *Vrbis munimenta.* *Oruallus præest vrbi cum Bursfrāco.*

Bursfrancum in castrametatorem delectum non claritudo natalium, quippe modicum originis, sed bellica virtus, & experientia multis expeditionibus parta clarum apud rebelles effecerant, Non hîc enumerabo centuriones, primipilos, alariorum præfectos cæterosque bellico munere aliquo pro tuenda rebellione non ignauè perfunctos, quorum pars maxima quidquid Regis mandatis obluctando peccarat, prompto postmodum expiauit obsequio. Hi varia in propugnacula cum lectis militum globis Palhassæum ad Carmelitas, Monasteriense, Antonianum

Tesconiumque munimentum oppositis contra regios armis impigrè defensabant, excubantibus stationarijs, & ad subitaneos obsidentium repellendos incursus strenuè dispositis, cùm alij præcidendis procurandæ annonæ, regiaque in castra conuectandæ hospitiorum opportunitatibus suburbanas villas iniectis passim flammis euastarent; serpebat longè latéque incendium, sed inflammatior exardescebat in rebellibus ira, quam nec crebra procerum monita, nec profusæ interdum lacrymæ consopire poterant, adeò rarò ab intemperiis, quibus semel agitantur, resiliunt perduellium animi. Ferunt annalium monumenta nihil à Sullio Duce, cunctos vt ad frugem reuocaret, prætermissum industriæ; angebatur intimis sensibus, peneque contabescebat, quòd Oruallus filius rebellium in caput delectus, impia contra Regem arma tractaret, quod ne crimini sibi daretur, Piquecotium adijt expostulaturus acriter de filio paternis monitis exemplisque reluctanti, ideoque petiit à Rege sibi vt in vrbem intrare liceret, quo impetrato in hunc ferè modum coram obsessis disseruit.

Suburbanæ villæ incenduntur.

Suillius ægre fert filium suum rebellium electum in caput.

Hortatur obsessos ad obsequium.

Si præcipuos inter regni Gallici administros censerer, qui mihi olim ab Henrico IV. delatus est honor, suspicari iure possetis quotquot hîc adestis, vno dumtaxat adductum me esse priuatæ rei conseruandæ studio ad ea suggerenda consilia, quibus Regis meritò vobis irati gratiam, & beneuolentiam emereri possitis: sed cùm è pristino hoc dignitatis fastigio, insequente (quod ferè fit) virtutem inuidiâ, maleuolorumque monibus deiectus fuerim, cùmque paria vobiscum de vera, quam simul profitemur religione, sentiam, arbitraturusque sim semper; æqui bonique ducetis, si paucorum vos in præsentia, quæ ad pacem stabiliendam, salutemque publicam pertinere videbuntur, commonuero. Ignorare non potestis iniunctum à Deo solennibus verbis vnicuique præceptum vt Regi suo tametsi austero, morosiorique obtemperet, cuius mandati vim haudquaquam imminuere videtur religionis dissensio, quæ leges omnes à Principibus latas admittit; quod si verum non esset, sique pro religionis defensione arma capere fas & iura sinerent, in præsenti certè rerum nostrarum articulo abiicienda potiùs, quàm assumenda esse viderentur. nam quid magnopere est,

cur ad vim propulsandam ferrum acuimus, quæ nulla nobis infertur? nonne quod maximè volumus, omnibus licet? nonne liberum sit nobis religionis arbitrium? At omnibus reformatæ religionis cultoribus ad aulicas dignitates obstructus est aditus? id ego lubens audirem, ni LesdigMierio eadem, qua nos religione imbuto, amplior longè regios inter aulicos obtigisset præfectura, quàm, vel ipsis Catholicis. Quòd si reformatis Benearnensibus seueriùs factum à Rege dicet aliquis? ego iustè factum id esse reuincam, neque enim mitiore pœna castiganda videbatur sociorum rebellio, hoc sibi malum intriuere Benearnenses, vsque adeo obfirmati contumacesque vt iusta Regis imperia despicatui haberent, irrisa præterea, traductaque fuit à Rupellensibus Regis eiusdem autoritas, vos per scelerum vestrorum immanitatem Principem iustum armis instruitis, & hunc fulmen contra vos intorquere miramini. Quamobrem priuatum omnem affectum, si sapere tandem statuistis, exuite, monitique discite Principis eius imperia æquo animo pati, quem regendis vobis omnibus æterna mentis consilium imposuit.

Placuit Suillius nonnullis in pacem inclinantibus; dissensere ab eo turbida reliquorum ingenia, maximè verò repugnauit Oruallus; adeò iuuenem ætatis ardor, consiliorumque temeritas constrictum tenebant, obcæcabantque, vt omnem erga Patrem reuerentiam exueret, cuius vt monita, oblatamque Regis clementiam repudiaret, continuatis stimulabant vociferationibus sectæ prædicantes Ministri. Rebelles præterea, vt deditionem facerent, hortabatur Sauuagius, vir strenuus, notæque in Regem fidei præclarus, Is Luynæi iussu Montalbanum profectus, quod agitabat consilium, specie defendendæ vrbis occultat, ideoque à Montalbanensibus plaudente circùm coronâ excipitur; perplacuit ille semper, quandiu rebellis est habitus; at dum honorificentiùs, quàm expectassent ipsi, de Rege, Regisque exercitu auditus est loqui, enim verò reclamarunt concordibus vocibus studiisque quotquot aderant, iacta protinus in illum quasi in versipellem conuicia, bilinguis, ambiguæque fidei notam cum omnium odiis incurrit, hinc variantes obsessorum sententiæ, atque ex earum pugna nouæ simultates exortæ. Sic autem ille orationem instituerat, vt planum omni-

Oruallus Patri resistit.

Sauuagius rebelles ad frugem pertrahere nititur.

Conuiciis oneratur.

bus faceret equestribus podestribusque copiis abundare Regem, robore, virtuteque præstantibus; contrà verò Montalbanum arte quidem satis munitum, iusto militum desertum esse præsidio; nihil à Rohanio, reliquisque sectæ proceribus aut patronis expectandum auxilij, satis quemque suis alienisque implicatum negotiis; contrà verò recentium turmarum accessu regium quotidie magis ac magis augeri exercitū, obsepta iam institoribus conuehendæ in vrbem annonæ itinera, plures haud dubiè fame, quàm ferro perituros, quæ quia internus est hostis, ideò cæteris existimatur longè cruentior, obsfinnatum ad obsidionem Regem esse, nunquam inde recessurum, nisi protritá rebellione, dimanaturæ hinc ad posteros famæ peritura nunquam monumenta erexerit, saperent itaque omnes, seque imminenti, ni maturè prouiderent, calamitati subtraherent.

Displicuit ferè omnibus Sauuagii oratio, atque vt diffidentes plerumque sunt rebellium mentes, proditoris habitus est loco, quamobrem extemplo custodes sunt appositi, qui eius facta, dictaque, quin & secretiores eius nutus curiosiùs inspicerent, Et quidem (ne silentio premam quod à variis scriptoribus traditur) Sauuagius coram obsessis tuta etiam cuncta timentibus longè præcautiùs agere debuerat; perdunt quippe robur suum optimæ quæque cogitationes, si admorsæ prudentiæ sale non fuerint. Cùm igitur hortamenta omnia surdâ obstinatione repellerentur, vim adhibendam Rex censuit. Obliquo iam tractu è castrensi disciplina ducti erant aggeres, ternæque ad Montmiratensem portam, Monasteriensem & Villam-Borboniam aggressiones decretæ, vnde qninque supra quadraginta tormentis fulminandum propediem erat; quin & muros campestribus pilis quatere Meduanus occœperat, faustum hinc trahens augurium, quòd hostilia in munimenta primam glandium procellam immitteret, cùm prope Montmiratum inopinus hostis erumpit, ortoque inde certamine, ex vtraque parte necantur nonnulli, retruduntur alij: consternatos ex hac velitatione rebellium animos paululum erexit, animauitque ignis scintilla in Meduani armamentarium fortuitò delapsa, vnde repens ortum incendium, momentoque tormentarius puluis absumptus; flammâ longè latéque serpente intercepti sunt Villarsius Marchio

Aggressiones inchoata.

Hostium eruptiones.

castrametator, & Riberacus Comes, nobilesque alij, qui caloris vi pectoris ima perurente correpti, proximumque ad amnem accurrentes, partim in ipso itinere, partim amnis vorticibus abrepti, prœmaturâ morte vitam factis iam fortibus inclytam non minori laude finierunt. *Combusti nobiles aliquot.*

Nec tutos ab incendio præstitit Cœnobitas duos, Diui Francisci, quem patronum agnoscebant, habitus lacer; illustre scilicet tolerantiæ Christianæ documentum posteris erant relicturi, dum inter sæuissimos flammarum cruciatus, acrioribus amoris diuini flammis excocti, Christi IESV reparatoris sui laudes certatim ingeminarent. Sed ecce dum vbique ferè luctus esset & pauor, ad ipsum Regis contubernium populatrix flamma irrepsit, fortuitò an aliquorum fraude, incertum; fuere, qui faces ab hostibus iniectas asseruerint; pepercit tamen hominibus ignis, ac in solis nitrati pulueris vasculis violenter inhæsit; atque hinc obsidionis haud satis ex voto processuræ à plerisque captum est omen, quid enim (vti loquebantur) sperandum magnopere est commeatu bellico magna ex parte corrupto? aut quæ clariora indicia summæ, quæ Regem hactenus comitata fuerat, fatigatæ nunc, labentisque felicitatis: & prosperum eius cursum interturbabant proditores Caluiniani aliquot, arcanorum Regis consiliorum, vt cum Comico loquar, venatores assidui; nam Regi militare se mentiebantur, dum occultis in eum armis depugnarent; quin (proh Gallam credulitatem) nobiles aliquot obibant præfecturas veteratores huiusmodi venalisque fidei homines, mille nocendi artibus instructi, atque hinc inopinum hoc ortum incendium, quæque inde sequuta est nobilium virorum clades, quæ non tam exterruit milites, quàm ad rem fortiùs agendam erexit; quamobrem displosa frequentiùs ad Montmiratum contra excitatas hostium moles tormenta octo, ad Villam-Borboniam tredecim, ad Monasterium quinque; sed cùm certò directis pilarum iactibus varia hinc inde munimenta fatiscerent, hæc certatim reparabant adiutæ noctis tenebris virilem fortitudinem æmulantes fœminæ, peruicacia, rebellioneque non impares.

Franciscanorum pietas inter flâmas.

A quibus excitatus hic ignis?

Diurnas nocturnasque operas adiutabat Bursrancus, nunc Ducem, nunc centurionem, nunc gregarium militem agens;

quem armatum baculo, cætera inermem cùm suum cuique munus partiretur, regii inopinato inuadunt, hoc vno aut cæso aut capto ruituram illico totam rebellionis molem interpretati; ille, qua erat animi constantia, contumacia potiùs, primam impressionem animosè sustinuit, mox terga vertit, aliquot ex vrbe ducturus manipulos, contra quos regii tormentarias glandes sæpius eiaculati, loco cessere, hac illac absque vllo operæpretio temerè confuséque dilapsi; quo tempore mœror ingens regia castra incessit ob Montesquinum & Palaretum hoc in congressu necatos, cuius postremi virtuti ab ipsis parentatum est hostibus: hic enim superatis incredibili celeritate munimentis, vltra muros infestus prodierat, pugnamque cominus densatos inter hostes conserebat, cùm fortitudini tam gnauiter operatæ, quasi sublatiùs efferri non posset, violenta mors obtigit. Corpus ferali linteamine obuolutum missum ad regios, pactisque priùs induciis recepta vtraque ex parte cadauera; atque hinc oblata rebellibus occasio curiosiùs inspiciendi quid in obsidentium castris gereretur, quod eorum in perniciem vertit.

Mõtesquinus & Palaretus necati.

Meduanus huc vsque torrentis obiecta quæque perrumpentis more progressus, ægriùs impotentiúsque quàm credi potest suorum his in belli præludiis occisorum cladem pertulit; quamobrem acri dolore, iracundiaque inæstuans, in semilunare vallum quascunque colligere potuit vires immisit; vixque illuxerat dies, cùm denis illud, quaternisque machinis oppugnari iubet; igitur continuatis globorum emissionibus quatiebantur doliaria valli munimenta, congestitia humo conferta; iamque fossam complanarant qui dissilierant è ruina lapides, idque vnum restare videbatur; vt per hiantem hac ex parte propugnaculi molem regius irrumperet miles; & ad decorum hoc vitæ tentandum discrimen, quasi certas ad lauros excita festinabat nobilitas, præsensque salutis periculum in certamen honoris vertebat, maximè cùm sub Meduano non plurium pugnarum, quàm palmarum viro mereri liceret. Theminium Marchionem acciuit hæc adorea magno sanè illi constituta. Is cùm Montmirato relicto, ad Villam-Borboniam properè aduenisset, primum sibi cornu poposcit, secundum Carbonus. Sic autem

Disponuntur ad irruptionem milites.

diſpoſitus ad oppugnationem regius erat miles, vt ſclopetarios tricenos ponè ſequerentur haſtati duodeni cum totidem ſcalis, hos autem cataphracti quadrageni exciperent, quos omnes è nobilibus familiis lecta ſuſtineret pubes; claudebatur acies Suſæi & Franconi cohortibus ad irrumpendum, ſi iuberentur, inſtructis, vnumque præſtolantibus nutum. Hæc cùm ordinata ſic eſſent, Emicabat præ cæteris Theminius Marchio luculentum probandæ coram Rege virtutis occaſionem nactus, gloriæque ſimul adipiſcendæ; cuius appetentiſſima fuit ſemper Galliæ nobilitas. Ferunt alutâ niueâ calceatum, ſoloque ſuccinctum gladio hilarem lætabundumque accurriſſe; at vix in hoſtium ſe ſe conſpectum dedit, cùm emiſſa protinus glande lethale in capite vulnus accepit, fidem facturus veteri dicto *neminem celeriùs opprimi, quàm qui nihil timet*. Sic patri, qui tum viuebat, patriæque cui ſtrenuè militabat, iuuenis adhuc immaturo fato rapitur, prorogare diutius vitam promeritus, ſi excelſæ mentis decora, virtuteſque ſpectentur, quibus in ipſo ætatis flore enituit, quaſque funebri oratione complexus eſt celeberrimus per id temporis Societatis IESV Orator, germanam militaris in eo fortitudinis ideam poſteritati relicturus, probaturuſque Liuianum illud *Conſilia calida & audacia prima ſpecie læta, euentu verò triſtia ferè ſemper exiſtere.*

Theminius Marchio ferè inermis in hoſtes irruit.

Occiditur.

Funebris de illo Inſtituta Oratio.

Inexpectato Marchionis interitu reſederat in commilitonibus vigor priſtinus omnis, ni langueſcentes animos erexiſſent Sayanus, Monbanus, & Dangius; quo tempore acriores etiam ſumpſit ſpiritus, vtinam non temerarios iuncta cum cataphractis nobilitas, ac vindictæ cupiditate incenſa, ſtricto ferro, confuſis ordinibus, incredibili celeritate contra hoſtiles globos infeſta prououolauit, cúmque crebris tormentorum diſploſionibus excuſſus è muro puluis, ſcloporumque fumus tenebris ſolem obduceret; ſilentio, cùm nulli tum aduerterent hoſtes, admotæ ſunt muro ſcalæ, quæ facilem obſidentibus aſcenſum præbituræ videbantur, ni iuſto minores conſpectæ inflammata militum ad irrumpendum ſtudia votaque feſelliſſent; hinc cladium noſtrarum origo præcipua, magnopereque nocuit improuida & cæca tum ductorum, tum militum feſtinatio; ibant enim

Erigunt animos Regij.

Admotæ ſcalæ iuſto minores.

Nimia feſtinatio noxia.

aduersus obsessos regij, perinde quasi in ergastula strictioribus arctanda compedibus, aut in tyrones subtimidos, nouitiosque puerilibus pœnis addicendos, cùm martijs iamdiu exagitati laboribus nimiam hanc aggredientium præfidentiam factis conuicijs militarique ioco incesserent, planumque facerent nulla re magis exasperari homines quàm contemptu, quem vt depellere queant, maiora interdum eos viribus aggredi, *sumptamque ex pudore audaciam euentus interdum sortiri felices.*



HISTORIA



HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB LVDOVICO XIII. REGE.



LIBER QVINTVS.

Ab Anno Christi 1621. *ad Annum* 1622.



FESTIS acclamationibus, plausibusque ob improuisam Theminij necem circunsonabat rebellis ciuitas tota; sed quia gaudium & mœror tametsi naturâ dissimillima, alternâtibus se se vicibus aut anteuertere, aut proximè subsequi solent, euanuit illico non temperata satis Montalbanensium lætitia, Burfranco, dum in suis terga vertentibus segnitiem castigaret, catapultaria glande transfixo. Hoc vnico cæso, perinde quasi euersum corruisset fortissimum nouæ reli- *Burfrancus necatur.*

gionis columen, nutare cuncta apud rebelles videbantur, concidissentque haud dubiè militum animi, nisi bellicorum casuum instabilisque sortis pertæsos, exin occultum meditantes effugium, ad repetendum citò martem vehementiùs incendissent Forcæus & Oruallus vt flagrantiores ad intendendam acriùs rebellionem faces adiicerent ab obsessis electi. Frustra tamen futuri erant peruicaces hostium conatus, inanesque machinæ, si nobilitati regiis congressuræ auspiciis, nullamque nisi gloriæ mercedem expectanti, doliaria sepimenta allata tempori fuissent; id autem cùm non ex voto procederet, cùm nec congestitia humus, nec structorum aggerum moræ regios aduersus crebras hostium eruptiones omni ex parte vallarent; ancipites aliquantisper hæserunt, consultiusne foret pedem referre cum dedecore, aut, quod ad æternandam bellatorum famam pertinet, generosâ morte defungi. Præpotuit (qui mos apud Heroas Gallos obtinuit) honoris illecebra instanti mortis periculo: densantur itaque confestim acies, inuicemque concurrunt; & ne vna duntaxat facies certaminis foret, nunc eminus, nunc cominus atrox conseritur pugna, hastis primùm gladiisque res agitur, atque hi sicubi deficerent, arreptis, quæcumque sors obtulerat, telis.

Animantur hostes.

Fugantur.

Non prætereundum silentio perillustre Daloni iunioris facinus est, Gallicæ fortitudinis argumentum non leue. Hic qua confertam hostium multitudinem fundendo fugandoque, qua punctim hinc inde, cæsimque feriendo, expeditam sibi per eorum castra viam strauerat, iamque Borboniam prætergressus villam, medium se se hostiles inter cuneos intulerat: cùm à tergo respectans, neminem è suis deprehendit, qui iam iam mutuum subituro, periculi simul & gloriæ socius adueniret; quamobrem his implicatus angustiis, quia ad eluctandas tot hostium circumstantium vires parum momenti vnius habiturus erat conatus, militarem dolum adhibuit, præsidiarios inter hilariter, & quasi vnus ex illis liberè diuersatus, qui esset, & vnde aduenisset, cautè dissimulans; & bellè feliciterque processerat fraus, siue solertia, exemptusque periculo videbatur, cùm apparuit, hominemque prodidit fascia candida Gallicæ pugnantis nobilitatis insigne: sanè quidem indulgeri poterat aliquid, imò & debebat, tantæ siue fortitudini, siue prudentiæ, si rebelles parcere aliquando condiscerent; verùm cùm deferbuisset certaminis ardor, quiesque omnibus esset, sicarius aliquis veriùs quàm miles, nescio quibus actus furiis, aut intemperiis facinus atrox execrantibus mul-

Generosum Daloni facinus.

tis, impresso altè ferro generosissimi iuuenis iugulum hausit: necati pariter è primario Gallicæ nobilitatis flore quadrageni, vulnerati totidem, quos inter Valancæus, & Polæus Baro, quorum ad casum Rex ingemuit. Meduanus verò stimulante iracundia, vlciscendique libidine inflammatus, raptis confestim armis in hostium castra aut cæsurus, aut cædendus ipse præceps ferebatur, ni concitatiores eius impetus cohibuissent reliqui bellorum administri, rei bellicæ summam, ac dimanaturam inde gloriam in eo positam admonentes, ideoque non temerè hostilibus obiectandum telis caput illud, à quo penderet regiorum militantium salus, regnique totius felicitas; non ita tamen compressus fuit subitaneus hic in Meduano vlciscendi ardor, vt non interdùm truci cum clamore, horrendarumque comminatione pœnarum foras erumperet.

Valancaus pariter & Polaus.

Vindictam parat Meduanus.

Haud me latet reprehensam à nonnullis inconsultam de more gallicæ nobilitatis properantiam; & certè auscultare debuerat prudentibus seniorum consiliis, non verò certissimam in cladem festinantiùs rapi. Atenim adfuturos mox auxiliares sperabat, quibuscum periculum simul partiretur & gloriam: sic excusant aliqui, quod tamen refellunt non pauci; nam quantò plures aduenissent, tantò futura strages erat cumulatior, cùm nullis protecti munimentis pugnam auderent. Hæc regiorum cædes non Bursranci tantùm, sed & rebellium multorum vindicata est nece. Periere cum eo Fortæus, Sanlupus, nec non sexageni probatæ iamdiu apud eos virtutis, tum ductores, tum milites. Sauuagius, qui extorturum se à Bursranco vt vrbem Regi traderet, non prudenter satis asseruerat; periculosum, ideoque premendum iure verbum suspendio luit. Quo tempore virilis etiam in fœminis conspectus est ardor, rabies potiùs furiarum aut Mænadum more persurentibus: prodibant enim militares inter globos armis instructæ, natiuáque instructiores ferociâ, obuios quoscunque ad vim regiorum fortiter propulsandam incendebant: hortabantur, vt plusquam homines contra Regem auderent, cùm ipsæ atrociter, & supra mollem fœminarum genium desæuirent. Montalbanensium propugnaculorum ruinas post annos ab obsidione aliquot inspectanti curiosiùs religioso admodum viro, adfuit illico è ciuibus vnus, qui laudatâ plurimùm obsessorum in hostibus repellendis constantiâ En (inquit) vel in hac Amazone bellicæ fortitudinis specimen perillustre relictum, ostenditque prætereuntem illac fœminam, altero imminutam brachio, toruo, minacique vultu

Culpata nobilium temeritas.

Perimuntur sectarii.

Sauuagius in patibulū actus.

Fœminarum Montalb. ardor.

incedentem, Hæc, quam intueris masculo vigore præditam, quot lapidum cumulos regia in castra deuoluit? quot regiorum capita saxeá tempestate protriuit? quin & ferreæ pilæ iactu brachio truncata, ingerendis continuato labore lapidibus fulminare non abstitit.

Tanta hæc nobilium clades, quo Regi molestior, hoc certè lætior contigit Inculismensis Ducis victoria de sectariis parta, quæ res vti gesta fuerit, paucis expediam. Rohanius è Cebennatibus Albigensique tractu magnos secum delectus duxerat Montalbanum properè introducendos, quibus vt Inculismensis è Germania redux cum quingentis equitibus obniteretur, è ternis, quæ in vrbem patebant, semitis, proximiorem delegit explorandis hostium viribus aptam. Diuiso bifariam sectariorum exercitui præerant Rohanius & Malausius præcipui nouæ religionis patroni, quorum vt cohortes disspararet Inculismensis, subitaneum Lombersio à Caluinianis habitato minatur obsidium; iamque bellicus omnis apparabatur instructus, murales aduehebantur machinæ, militari clamore, tympanorumque sonitu perstrepebant finitima, cùm Lombersienses inopino territi nuncio, legatos auxilia petituros ad Rohanium mittunt; Ille, quod vnum Inculismensis optabat, binas eò cohortes festinare subsidiarias iubet; quas cum hic oppugnare cunctaretur, neque enim eo consilio venerat, statim in hoste imbecillitatem interpretatus Malausius, indéque elatior animis factus, Fauchium Catholicorum vrbem continenti pilarum emissione oppugnat, expugnatque. Inculismensis tormentorum fragore admonitus aduolat illico cum cohortibus quatuor ab Albiensi Præsule missis, seriùs tamen aduenit, cùm iam obsessi hostium in potestatem venissent, quos inde ciuiis exturbare regiæ, Maiorumque suorum famæ interesse ratus, aciem hoc ordine totam descripsit.

Inculismensis opponitse Rohanio.

Eiusdem stratagema.

Fauchium à Malausio expugnatur.

Binas in turmas diuisi erant Desplani, Arnaldique sclopetarij, quorum hi ad læuam incedebant, illi verò ad dextram. His præsto aderant legionarij Gastonis Regis fratris milites, quibus Elbenus Dux præerat; sequebantur magni Galliarum Prioris & Faudouasij copiæ, adequitabant hinc inde Alesius Comes, & Inculismensis Dux cum selectis equitum alis, medio gradiebantur agmine cataphracti, Hurræus denique & Lopesius manipulum ad subita quæque paratum instruxerant, totius exercitus triarij constitui. Hæc quinde modo pararentur; cauit prudenter Inculismensis, ne cuique

Illud recuperare festinat Inculismẽsis.

Ordinatur acies.

cohorti peritus aliquis deesset locorum explorator. Ibant itaque omnes composito agmine, spe victoriam præsumentes, cùm Malausio festinatis hostem itineribus appropinquare haud vanus pertulit rumor; Ille gnarus apprimè militiæ, animique ingens, peropportunum nactus locum, copias in eo suas collocat, vnde feriendo cominus, eminusque iaculando terrorem semper, interdum verò cladem regiis inferebat cohortibus, sed eas atrocius infestabat vegrandis machina continuatis ac vix vnquam irritis iactibus fulminans, cui vt pesti properè Inculismensis occurreret, repentinis aggressionibus Malausium inuadere moliebatur, sed obstitit semper hostilis acies subitariis militibus aucta, donec auxiliares aduenerunt Albio turmæ; tum enim fiducia multò maiori signa cum hoste contulit, quia longè minore periculo.

Hostilis machina Regiis infesta.

Conseritur pugna.

Post indultum curandis corporibus tempus, signumque ineundo certamini datum, continuò emicant, tum veterani, tum qui subsidio aduenerant milites, animisque quasi de parta victoria gestientibus agminatim rapiuntur in hostem: quo in conflictu Lopesius à Sanromæo interficitur; qui deinde, ne arrogantiùs insultaret, cæsis quos secum duxerat alariis, terga vertere cogitur, haud dispari clade afficiendus, hunc nisi equi pernicitas præsenti periculo subduxisset. Exin Cornussonus, Alesianis, Curæis Albiensibusque ad opem accurrentibus copiis pugnam redintegrat, instant vndique validis Ductorum suorum hortatibus exemplisque corroborati milites, nec à sectariis premendis absistunt, donec eos aut turpi fuga dissipatos in vrbem retruserint, aut eorum complures ceciderint: necati ex ijs quadringenti, quos inter nobiles quadraginta, capti centum, vulnerati non pauci; è Catholicis pauciores occisi, nempe alarij viceni, pedites plures, præter Larmandium Desplani signiferum, Lopesiumque vt iam supra memoraui.

Cadit Lopesius.

Restauratur pugna.

Cæsorum hostium numerus.

Pauci è Cathol. necantur.

Compulsis in vrbem hostibus, decreta continuò est vrbis ipsius oppugnatio, cui accelerandæ obsidionales Albio conuectæ sunt machinæ. Augebantur in dies multis ad auxilium accurrentibus equestres pedestresque copiæ; præsto aderant Aubiiouxius, Granuallus, aliique vicinis è pagis magnates; plebs ipsa militiæ ignara, quasi cum nobilibus viris speratæ militiæ decus partitura, tumultuariis; quæ cuique fors obtulerat, armis instructa aduenerat, cùm obsessi posito tandem, quo ad id vsque temporis tumuerant fastu, vnáque Malausus formidare primùm conspecti, captumque illico à trepi-

dantibus consilium, aut (quia inter angustias acuitur virtus) infestis armis per mediam regiorum aciem, sibilantemque pilarum procellam sternendæ sibi viæ, aut fugæ silentio noctis capessendæ aut, quia imminens non ita vitaretur periculum, vrbis sine mora reddendæ, postremum id, aptius quippe ad emerendam Regis gratiam, delectum ab omnibus est. Præmisso itaque ad regios tympanista, qui colloquium exposceret, adfuere continuò Malausus, Cassæus, nec non Senegasius Baro, qui pactis cum Inculismensi deditionis legibus, in id conuenere, vt obsessis armorum contra Regem cessationem semestri toto spondentibus vita & impedimenta integra forent, quibus liber aliò profecturis commeatus est datus.

Veniam petunt obsessi.

Liberi abire sinuntur.

Inculismensi ob rem strenuè gestam ab Rege ipso attributa laus æquo præclarorum facinorum æstimatore. Ille quidquid erat decoris in præsentem Numinis opem Regisque auspicia referens, nouam sui cumulatiùs etiam dilaudandi materiem obtulit, nam cùm septos vndique hostes, & quadam velut indagine comprehensos teneret, nullique pateret declinandæ cædis opportunitas, indulgentiorem se erga omnes, quàm seueriorem maluit, pepercit quippe omnibus, eximium heroicæ comitatis sequuturis post se bellorum imperatoribus relicturus exemplum. Vtinam Montalbanenses ad obsequium inflexisset humanitas tanta, verùm trucem agrestium ferarum genium induerat obstinata rebellio frangi se, aut cicurari non patiens. Ad Monasteriensem portam acriores tum obsidentium, tum obsessorum intendebantur vires, In semilunare vallum continuata globorum emissione, instante vehementiùs Cheureusiano milite, vastis hiatibus peruium irrumpebant regii, repellebantur ab hostibus; audebant iterum, tertiò, sæpius, quasi refectis viribus, resumptisque ad nouas spes animis; toties pedem referre cogebantur, haud sine aliqua infamiæ nota; quam cladibus omnibus, quin & fato ipso acerbiorem censet, auersaturque nobilitas; complures tum vtraque ex parte obfirmatis ad vincendum animis occubuisse tradunt varia literarum munumenta. Certè quidem è regiorum castris flos nobilitatis cum octoginta bellatoribus interijt; vulnerati verò Arpaiouxius, Zametus, Machaudus, preter alios haud multo inferioris nobilitatis viros claris olim dignitatibus functos.

Inculismēsis Clementia.

Montalbanensium Contumacia.

Monaster. portæ oppugnatio.

Pugna vtrique parti funesta.

Eodemtempore Momiratum oppugnabat Pralinus; actisque non satis prosperè sub terram cuniculis, hostium, regiorumque

complures mixtis funeribus dissiliens multis partibus humus indiscriminatim absorpsit. Fesquius Comes cùm animosiùs, quàm cautiùs propter hostium munimenta inambularet, lethali glande sauciatus magnò Catholicarum partiū mœrore interijt; ex ea apud Genuenses ortus erat familia, quæ amplissimum reip. primatum ambire sine cuiusquam liuore potuerat; sed illustriorem longè fecit vera animi nobilitas, quæ non tam in truncis, fumosisque imaginibus, quàm in virtute consistit. Præclarum sanè, ac perquam iucundum spectaculum erat, hominem intueri ambidextrum quodammodo factum contra religionis impugnatores validè bellatorum more, aduersus semetipsum, hoc est contra turbidos animi motus, corporisque blandimenta validiùs longè, sanctorum virorum more pugnantem; Profanum siquidem & Christianum militem eleganter in se complexus, militari sago singularem morum innocentiam, parémque cœnobiticæ vitæ seueritatem occultabat, ieiuniorum crebritatem cum laxiore castrorum disciplina laudabili societate connectens, nunquam robustior acceptiorque Deo, quàm cùm sui victor existeret. Et quia decus haud exiguum scriptorum lucubrationibus afferunt, quæ sanctitati, aut cælestibus prodigiis affine aliquid habent, hîc attexere placet egregium Mariani clientis facinus, quem Dei Genitricis clementia, dum efflictim inclamaretur, è pudendo mortis genere, non sine miraculo infinitorum penè testimoniis roborato circa id tempus eripuit.

Infesti etiam regiis & obsessis cuniculi

Fesquius occiditur.

Eius nobilitas & pietas

Insigne Mariana clementia exemplum.

Hic Caluiniana corruptus hæresi, regium in exercitum clancularius explorator aduenerat, literasque afferebat ignorabilibus notis exaratas, albescens enim vndique curiosis etiam inspectoribus apparebat charta, nullo apicum extante vestigio; quamobrem fefellisset omnino, ni admotus propè ignis, amanuensis fraudem detexisset; humore namque, vi caloris discusso, deprehensæ continuò sunt literæ ad Forcæum ab eius vxore concinnatæ, quibus perlectis, miser adolescens tanquam proditionis compertus destinatur furcæ supplicio, sed ne vna cum corpore mens pariter interiret, à binis è Franciscanorum Recollectorum familia cœnobitis, ostensâ nouæ religionis inanitate Catholicorum in castra transcribitur; exin properè adest cum laqueo Carnifex ferali perfuncturus officio, quo conspecto; iuuenis, qui de singulari Montis Serratensis Deiparæ bonitate, impensoque miseris patrocinio multa hæreticus adhuc inaudierat, opem se in vitæ mortisque confinio positum ab eadem misericordiæ

parente accepturum non desperauit Catholicus; supplex itaque procumbit in genua, nouamque sibi tutelarem assumptam etiam atque etiam rogat, ne erga miserum desperatumque Clientem suauissimum patronæ nomen adimplere cunctetur; eius ope mortis è faucibus ereptos innumeros, qui supplices fidentesque eius ad sinum confugerant, haud disparem se gratiam, à gratiarum parente sperare; aditurum se Montisserratensem tam beneficæ Virginis aram, expleturumque quod rite nuncupabat iam votum. Hæc pia voce præfatus fidenti animo ad destinatum supplicio locum proficiscitur, hunc carnifex patibulo affixum è scalis deijcit, pedibusque ceruicem proculcat; cùm mira dictu, audituque res! diffracta reste subitò iuuenis corruit, expers omnino doloris, non metus, quod ne pro fortuito casu haberetur, hunc iterum corripit tortor, laqueo duplicato furcæ alligat, obtortoque collo deturbat è scalis. Ecce iterum præsto adfuit inclamata Genitricis Dei benignitas, abruptoque prævalido fune labitur ille præceps in solum. Obstupuit ad repetitum tam apertè miraculum quæ spectatum aduenerat hominum multitudo; accurruntitaque plerique omnes, ac veniam Sclamondo, id enim iuueni nomen fuit, mixtis clamoribus enixè deprecantur. Et sanè quem semel, iterumque supplicij fœditate præcoceque fato almi Numinis hominumque mater exemerat, perdere vetuit religio; Rex ipse, quia pius & Iustus, innocentem pronuntiauit, largoque instructum viatico exoluendi causa voti ad Montisseratensem Virginem misit. Hæc à Franciscanis Patribus magnoque spectantium numero abundè testata digna planè sunt, quæ posteritati tradantur, vt iuxta Marianum oraculum nationes omnes beatam illam prædicent, cuius tam prompta sunt, ac salutaria in mortale genus omne variis è calamitatibus liberandum auxilia.

Nouum Catholicum supplicio eximit.

Innocens declaratur à Rege.

E singulari hac tutelaris magnæ beneficentia ad tristem, lugubremque casum enarrandum dilabor, quo tota penè concussa, prostrataque est Gallia. Meduanus, qui velificantem sibi belli sortem ad id vsque temporis erat expertus, qui multa feliciter bella commiserat, feliciùs consummarat, nunc tandem magno suo, maiori tamen Galliæ, Catholicæque rei damno, nihil tam validum esse didicit, tamque aduersus repentinos casus vallatum, cui non ab inualido periculum instet; hausta enim expugnandæ Villæ-Borboniæ spe maximâ castrensibusq; in eius fossam operibus feliciter ductis, vix è vallo tanquam aliquid designaturus caput extulit, cùm à gregario catapultaria

tapultaria glande impetitur; leui (vt putabatur) læsus vulnere, quod post paulò lethale apparuit. Quid non licet vilissimis de fæce plebis mancipiis in præstantissimos heroas, ex quo sclopetariæ inuentæ sunt cannæ: hæc si iaculandorum eminus telorum Archidamo nota fuisset machina, exclamasset haud dubiè vti olim conquerebatur, dum simile quid in Sicilia fuisset inuentum, necandis procul hominibus aptum. *O Hercules interiit viri virtus, ita enim verò huiusmodi telis instructi calones abiectissimique lixæ in latissimam exercituum pubem, quin & in ipsa Principum capita impune grassantur.* Fortissimi Principis funus insolito luctu prosequuti sunt Galliæ ordines vniuersi lacrymisque magis quam ferali pompa decorarunt; sed mœroris partem abstersit nunquam interitura eius virtus, Diuini cultus, regiique culminis defensorem à futurorum sæculorum obliuione facilè vindicabunt profligati tot hostes, tot arces, tot vrbes, tot oppida capta, Regi per eum asserta, aut propter contumaciam solo æquata. Non obstrepet liuor, si quod de vetere illo monstrorum domitore tragicus asserit vates, in Meduanum aptè cadere dixero. *Aeterna virtus Herculem fleri vetat, Hic totus orbis famâ erit tumulus tibi.* *Galliæ luctus*

Quanto in Meduanum amore, tantò in sectarios odio ferebantur Catholici, qui eos, dum Carentonio redirent, vbi Caluiniana sacra sua obierant, quasi ciuilium bellorum Galliâ totâ flagrantium incentores, faces patriæ, nobilissimi sanguinis hirudines, Numinis violatores sacrilegos, Christianissimique Regis contemptores intortis certatim maledictis ingestisque verberibus prosequuti sunt; tum æstuante acriùs ob interfectum Meduanum in præcordiis irâ, Carentonium profecti, oppidanorum tecta disturbarunt, Caluiniani templi scamna, concionalis ministri suggestum, ligneamque templi concamerationem, & cætera huiusmodi iniectis passim flammis deuastarunt. *Insana sunt plerumque populi calentioribus animis abrepti consilia, ideoque iusta legum seueritate mulctanda.* Indignè hoc tulit Monbazonus vrbi gubernandæ præpositus, ac progressuram vltrà furibundorum vim, qua pollebat autoritate, compescuit comprehensis aliquot, & in patibulum actis, aut igni traditis, aut alio supplicij genere affectis. *Cædem hanc vlciscuntur Catholici.* *Sancita in reos pœna.*

Sic restinctus qui modum prætergressus erat seditiosorum ardor, non restincta tamen Montalbanensium rebellio; imò tantò con-

tumaciùs efferebant se se, quanto fortiorem regiarum partium ducem, propugnatoremque sustulerant: contra quos acriore proruebat conatu Marescallus Theminius consopitâ nondum ob interfectum Marchionem iracundiâ, pertinaci munimentorum verberatione ciues, præsidiariosque lacessebat, sed multum agendo, nihil, aut certè perparum promouebat, in duratas quippe saxo saxeâque pertinaciâ moles collimabat ab huiusmodi impressionibus tutas; quo tempore Luynium Villemurij, hoc enim in loco initum erat colloquium, subdolis artibus ludificabat Rohanius hominem plus nimio credulum dedendæ propediem vrbis expectatione prolectans; quamobrem longè remissiùs procedebat obsidio, nec enim contentiorem adhibendam vim esse arbitrabatur, mœniumque ruinis dehonestandam vrbem, quam vltrò regium ad obsequium redituram sperabat. Et quanquam resides essent militum conatus, inertioraq; ducum studia, trepidabant tamen, pacemque consociatis votis exposcebant obsessi nonnulli, cùm meliora sperare Belfortius iussit, deductis eorum in opem cohortibus aliquot, quibus in vrbem intromittendis dimicatum est sæpius, cæsique ex vtraque parte non pauci, comprehensi ex auxiliaribus aliquot Tolosamque perducti, reliqui variis perfuncti periculis in vrbem tandem immissi. Vulneratus, captusque Belfortius, & quia primarius tumultuum autor, & stimulator habebatur, quod proniota rebellione peccarat, Parisiis diuturno carcere luit. Mommorancius, qui sectariis in Occitania coërcendis vtilem ac laudabilem operam collocarat, Montalbanum Portæi, Maussolensij, Riuensis, Fabricæi, aliorumq; legionibus auctus, non auspicatò satis appulit; nam qui amplissimum cumulandæ gloriæ theatrum huius in vrbis oppugnatione nacturum se crediderat, periculoso inibi morbo præpeditus decubuit. Exin cùm redintegrandæ valetudinis causâ vrgentibus medicorum sententiis salubriorem secessisset in locum, omne confestim ob ductoris sui absentiâ Occitanicarum legionum robur languit, postque actas excubias aliquot, alij aliò dilapsi sunt, qui egregia operæ pretia præstituri aduenerant milites; tanti scilicet est coràm semper adesse peritum armorum ducem, cuius ad imperium exemplumque vniuersus se se flectat, ac componatur exercitus.

Theminii conatus in Montalb.

Pax a nonnullis expetitur?

Immittuntur in vrbe copiæ.

Belfortius capitur.

Mommorancius Montal. petit.

Æger alio vehitur.

Hoc eodem tempore perinde quasi infrequentiores furentibus hinc inde gladiis ederentur cædes, è noxio insalubrium, aut nondum

fatis excoctorum fructuum succo, atrocissima morbi vis regium inuasit exercitum, pluresque quàm hostilis ira confecit; nec per gregariorum tantùm, sed & nobilium armatorum capita pestilens occultaque tabe viscera despascens grassata est febris. Splendidas tum mortes oppetierunt seni Societatis IESV sodales, qui solandis expiandisque militibus diligentem operam nauaturi aduenerant, quos inter politiorum literarum scientiâ eminebat Paulus Seguinus sacris recens inauguratus Ordinibus, adeo quippe Latinæ, græcæque linguæ facundiam leporesque callebat, vt vnus aliquis è veteribus illis Romanæ, Atticæque suadæ lacte medullaque enutritis, non malè sit creditus. Nemo ad eum super intricatis auctorum antiquorum nodis consulturus adijt, quin doctiorem se ab eo redire fateretur, adeo intimè in abstrusiora quæque Musarum adyta penetrarat. Sed quod in eruditissimo viro nemo satis cõmendet, egregias illas animi dotes, diuitem illam encyclopædiam, nullo vnquam sublatiùs efferentis se se mentis fastu corrupit; de compluribus aliis liberales artes profitentibus viris, etsi multò inferioribus sibi, nunquam prauè existimare solitus, sed indulgentiùs semper, quocirca hac ingenii morumque facilitate quam plurimos pelliciebat ad se, Tolosates præsertim, omnibus beneuolè vras suas impertiens, prolixéque commendans, quæ priuato quisque studio lucubrarat opera, & ad maiora pro re literaria audenda, edendaque cohortans. Si extinctum Romanæ comœdiæ principem fleuisse Musa credita est, quam huic carminum generi præesse fabulati sunt vates, illacrymatas potiori iure crediderim Musas omnes tam erudito mystæ suo præmatura morte sublato.

percüt multi.

Societatis item Patres.

Pauli Seguini Doctrina & Modestia

Atque vt hic terris ereptus literatos homines iusto mœrore cõpleuit, ita & variis in Galliæ prouinciis desiderati Præsules clarissimi, gliscente hoc eodem morbo extincti, quos inter Senonensis Archiepiscopus Cardinalis Perronij frater, Valentinus, Carcassonensis, & Massiliensis Episcopi, Petrus Matthæus, qui Gallicam sui temporis historiam terso charactere, pertexuit, eadem tabe correptus, ac Tolosam æger deportatus, inter pios Patrum Societatis IESV monitus, complexusque diem clausit extremum. Sunt qui asiaticum in eo stylum historicæ breuitatis expertem reprehendant, adeò nempe studiosè pexuit, compsitque quod edidit opus, vt ab oratoria maiestate nihil, aut perparum discrepet. Hæc mul-

Antistitum nonnullorum obitus.

Et Petri Matthæi Historici.

torum sententia erudito viro non officit, in argumētis sibi propositis assurgere non malè ambienti ; vnde quot notis è veterum autorum lucubrationibus desumptis libros suos interpunxit, tot illustrauit vnionibus, & splendorem retinent suum, cuicunque tandem rei alligatæ sint gemmæ. Exercitum ferè totum corripuerat palabundus hic morbus, paucique admodum supererant pestis huius immunes; perdomanda tamen priusquam hinc abscederent, videbatur esse rebellio, ne perpulchræ victoris hactenus Regis marcessërent laurus. Sanè quidem cunctos regiarum copiarum duces incesserat pudor, non posse se tanti Regis fretos auspicijs, cuius ante oculos dimicarent, occupatam à perduellibus vrbem ad deditionem compellere. Cesserat iam Benearnia tota iusti Principis armis, impositum sibi iugum ciuitates acceperant, eius in verba iurarant Prouinciæ ferè vniuersæ, regiam tamen hanc continuatam perdiu felicitatem morabatur infidorum hominum grex varijs è regionibus coaceruatus, adiunctis itaque regiorum viribus, postremus contra pertinacissimam vrbem impensus est labor

Regiorū pudor.

Vicenæ, quæ Paillarium & Monasteriense propugnaculum cōtinuis iactibus euerberarent, à Moliero regijs castris præfecto destinatæ machinæ, cùm millies circiter, nec irritis vnquam emissionibus, aduersus hostium munitiones detonuissent, ternæ varijs in locis militi ad insiliendum parato patefactæ sunt viæ. Primæ itaque irrumpendi sclopetarijs Arnauti equitibus attributæ sunt partes, secundæ catapultarijs maioribus centum ductore Puiolio; hos alarij Luxemburgici, cohortesque Picardicæ ponè sequutæ, quibus omnibus sustinendis præsto aderant Vindocinus, & Cheureusius Duces, Harcurtius, & Schombergus Comites, Sangeranus, alijque armorum præfecti. Hæc cùm obsessi, vt & arcana quæque regiorum consilia per occultos exploratores accepissent quanquam intuta alia minimè relinquerent, in Monasteriensis tamen munimenti defensionem vires præcipuas aduocarunt, Rex de proroganda militantis sibi nobilitatis salute quàm expugnanda, potiundaque vrbe sollicitior, è propinquo tumulo, vnde postremam decretoriamque pugnam spectaturus erat, accinctam iam pubem, irrumpendique signum præstolantem admoneri iubet, ne quid temerè, & absque victoriæ spe certæ, præsertim si vita periclitaretur, susciperet; Nec mora Rinuillius centurio bellicis iamdiu laboribus apud Batauos assuefactus, ruinam propugnaculo impres-

Hostium Propugnacula quatiuntur.

Milites irrūpere gestiūt.

Dissuadentur ob periculum.

sam explorare iussus, Arnauti Sclopetarijs ad insiliendum paratis arduam hanc esse ascensu, difficilioremque renuntiat, cùm eius munimenti fossa in ingentem depressa foret altitudinem, validumque ad eius defensionem excubaret præsidium.

Sangermanus cùm propiùs idem aspecturus accessisset, periculique pariter admonuisset, quidquam ea saltem die attentari prohibuit. Verùm quis Gallicæ nobilitatis impetus comprimat, præsertim dum honoris, cuius nimiùm appetens est, blandiuntur illecebræ; iuuenibus in martio, hoc est in Gallico solo natis educatisque, si ætatis feruore n intendat laudis cupiditas, animosius nihil videas, nihil in necem suam procliue & incitatum magis. Audentiores longiùs quàm imperata ferrent progressi, necati sunt omnes, haud sine præuio generosæ indolis specimine dato, ideoque non expertes omnino gloriæ, quæ longè clarior extitisset, horum si consiliis comes adfuisset prudentia, cuius est non politica modò, sed bellica multò magis quia periculosiora, moderari. Interfectus pariter cum sectariis non paucis Daniel Chamierus primarius sectæ minister, violentiùs contra Regem, regiosque solitus debacchari; & furialibus identidem vocibus populum ad continuandam, imò & ad augendam rebellionem inducere, & audiebatur non inuitè cùm magna inter suos autoritate polleret, quam conciliabat sapientiæ fama, doctrinæque apud heterodoxos non vulgaris opinio; atque hinc insolentia mentis elatus, Cyclopum instar habebat sanctissimos quosque Euangelicæ veritatis doctores, perinde ac si nihil vnquam obcæcati vidissent, aberrassentque turpiter à germano Diuinorum codicum intellectu, ratus vnum se esse, qui cum reliquis hominibus commune nihil haberet, sacro tecta velamine absconditi Numinis sensa Lynceis introspexisse oculis, septenis signatum sigillis aperuisse volumen. Fanaticas eius de religione opiniones paulò antequam è viuis excederet, apertè confutarat (vt aliàs dixi) Alexander Regordus è Societate IESV Sacerdos, ille tamen in certamine fractus elumbisque adeò contumaciter victum se diffitebatur, vt gloriosi militis, aut triumphantis Imperatoris in morem per Montalbanenses vicos incederet, plausum gratulabundæ plebis capturus.

Irrumpunt; & cæduntur.

Necantur etiam rebelles, & Chamierus

Eius iactantia.

Interea morbis acriùs inualescentibus regiæ sensim dilabebantur copiæ; rarescebant, qui aduigilarent excubitores. Qui superant milites, tabe confecti, macie torridi, quod vitæ reliqu-

Serpunt morbi.

Dilabitur miles.

Soluitur obsidio. um erat, hostili gladio his in casibus minimè ferianti succidendum quotidie dabant. Atque id fuit causæ quamobrem obsidione soluta Rex abscesserit, rebellium haud dubiè victor futurus, ni Procerum nonnullorum, quibus concredita fuerat bellisors, rerumque summa, caligasset prudentia, iuuenemque Principem tot auctum laureis, tot victorijs insignem ludificasset; hæc omnium sententia fuit, hoc insuper addentium non accuratè satis indagatam æstimatamque vrbis magnitudinem, numerosioribus longè copijs circumuallandam, procrastinationibus varijs, falsa obsequij spe, simulataque deditionis specie delusos, irrisosque qui præerant duces, atque ob id segniore dimicatum manu, perinde quasi mansueta, ac cicurata fuisset, quam illaqueare connitebantur fera. Exacerbabat complures remissior hæc congrediendi ratio, diripiendam itaque ac sublatis tot cunctationibus ferro flammaque vastandam arrogantissimam vrbem succlamabant, ni consultiùs videretur eam militibus dare in prædam, continuatos obsequij labores hac mercede solaturis, præsertim cùm pactis horum plerique fraudarentur stipendijs.

Cur non successerit ex voto.

Insolentiùs agunt rebelles. Sectarij post regiorum discessum varijs in vrbibus oppidisque hostilia exercere cœptarunt, ne frustra dilaberetur, quæ tum se se dabat Catholicæ rei funditus euertendæ occasio; Comes Suzius, & Mombrunus Delphinatum crebris excursionibus infestum habebant, contra quos Lesdignierius cum sex mille bellatoribus missus. Subizius violata, quam post Engeriacam expeditionem Regi dederat fide, in Pictauiensi tractu tum aperta vi grassabatur, tum occultis bellicarum fraudum cuniculis, Royanumque iam interceperat, Rohanius inferiorem deuastabat Occitaniam, nec multùm à periculo Fuxensis aberat comitatus hostilibus hac illac volitantibus armis. Missi ab Rege qui sæuientem atrociùs his in locis rebellionem comprimerent, dum ipse Tolosam flagrantibus Ordinum omnium votis expetitus iter intenderet.

Royanū capitur.

Rex Tolosam proficiscitur. Palladiam hanc ciuitatem haud multi adierant Reges: Parisijs enim, vbi regia sedes est, in Occitaniam superiorem longinquum emetiendum est iter; Carolus nonus, & ante hunc Carolus septimus, paucique admodum alij magna hac olim in vrbe conspecti; postremi huius memores extant adhuc in Capitolina domo tabulæ, præterea in Bernoiensis ædis area armatum eius visitur cum tesseraria salamandra simulachrum; quæ tum domus regium in Palatium

lecta, in Musarum, vt anteà dixi, domicilium cessit, vbi numerosæ iuuenruti cum non exiguo literarum, pietatisque incremento moderantur Societatis I E S V Religiosi. Porrò in Ludouico Rege, dum per Arnalbernatensem portam intraret, excipiendo magnificentiæ nihil, & splendoris à nobilissima ciuitate doctorum virorum copiâ affluente prætermissum: triumphales arcus variis in compitis erecti, appensique tituli, qui partas iuueni adhuc Regi victorias repræsentarent: faustas ciuium acclamationes, festiuas sclopetariorum displosiones, tormentorum fragorem lætitiam publicam procul significantium, vt & reliquum pompæ locupletis apparatum, stylo persequi, non est huius operis, cùm multorum iam literis illustratus in vulgus prodierit.

Paria ferè, quo suam erga Regem obseruantiam testatam relinqueret, conata est Societas I E S V. Præter triumphales portas titulorum, & figurarum varietate insignes, præter pyramides miro fastigiatas artificio, auro, argentoque illusas, aut marmoreis guttatas, iisque perlucentibus notis: Collegii Tolosani porticus, quibus scholarum cingebatur area, schematis variis emblematisque distinctæ regias haud inuenustè adumbrabant virtutes: & hæc non inani, sed eruditâ, iucundâque picturâ curiosos pascebat oculos eruditorum vis magna: sed maximam mouebant admirationem sparsa vbique programmata tum ab Attica, tum Latina Musa deprompta, quæ cùm stabili pace rerum omnium vbertatem, certumtumque hæresis, & rebellionis interitum iustis Herculis Gallici viribus proterendæ spondere nt. atque ob id datus in theatrum Perseus: qui, vt in fabulis est, Andromeden marino monstro in prædam expositam liberauit, Medusam verò è Gorgónibus vnam, quæ se contuentes iu saxeam asperabat duritiem, interfecit. Galliam Andromeden esse absque Poetarum figmentis interpretabantur omnes, quam à teterrimo rebellionis portento diuexatam, atrociúsque diuexandam Ludouicus Rex, hoc est verus in pristinam libertatem asserturus erat Perseus, Gorgonemque anguineis horrescentem crinibus, hoc est hæresim Caucaseam perduellibus asperitatem imprimentem necaturus.

Area Collegii Societatis Iesu variis ornata emblematis

Datus in theatrum Perseus.

Hieroglyphicis præterea tabulis areâ totâ positis præteritæ Regis visebantur victoriæ, & prænunciabantur futuræ; inter quas præter loricatum serpentem aculeatis se morsibus configentem, verum sectæ semetipsam discerpentis symbolum, Cœlestis eminebat

Hieroglyphica tabula.

Iris regiis insignibus intertexta, quæ variegatis picta coloribus, cùm significaret non pauca, id vnum præsertim innuere videbatur armatum à Rege contra rebelles intendendum arcum, quo Gallicis odor floribus accresceret; ficus Ægyptia, nisi ad radicem pungatur, inutilis, hostes altè configendos edocebat, vt sentirent se premi, frugiferumque aliquid parturirent. Expressa quoque erat stupenda Regis adolescentis castitas, Dianæ venatricis specie illustrata, dum è saltibus, in quibus perdiu venabatur, quidquid infestum esset honestati, procul exigeret. Pietas euehendum è terris aureo curru iuuenem, Sanctisque Regibus, ac Diuo præsertim Ludouico parem, aut maiorem fore pollicebatur. Hæc, vt & alia multa perlegebat Rex oculis ad humanitatem inflexis, magnæ, quam inde capiebat voluptatis indicibus; æstimabat locupletes illos ingeniorum partus, iisque conspectis veteres recensebat, quas retulerat, palmas; nouas, quæ sibi affatim à vatibus promittebantur, collecturus deinceps.

Rex programmata legit, æstimatque.

Perpulchra hæc Musarum hilaria tantò iucundiùs Regi consecrabant Societatis IESV Patres, quantò sanctiùs religiosum in opus incumbentem aspexerant, dum in Ignatiani templi fundamenta lapidem iaceret, quod iam mole magnum, artéque non vulgari ad culmen perductum, regiam, vnde initium sumpsit, satis indicat manum, atque hinc suæ in Societatem beneuolentiæ luculentum ab Rege specimen datum; quo tempore Patrem Ioannem Arnulphum, Regi à sacris confessionibus eiusdemque concionatorem, quòd semotus ab aula fuisset, intemperantiùs carpunt aliqui, nimiùm damnãt ambitus, cùm sæpiùs contestatus fuerit vir magnus, optatius nihil vnquam sibi euenisse, quàm cùm è turbido aulæ pelago tot periculis obnoxio, ad eundem, vnde Regis iussu soluerat, religiosæ tranquillitatis portum, absque nominis sui, salutisque naufragio remigrauit. Quòd si visus interdum est liberè queri, repentina missione, indictaque causa extorrem se ex aula factum, magno id iure potuit, imo & expostulare debuit, ne quid sibi criminis, quippe conscientiæ securo nonnullorum malignitas, aut liuor affingeret. Certè non mollibus adeò moribus erat, vt labis aliquid imprimi sibi fineret aulica è consuetudine trahendæ; inter falsos illos nunc sublatiùs euectos, nunc ad ima depressos politicorum fluctus purissimos cœlestium deliciarum latices prægustabat vir maximè pius, animo constans, ad oblatas sibi Ecclesiæ dignitates immotus

S. Ignatii Templo primum lapidem iacit.

P. Arnulphi Regi à sacris confessionibus religiosa pietas.

immotus, huic, potior enim fuit semper laudanda, quam à primo ætatis flore coluerat, parsimonia, quàm pinguium sacerdotiorum illecebræ. Et verò quæ ille sapientiæ diuinæ placita facundè suo more sacris è suggestibus eloquebatur, morum prauitate refellere nunquam sustinuit; religiosi, quod iuuenis arripuerat, instituti cultor eximius; quamobrem aulicis expeditus curis, primarios statim est Societatis magistratus adeptus, fatoque concessit, dum Prouincialis munus obiret, iustam impensi Galliæ, Societatique laboris mercedem accepturus à Deo.

Regem nondum Tolosâ digressum amplissimæ curiæ nomine affatus est Berterius Præses, ac inter debitas ei laudes aggestas, & publica ciuitatis vota eleganter expressa, vnum id in communi lætitia dolere omnibus affirmauit, quòd cumulatiora facturus gaudia, viciniamque totam rebellione domitâ solaturus si Tolosæ paulò diutiùs commoraretur, de intempestiuo tamen secessu cogitaret, parum certè decoro futuro, iactaturis haud dubiè rebellibus, populisque extra Galliæ fines positis, quia vincere omnino desperabat, gradum retulisse Regem ingloriùm. Visus est Orator Luynæo Comestabili paulò inconsideratiùs, audaciúsque proloqui, quamobrem non sine aliqua sugillatione dimissus. Sed nec inconsultò, nec temerè quidquam dictum euicit alter, qui cum Berterio magistratus aduenerat, quis enim (aiebat) nobilissimæ curiæ temeritatis notam, nisi temerarius ipse imponat? dum, ne quid Rex detrimenti patiatur, dies noctésque peruigilare Senatores non cessant, non dissimulandus est calamitosus Gallicarum rerum status apud eum præsertim qui ne labefactetur omnino, prospicere diligenti studio potest, imò & debet è reipublicæ vtilitate non faciunt, qui quasi tuta sint omnia, extraque periculum omne constitura, blandis laudum, adulationumque prestigiis iuueni Regi fœdè illudunt; strata iam ab eo fortiter auspicante Numine portenta multa fatemur, verùm restant adhuc plura, quæ paribus idem armis conficiat; frustra Tolosates in impensas militares exhausti, cùm qui procul abigendus erat hostis, violentior ad vrbis nostræ portas insultet, & ad grauiorem inferendam cladem assurgat. Hæc liberè pronuntiata, non imprudenter tamen, ægrè admodum admittebantur ab ij in quos obsidionis improsperè gestæ culpa iam erat reiecta, vnde supremo Senatui hæc aut similia expostulanti vix responsum est datum, cùm ex ijs que objiciebantur, vix quidquam refelli posse

Berterius Regem affatur.

videretur. Atque hinc liquet non in gerendo tantùm, sed in regendo præsertim bello, si peccetur interdum, peccari grauissimè, vixque suppetere delinquentibus aliquid, quo peccatum excusent.

Obsidetur Monhurtiũ. Post Montalbanensem expeditionem Rex felicioribus vsus auspiciis vrbes & oppida, quæ non pauca defecerant, recuperauit; Tolosâ itaque Monhurtium, quod iugum haud ita diu excusserat, cum exercitu venit, qui trifariam diuisus, vt & triplex vrbis decreta est oppugnatio; hanc ad rebellandum impulerat furialis concionalium ministrorum clamor, qui Theobono Boissij genero, & Mirabello eiusdem filio quotidianis exprobrabant querimonijs, Boissium quòd regio in comitatu esset, defectionem nouæ religionis moliri; hoc vt illi auerterent, aut vindicarent damnum, in sectæ versurum dedecus, Sanctæ Fidei oppidum, & Monhurtium Boissio à Rege, à Boissio verò vtrique in tutelam traditum, sectariorum partibus adiungere tentant, quod simul ac nuntiatum est Regi, enim verò damnatâ protinus hæreticorum fide fluxâ semper & instabili, euocatoque seorsum Boissio, ecquid Monhurtij contra debitum sibi obsequium, fidemque publicam moueretur, interrogat. Ille continuò regios abiectus ad pedes, huic se culpæ affinem esse pernegat, quin mortem oppetiturum se priùs affirmauit, quàm vt leuissima nefariæ proditionis suspicione famam suam pateretur aspergi; quamobrem ad proditorem vtrumque regias ad partes reducendum anxia pressus sollicitudine accurrit; sed ecce dum inchoatum pergit iter, prædicantium ministrorum appetitus insidijs, à Sauignaco, Ainessio, quindenisque quos secum duxerant, sicariis interficitur, vnàque sacerdos, quem ille ad dubia de religione soluenda præceptorem, arbitrumque assumpserat. *Boissius occiditur.*

Monomachiæ amator. Funestum huius viri casum Rex ægrè admodum tulit, animi enim ad ardua quæque aggredienda perquam alacris documenta non pauca variis in locis reliquerat (sed quod nemo non reprehenderit) ingentem illam altitudinem mentis contra vnos Catholicæ religionis hostes expromendam, ad monomachiam, siue singulare certamen vicies atque eo amplius, violata quam Principes stabilierant lege, transtulerat, omnesque secum congredi ausos crudeliter necarat, barbarum id vsurpare solitus, concepta semel nunquam penitus odia extingui, nisi fuso rixantium inter se hostium cruore mergantur; magno sanè stetit illi vox effera, atroxque consilium, *Barbarum eius effatum.*

qui enim humanum sæpius sanguinem gladiatorum more congressus effuderat, effudit & suum, ferroque perijt, qui multos ferro cæciderat. Post eius necem Theobonus in augendo Sanctæ fidei præsidio, Mirabellus in Monhurtianis commeatu bellico instruendis parem, diligentemque operam collocarunt, nec occultè vt aliàs & prætimidè, sed negato palam Regi obsequio rebellantium concesserunt in partes.

Expugnanda erat perduellium contumacia in ea quam sibi præstruxerat arce, aggrediendumque Monhurtium, quod oppidum ad Garumnæ ripam positum Acilione non procul, vicus olim fuit tricenis tantùm aut quadragenis domibus constans; quas inter eminebat Catholicorum templum amplum satis & magnificum, primis Caluinianorum turbinibus, tractum hunc infestantibus, solo æquatum. Illic processu temporis instituta camera, quæ vecturæ ius ab ijs exigeret, qui Tolosa Burdigalam secundo Garumna, è Cadurcensi verò solo per Oldi fluminis alueum mercimonia sua vicinas in prouincias inueherent; vnde laxius longè ob institorum frequentiam factum est oppidum, ac peruigilibus Boissij curis aduersus subitaneos hostium impetus satis vndique firmatum: nam præter saxeos, validosque aggeres, ac subterraneas cryptas, quibus muri fossæque defendebantur, bina aderant maioris modi tormenta, campestres item aliquot machinæ, armamentarium maioribus minoribusque sclopis instructum, res denique cibaria plurimos in menses suffectura. Rupilaureo Marescallo commissum à Rege obsidionis properè inchoandæ negotium, cum quo Bassompetra cum quaternis, quæ regio ex exercitu integræ restabant, cohortibus, operum appropinquationes incepit, postque biduum Tolosæ consumptum adfuit statim Rex, obsidio iam inchoato moderaturus, hunc (quod in tenero adhuc principe rarum) nec fœdum imbribus tempus, nec tot prioribus expeditionibus labores suscepti, nec, qui circumferebatur passim sermo munitiorē hunc esse locum, quàm vt regiis adunatis viribus expugnari posset, ab vrgenda, regendáque obsidione auocarunt. Quin & designatis primò vnicuique cohorti contuberniis suis, regium è rebellis oppidi regione collocari prætorium iussit; Heluetias, Nauarræas, Normannicas, Riberacéasque legiones, Estissacique copias idoneis ad insiliendum locis disposuit, iustoque autoritatis resarciendæ studio, inflammatus à rebellibus Montalbanensibus nonnihil imminutæ, cunctis suotum

Monhurtii situs.

Munimenta.

Rupilaureus & Bassompetra obsidionem inchoant.

Ingens Regis cura.

operibus præire, castra obequitare, metatores inuisere, hac illacque cursitare, cunctos ad strenuè fortiterque agendum voce, manuque incendere, castrensem annonam sollicitè accurare cœpit, nihil indignum maiestate ne gregarium quidem ministerium putans. Existimari vix potest quantum ardoris solers, experrectusque Regis animus militibus cunctis addiderit, quos continuati perdiu variis in expeditionibus labores attriuerant, nouæque fatigabant in Monhurtiana obsidione difficultates, cùm vmbilico tenus stagnantibus in aquis stare, durareque iuberentur; sed acuebat omnes, vt iam dixi, præsentia Principis, spes etiam diripiendi prædandique oppidi facta magnum erat omnibus ære præsertim militari defectis ad audendum quidlibet incitamentum.

Obsidionales displosæ machinæ. Quatiebatur oppidum machinis muralibus octodecim, iamque exteriorem fossæ loricam contingebant obsidionales accessus, cùm rebelles ne arctiùs premerentur veriti, qua maximè parte Nauarræa excubabat legio, contra regios subitanei irrumpunt, quorum è numero quinos occidunt, totidemque vulnerant milites; quod tetrum facinus ira odioque acriter stimulante vindicarunt *Luynæorum militum cædis.* actutum Catholici, hostium plerisque dum terga verterent, interfectis, victores omnino futuri, ni acceptam hanc cladem ingenti postmodum nostrorum cæde vlti fuissent obsessi, vti autem hæc res se habuerit, paucis enarrabo. Gontautum, quæ Monhurtio finitima vrbs est, commigrarat Luynæi Comestabilis cohors, & *Nimiæ fiduciæ damna.* quia mœnibus fossisque vallatus satis erat locus, segniores agebat excubias, imò potiùs nullas, haud satis gnara saxeis in munitionibus non satis esse præsidii, nisi continuatis militum curis, vigiliisque firmentur, Theobonus supinam Regiorum ignauiam, commodam hostile aliquid edendi occasionem esse ratus, centum, & quinquaginta alarijs, totidemque sclopetariis septus egreditur, admotoque pylocastro, vno impetu portam vrbis deijcit; audito fragore emergunt protinus è somno, aut veterno potius Regij, nimiamque fiduciam quæ inertiæ fomes est, seriùs incusantes, in hospitia quædam ab hostium impressionibus vtcunque secura, relictis sarcinis, quibus continuò potitus est hostis, sine mora discedunt; qui supererant, aut occidione occisi sunt omnes, aut turpem in fugam cōpulsi. Insultabant iam sectarij regiis, maiorumque rerum expectatione sustentati, alias atque alias vrbes Regis

obſequio ſubducere moliebantur, ni Luxemburgius Luynæi frater, qui cum leuium equitum turma venerat, ſtratis horum è numero ſexagenis reliquos ad mitiora compuliſſet conſilia.

Necantur rebelles.

Verùm quantula hæc fuit hoſtium iactura, ſi cum vel vno componatur Barone Claromontio, cùm pro Rege, Religioneque ſtrenuè pugnaret, interfecto, hunc fortiùs, quàm prudentiùs (cum malè cuncta miniſtret impetus) hoc in conflictu feciſſe ſcriptores aſſerunt, nulla ſiquidem munitus lorica, ac improtectus omnino certamen inijt, perinde quaſi ferreis compactus artubus, nullis hoſtium telis patere configique poſſet, aut emiſſæ variis è partibus plumbearum glandium procellæ, hunc præ regiis omnibus habituræ forent eximium. Comeſtabilis quaſi rerum improſperè gêſtarum autor carpebatur à multis, aut præeautiùs ab eo, aut fortiùs agendum affirmantibus; quæ tametſi tacitæ obiurgationes, excruciabant ſanè hominem integræ famæ appetentiſſimum; inde mœror ingens, & ex mœrore grauis morbus exortus hunc exuendæ breui mortalitatis admonebat. Inter tot accuſationum turbines intrepidè tamen coram Rege aderat, aut videbatur adeſſe quaſi gratiæ ſecurus, quam mille puer olim obſequijs emereri ſtuduerat; & verò in ea perſtare ſe ſemper hoc manifeſtiùs commonſtrabat, quo potentiùs congeſtarum in ſe noxarum ſuſpicionem amoliebatur. Hoc de viro traduntur ab hiſtoricis multa, quæ ſi comperta forent, non leuem eius nomini maculam inurerent; ſed quia penitiora eius conſilia, quæ ne vulgarentur, ſtudioſè diligenterque proſpiciebat, perſcrutari vix vllus potuit, excuſantque complures hominem, innocentemque pronunciant, indignè facerem ego, ſi ob crimina in eum congeſta nunquam tamen ſatis explorata in inuidiam traherem, Gallicoque regno infeſtum temerè pronuntiarem, quem nunquam non amauit Ludouicus XIII. hunc à ſe haud dubiè procul ſemoturus, ſi aulæ, Galliæque noxium deprehendiſſet.

Et Baro Claromontius.

Carpitur à nonnullis.

Vt & Comeſtabilis.

Interea Monhurtium regiis cohortibus ſeptum illuceſcente decima Decembris die continuatis ferrearum pilarum iactibus impeti cœptum; exin qua parte Nauarræa cohors excubabat, cuniculus actus ingentem propugnaculo ruinam impreſſit, quodque non procul à prodigio abeſt, præſidiarius miles nitrati vi pulueris in ſublimè delatus, ſupra eundem, quem calcarat ceſpitem, incolumis ac erectus in pedes deſiliit. Acta iterum ſubterranea foſſa,

Cuniculus actus.

Vis nitrati pulueris.

ſed euanida apertis ab hoſte ſpiramentis. At cùm magna ex parte corruiſſet obuerſum prætorianæ cohorti munimentum ſignumque ad irrumpendum regii præſtolarentur, Mirabellus, qui oppido præerat, protenſis ex aggere brachiis, colloqui obſeſſos velle ſignificat. Rupilaureus, Montiſpanus, Gondrinus ad eos continuò miſſi, alienum à Regis maieſtate ſignificant paciſci cum ſubditis de conditionibus pacis, eius itaque clementiam implorare experirique feſtinent, ſupplicibus hunc precibus oppugnent, quo maximè telo expugnati ſolent, idque ſibi præclarum Principes ducunt. His obſequuti monitis, vni dedunt ſe Regis arbitrio, vitamque ſimul exorant. Nobilibus indultum, vt gladio latus ſuccincti egrederentur; mulierum, dum exirent, pudori grauiſſimarum pœnarum interminatione conſultum, curatumque, vt conſcenſis nauigiis tutum à militum licentiâ perducerentur in locum; direpta incenſaque vrbs eſt, & hanc ſibi pœnam acceſſiere Monhurtij, rebellium ſe partibus proditoriè tradere, Regique fidem & obſequium deſpoſcenti obtrectare contumaciùs auſi; cui quidem iure referendum quidquid hac in obſidione feliciter geſtum, cùm omnes qua voce, qua certa laborum mercede propoſita, qua quotidianis regiæ verè fortitudinis documentis incenderet, ægroſque omnes ac ſaucios ſubmiſſis abundè quæ neceſſaria videbantur, fomentis, crebraque pecuniarum largitione ſubleuaret.

Obſeſſi colloqui petunt.

Dedunt ſe Regi.

Vrbs incenditur.

Extat & hoc perilluſtre regiæ virtutis ſpecimen datum. Cùm procul auditus eſſet congredientium ſclopetariorum tumultus, nuntiatumque ſimul è ſabuletis Burdigalenſibus hoſtilem appropinquare manipulum, ac in remotiorem regiorum cohortem impreſſionem iam factam non ſine horribili propulſantium ſtrage; Rex conſcenſo protinus equo, quo in loco conſtitiſſent, non quibus expugnandi eſſent armis, victoriæ ſecurus quæſiuit, quam ipſi tum æquitas cauſæ ſpondebat, tum repentinus hic ardor. Addidere ſe comites aulici, nobileſque magno numero; ſed agnitum tandem eſt hoſtile nihil moueri, ſubitaneam tantùm armatorum in diuidenda ex æquo præda rixam eſſe conflatam, ſtare omnes in veſtigio; quo tempore mortis interuentu cecidit ex ampliſſimo, dignitatis ſuæ gradu Luynius, cuius à pleriſque laudatum peracre in propaganda Romana religione ſtudium, quòd ad ſectarios perdomandos Regem primus impulerit, eorumque complures qua profuſa pecuniarum largitione, qua ſpe maxima honorum aſſequendo-

Regis Magnanimitas.

Moritur Luynius.

rum iniecta, qua incusso pœnarum terrore religioni, Regisque gratiæ reddiderit; quod hic iure infero, cùm enim de oppugnata in Gallia hæresi dicturum me spoponderim, haud prætermittenda videtur eorum laus, qui iusta contra teterrimum hoc monstrum arma suaserunt, sumpseruntque. Regis super Comestabilis fato mœrorem leniit ingens animi robur, quo cùm septus esset, humanos casus omnes infra se duxit.

Exin sæuiente hyeme Rex Lutetiam Parisiorum remigrauit, post bellicos toleratos labores quietis aliquid inter aulæ laxamenta capturus, fruiturusque seipso, ac victoriis suis, ni speratum hoc otium Vignaucius interuertisset; qui cùm haud ita pridem in Villæ-Borboniæ oppugnatione Meduano pertinaciter obstitisset; hoc insuper addidit, vt Negrapelissæos rebelles ad delendas funditus Valiaci legiones impulerit; hi enim eius hortamentis incensi, quotquot aderant milites ad vrbis præsidium missi, vino tum madidos, grauique somno consopitos districtis gladiis adoriuntur, cunctosque, paucis admodum fuga dilapsis, barbarum in modum contrucidant. Lætus admodum repentina hac strage Vignaucius Burniquellum Auerioni fluuio vicinum occupat, stationarios in castrum ad sui tutelam profectos arctissima obsidione circundat. Oppidum hoc monti impositum magnam in altitudinem assurgit. Castrum adeuntibus facilis est per vrbis intima via, cæterà inaccessus est locus; cúmque nemini hactenus per inuias, quibus vndique cingitur, rupes, patuisset ascensus, quia periculosa quæque experiri cogit necessitas, tentatus in subiectam vallem descensus; dimissus enim per funem qui regios haud procul agentes de commeatus inopia, miserandaque excubitorum militum sorte seriò commoneret; quod cùm feliciter processisset, varias ascensus difficultates ijdem, qui descenderant, eluctati, per ductarium eundem funem vnà cum militari annona remigrarunt in castrum, dum interea continuam in eos saxorum grandinem irritis semper iactibus eminus intorquerent sectarij, qui tandem viribus simul, animisque defecti, ac variis cladibus ab Inculismensi Duce affecti dedendæ statim vrbis iniere consilium. Vix diutius regiorum armis obniti poterant, quòd miles oppidanorum in auxilium missus, tum ob summam frigoris asperitatem, tum ob subductam quotidianorum ciborum annonam, fame, perennique labore fatisceret. Vignaucius cum quingentis bellatoribus exire ac æquiora deinceps

Rex Lutetiā redit.

Valiaci legiones cæduntur.

Vignaucius Burniquellū capit.

Castrum occupant regij.

Eorum solertia in annona paranda.

Burniquellū recuperatur.

Vignaucius insidias.

spondere compulsus, vitato capitis periculo, grauioribus totum circà tractum cladibus afficere cœpit. Infido semel homini vix vlla rectè, prudenterque indulgetur gratia, quòd accepta ille merita non modò non agnoscat, sed & insuper nouis ea plerumque maleficiis penset.

Obsidentium laus. Vt autem ijs qui bellum hoc gessere fortiter, aut prudenter administrarunt iusta laus detur, Burniquellensi præfuerunt obsidio Inculismensis, & Theminius; rem totam confecere, Picardiæ Chapesij, Pibracij, ac Mommorancij Equitis Hierosolymitani, cohortes. Post paulò cùm adulta hyems esset, varia in loca distributi sunt milites, Halliero traditæ Luxemburgici Ducis copiæ, quibus commodùm ad arcendas hostium excursiones est vsus recuperandaque loca non pauca, Pardillanum in primis captum, *Theobonum castrum à Regiis capitur.* Theobonum castrum situ, arteque munitum tergiuersatum nonnihil est, tum ductò à regiis murali tormento cedere maluit, quàm asperiorem, sibi tum propositam imminentemque experiri fortunam. Gensacum sexaginta haud amplius ædibus constans, sed firmo fossarū præaltarum ambitu, fortissimisque mœnibus præ- *Et Gensacū.* munitum, post velitationes aliquot rebellibus noxias, fatalesque Hallieri tandem viribus cessit. Oppidani quam in Catholicos cru- *Occisi multi.* delitatem haud ita pridem subitaneis agitati furiis ediderant, æqua suorum strage, aut longè maiore piarunt. Ducentos ex ijs, atque eo amplius à regio milite cæsos constans est fama. Sic quæ sanguine pasci se amat infidorum factio, suorum est largiter cruore potata.

Orvallus sæuit in Figeacenses Catholicos. Hoc ferè tempore Orvallus Comes Cartusio, Sauiniaco, & Veyrerio comitantibus Figeacum proficiscitur, quæ in agro Cadurcensi haud ignobilis vrbs est à Catholicis, hæreticisque mixtim habitata, quæ perduellium societas Catholicis penè exitiabilis fuit.; intercepti namque Comitis iussu qui locupletioris erant fortunæ, coniectique in vincula, ac attineri iussi, donec imperatum redemptionis pretium repræsentarent; reliqui à quibus æris nihil exprimi poterat, ex vrbe procul eiecti vtque humana omni ope sublata, subductisque cibariis fame contabescerent, circumiacentes fœda populatione vastati sunt agri; Orvallus quod ab Halliero damnum acceperat in Inculismensi vindicaturus, primum eius *Alarios Inculism. necat.* alariorum ordinem in Lissacensi pago, vbi segniores agebantur excubiæ, repentinus inuadit; horum pars conspecto prius quàm denunciato

nuntiato rebelliũ manipulo, fugam arripit, pars fugæ dedecus exosa, cum conaretur obniti, ab eo cæsa, protritaque; qui loco potitus, terrorem latiùs circumtulisset, ni Pibracius stare iussis ad Diui Antonini fanum manipulis compressisset audaciam hominis præsenti fortuna ebrij, ideoque ferociùs insultantis. Exin statiuis ad Figeaci, Vxelloduni, & Caiarci confinia collocatis, immodicæ rebellium latrocinantium cupiditati frænum est additum.

A Pibracio coërcetur.

Tumultuabantur etiam in Fuxensi comitatu sectarij, Leranoque primario rebellionis autori dabat animos Carmani Comitis loci illius præsidis valetudo non satis constans, curatis nondum, quas in obsidio Montalbanensi acceperat, plagis. Hic mille quingentis bellatoribus fretus, è Fuxensi, Cebennensique tractu collectis, in fas omne nefasque indiscriminatim proruebat, sacris profanisque iuxtà habitis, cùm iustam in vindictam exardescens è nobilissimis pubes lecta familijs, tanto se se contra rebelles effudit impetu, vt maximam eorum partem internecione deleuerit, cæteris qui è strage se se proripuerant, hac illac dissipatis manipulis. Carmanus recuperatis viribus Mirebalum, Peyratum, Lambessacum, Bastidam, quin & Leranum ipsum vi expugnatum regio submisit imperio; Apamiensi denique agro vastitatem intulit, cladis Apamiarum futuræ primordia, quæ vrbs post annos aliquot à Condæo Principe debellata, hæreticam prauitatem vna cum rebellione deposuit; quin & Fuxenses hæretici maiorem saltem partem circa id temporis veritate Catholicæ religionis agnitâ Caluinianos damnarunt errores, quibus ad sanctissimum hoc opus non voce magis præiuit, quàm exemplo sectæ minister centenario maior, eò Geneuâ, cùm hæc primùm vrbs à Romana communione defecit Caluino ipso iubente profectus. Atque in hoc æstimari satis non potest æternæ mentis consilium, quòd segregem ouem è pinguibus veræ fidei pietatisque pascuis extractam, atque inter horrescentia corruptarum opinionum vepreta miserè deerrantem, ad se tandem annorum pondere degrauatam reduxerit. In legendis Bellarmini controuersiis, quæ cunctorum ferè sectariorum manibus terebantur, delitescentem veritatis lucem deprehenderat; qui liber figendis, cruentandisque hæreticis gladius, tutandis verò & confirmandis in sana doctrina Catholicis clypeus fuit, futurusque est semper. Eius autor Robertus Bellarminus è Societate IESV in Cardinalium cœtum à Clemente VIII. Christi Vicario promotus sanctitatis, & eruditionis laude apud omnes ferè nationes

Leranus Fuxenses Catholicos vexat.

Caduntur eius copiæ.

Carmanus loca multa Regi recuperat.

Fuxenses Catholici fiunt.

Ministri centenario maioris conuersio.

Bellarmini controuersiæ debellandis hæreticis vtiles.

Piùs eius obitus.

Et vita compēdium.

Societatem Iesu amplectitur.

Concionatur Louanij.

Refellit hæreses.

Doctorum Iudicium de controuersiis Bellarmini.

inclaruit; & quia hoc anno 1621. rerum multarum, quas meminisse præstat, materiem suppeditante viuere desijt, iuuat pauca de viro tanto posteritati relinquere, ne ab vllo ignorentur immissæ in eum cælitus animi dotes, tametsi suis se satis ipse libris incredibili studio elucubratis prodiderit. Nec alienum quid ab instituto meo facturum me puto, si in hoc paulisper immorer, quo post hæreticos ortos in Gallia conspectosque, clariorem nemo ad falsa eorum detegenda dogmata prætulit facem.

Hic patriâ Monspolitianus progenitores habuit ex illustri admodum stirpe, parique nobilitate conspicuos: exactis pueritiæ annis, tametsi dignitatum Ecclesiasticarum spes affulgeret maxima, (erat enim Marcelli 2. Romani Pontificis ex matre nepos) Societatem tamen IESV adamauit, inijtque, in qua liberalioribus, seuerioribusque studijs excultus, Louanij coram magna Principum virorum corona conciones latinas è suggestu ecclesiastico instituit, scitè quoque Theologiam iuxta D. Thomæ mentem exposuit. At ne vnis tantùm prodesset Catholicis, partiendus in singulos, qui cunctis se tradiderat, in hæreticis rectum ad callem reducendis Romæ maximè, qua in vrbe complures annos fidei controuersias exposuit, sedulam operam collocauit, illas autem tomis quatuor comprehensas, iussuque moderatorum luci publicæ assertas Sixto V. Pontifici maximo nuncupauit, quæ volumina quàm fausta eruditorum omnium admurmuratione accepta fuerint, declarant satis luculenta eorum testimonia, è quibus cùm nonnulla retulero, eorum simul confutaro ineptias, qui controuersa hæc doctrinæ capita maledico dente carpere, ac infamare nituntur, quasi deprehensi erroris nondum tamen satis euicti stabilimenta.

Sanè quidem magnus ille Cardinalis Perronius, quo, mirabili doctrinæ varietate, ingenijque robore aut parem aut superiorem ætas vix vlla tulit, quoties ad Romanas Bellarmini Cardinalis ædes proficisceretur, itare se ad Magistrum solitus erat non dissimulanter asserere; opus autem controuersiarum Ecclesiæ Catholicæ profuturum plus dixit, quàm quod ante mille annos in eius defensionem à peritis scriptoribus elucubratum fuerat. Cardinalis item Dietrictainus Bellarmini libros inoffenso pede decurri posse censebat, quod D. olim Hieronymus de libris à Beato Hilario de sancta Trinitate conscriptis asseruit. Surdisius pariter Cardinalis Bellarminum hæreticorum malleum, suique sæculi Theologorum apicem nuncupat. Iulius Sancedoni Grossetensis in Etruria Præsul

Bellarmini doctrinam militantis Ecclesiæ armamentarium vocat, vnde acutissima aduersus hæreses omnes tela promi facilè queant.

Nec communis tantùm ea Orthodoxorum vox est, laudant eum pariter, qui pessimè oderunt hæretici. Vittacherus nuncupatoriâ libri sui de verbo Dei contra Bellarminum epistolâ, hunc ipsum, contra quem agit, magnificis sanè verbis commendat. *Respondi* (inquit) *me iudicare virum sanè doctum, ingenio felici, iudicio subtili, lectione multiplici præditum, qui soleret etiam apertiùs, ac simpliciùs agere, quàm reliqui consueuerunt papistę, & argumentum pressiùs vrgeret, & arctiùs ad causam adhęresceret; nunc edito Bellarmino meliùs & certiùs cognoscemus, quid aduersarii in quaque causa teneant, quibus potissimum argumentis nitantur, & quæ sit ipsa quodammodo papismi medulla, quæ non magis in Papa ipso, quàm in Iesuitis inesse creditur.* Hactenus Vittacherus. Franciscus Iunius arduum esse ait controuersiarũ opus atque eiusmodi, vt si non leuiter, sed accuratè, ac vt rei dignitas, & difficultas exigit, tractandum sit, scientiam propè infinitam non variarum modò disciplinarum, & linguarum, sed etiam totius antiquitatis videatur ipsi requirere; tum addit. *Hæreticos non vnius generis, sed varia variorum examina vna acie in hoc opere Bellarminus prosternit*, &c. His addo Bellarministam in Anglia, & Papistam nihil omnino differre, sed pariter haberi ab omnibus, vt è nonnullis scriptoribus constat. Sic olim inter Athanasij confessionem, & catholicæ fidei professionem medium nihil intererat. Obijt autem (vt iam dixi) magnus ille vir anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo vigesimo primo, in quod tempus incidimus impios hæresis conatus enarrantes, bellaque ad proterendum hoc monstrum totâ ferè Galliâ gesta.

Quid de iisdem sentiãt hęretici.

Vix Parisios Rex attigerat, cùm ad resumendos belli labores à Catholicis de sectariorum ferocitate querentibus reuocatur; nec sanè pati poterat Ecclesiæ primogenitus crebris suorum gemitibus varias circunsonare prouincias, cùm plerique multis in locis atrocius aduersus sacra religionis nostræ mysteria bellum parari; atque è direptorum euersorumque templorum ruderibus commentitiæ religionis arces excitari nuntiarent, cùm rebelles in diuexandis Catholicis, dehonestandisque matronis & virginibus cuncta humanitatis, pudorisque Christiani repagula frangerent infinita denique probra dictu fœda & auditu passim admitterent, quæ passim vulgari modestiæ & honestatis leges minimè sinunt. Vrgebant etiam Regis di-

Rebellant adhuc haeretici.

gressum Rupellanorum comitia ad delendam funditus ipsius autoritatem instituta, quo tempore regiam sibi autoritatem vendicabant sectæ proceres, Subizius præsertim, quem Caluinianorum Ecclesiarum Regem appellitabant; quod nomen licet fucata recusantis specie non admitteret, eius tamen amplitudinem sustinere connitebatur, tributa noua imperans, varia varijs munera pro arbitratu dispensans, quasi supremo iure potitus. Quin & prætorianis ad sui tutelam cohortibus stipatus incedere visus, quod fœdum erat regij culminis imitamentum in eo præsertim homine, qui regios haud ita pridem abiectus ad pedes, rebellionis præteritæ veniam fieri sibi petierat supplex, adeò flagranti regii culminis cupiditate mortales inæstuant, si minùs veri, quod assequi nequeunt, vmbratilis certè.

Subizius noua tributa imperat.

Regis etiam ad se curas euocabant Occitani contra sectarios, eius edicta contrarijs refellentes edictis; expostulabant identidem sacras Numinis ædes in planum deijci, Catholicos varijs ex vrbibus exturbari; qui comitiis Rupellensibus non adhærescerent, proditorum haberi in loco. Et Regem facilè pellexissent in Occitaniam, ni maior in Pictauiensi tractu perdomandus hostis, eius ad se vires attraxisset, Subizij præterea vix minorem se Rege ferentis, immanis coërcenda erat audacia. Rex igitur Parisijs exijt vigesimo primo Martij anno 1622. postridie Dominicæ Palmarum, quæ dies cùm mirabiles Christi IESV victorias refricet de teterrimis humani generis hostibus reportatas, in faustum tracta est regiarum victoriarum augurium. Acutissimis dentium doloribus cruciatus diu fuerat, tumescentibus genis, colloque ob redundantem humorem nonnihil inflato. Blæsas tamen vsque nauicula delatus, dum aulæ intimos opperiretur, venationi frequentiùs institit, qua è parum temperata fatigatione adeo increuit morbi vis, vt huic mitigando, lecto defixus medica interdum fomenta cogeretur admittere; quo tempore arcani consilij senatores, simul ac aduenerant, ad se intromitti iubebat, dissimulatáque corporis ægritudine de componendo Gallicarum rerum statu differebat copiosiùs, adeò studiosè publicam rem curare solitus, vt cuncta quæ priuata sibi forent, quin & valetudinē ipsam regia propemodū cura indignam censeret.

Hæreticorū impietas in Occitania.

Rex Blæsas appellit.

Dentium dolore vexatur.

Salmurium profectus, certiorque factus sectarios atrox aliquid contra regni statum machinari, cuncta vrbis munimenta solo æquari iussit; illinc Nannetes progressus, acerba multa de Subizio inaudiit, volitare hac illac impune hominem cum lectissimo milite ac spe deuorare, quam sibi frustra destinabat victoriam; hunc

Agit de regni statu.

igitur occupandum ratus, priusquàm vnum se maximè peti intelligeret, omni cunctatione sublata, post exactum apud Nannetes vnum aut alterum diem, vrbana ex arce murales machinas quaternas eduxit in præfidentiorem hostem admouendas; qui sex peditum millibus, sexcentisque equitibus fretus totam peruastabat Oceani plagam, insultabatque cōtra Regem, regiasque copias quasi ad resistendum sibi longè impares. Et certè aliæ aliò distractæ iam erant sub moderatoribus variis, Espernonio Rupellam misso, Ellebouio in Aquitaniam, Mōmorancio in Galliam Narbonensem, Lesdiguierio in Delphinatum profecto: paucæ itaque Regi supererant, quas Subizio legiones opponeret, Riam insulam ad prædas inde abigendas ingresso; dum tamen ad promptam, paratamque sibi Cælitum opem sæpius attenderet, pristinamque reputaret felicitatē, quæ raro à legionibus suis absuerat, tumentem fortunâ suâ Subizium aggredi, audacioresque eius impetus infringere, mulctareque decreuit.

Salmuriēsia munimenta deiici iubet.

Distractæ eius copiæ.

Subizius quanquam probatæ suorum multis expeditionibus virtuti plurimùm daret, fiduciam tamen longè maiorem trahebat è genio loci, quòd asperis præruptisque cautibus obuallетur insula, ideoque ab hostilibus incursibus tuta, vim omnem externam eludere possit, quamobrem, quia vires non consulit audacia, sed earum semper mensuram excedit, ad Rohanium fratrem scripsit Co..ti se Rupifocaldio, si congredi secum sustineret, eum in os iniecturum se bolum, qui molares eius excuteret; quòd si cum eodē copias adunaret Espernonius, etiam vnum se contra vtrumque ferro constanter experturum; si verò Rex ipse in campum descenderet, cessurum se loco, reuerenterque, vt addecet, cum eo acturum, non quia fortiore, sed quia Rege. Incendebant Regis animum palæstricæ ostentationes huiusmodi, aut Thrasonicæ minæ à multis in aulam perlatæ, & quia maiora, viresque suas præteruecta pollicebatur Subizius, aptabat Rex fulmen, quo Phaëthontē hunc nouum insulsè nimis gloriantem attereret. Sanè nihil tùm Rex bellici muneris indignum maiestate ducebat, aciem instruere, ordines disponere, castrorum sedem eligere, stationes collocare, hostium vires explorare, in regiarum tum parte curarum ponebatur. Totam eam noctem, quæ irruptioni præuia erat, insomnem duxit stramine super nudo decumbens, nec lautiùs honorificentiúsque epulatum referunt historici, nam herboso in cespite, iniecta temerè mappa strato cibum sumpsit, heroum veterum more, quibus frequentissimus hic fuit in stibadio considendi, corporisque reficiendi modus. Hæc otiosi contemplabantur, æstima-

Subizius Riam insulā ingreditur.

Ventosa eius lingua.

Rex aciem componit.

bantque milites,tantóque se humiliùs Regis deuoluebant ad pedes, quantò se Rex abiectiùs ad militares eorum labores demitteret, quare vna vox hæc omnium erat, quibus tandem in latebris hostis delitesceret, quin actutum conspiciendum se daret, expeditum se manu ferrum gestare, & cum eo subsequuturam certò victoriam, non decere bellatorum Regi tanto militantium inertes esse manus, cui omnium corda tot & tantis beneuolentiæ signis deuincta, mancipanda perpetuò forent.

Insulani regio appropinquante exercitu læti admodum, ac prospera deinceps cuncta sperare iussi, Regem optatæ diu pacis, salutisque suæ assertorem futurum præuiis omnes votis consalutant; quanquam enim Rohanij iurisdictioni obnoxij forent, eius tamen hæresim & rebellionem ferre non poterant; quare ad eos contra hostium impetus egregiè tutandos legiones aliquot missæ. Præerat exercitui summa cum potestate Condæus, aderat Suessionensis Comes, ingentibusque elatus animis pedestribus præire cohortibus, partirique cum ijs pericula non dissimulanter ambiebat; iamque periculoso se se campo crediturus erat, ni vetuisset Rex, allato flagrantioribus eius studiis temperamento. Præmissus cum expedito milite Rupifocaldius, hostium latera fatigaturus, donec in insulam Rex irrumperet, quò rebelles resumptis animis cum tormento bellico penetrarant. Sequuti Condæus & Suessionensis Principes, quos leuis armaturæ comitabantur equites: legionibus progredientibus viam præmonstrabant Bassompetra & Paluaüs ob præaltas, & ad pectus vsque pertingentes aquas haud absque ingenti difficultate vadandam. Vix transmiserant milites, cùm diuiso trifariam exercitu omni sublata mora irrumpere tentant, Rex verò circum equitans armorum præfectis suum cuique munus ascribere, nunc instruere aciem, nunc aliis, atque aliis belli negotiis quam scitissimè, magnaque contuentium omnium admiratione defungi. Regio hærebant lateri Vindocinensis magnus Galliæ prior, Praslinus, Auriacus, Estissacus, Fronsacus, Radesianus, & alij haud inferioris nobilitatis Magnates.

Insulam aggreditur.

Præsides exercitus.

Magnum hunc armorum apparatum irritum fecit repentina Subizij fuga, simulac enim Regem instare agnouit, aut vires, aut eiusdem maiestatem veritus, aut scelerum potius suorum conscientia debilitatus terga vertit illico, qua tutam vadaturo viã præbituræ sperabantur aquæ; dilapsi pariter quinquaginta, contemati reliqui reciprocantes opperiebãtur aquas, Rupellam remigrarunt; sed antequam soluerent, Condæi arbitrio dedunt se rebelles numero septingenti,

paucis, qui post aquarum reditum fugam arripuerant parum admodum patrocinata sors est, nam qui dumeta inter tribulosque procul ab regiorum conspectu asylum quæsierant aliquod, ferarum instar indagine clausarũ globis plumbeis à Regio milite immissis confixi sunt omnes; dedititij ad remos damnati; qui pugnam ausi fuerant nullo discrimine cæsi, tametsi clementiùs nonnullis fieri præcepisset Rex, sed furori iam habenas laxarant milites seriùs adueniente Regis imperio. Qui in Ghauniam arcem Subiziani perfugerant, imminentium regiorum metu perterriti, victoris se se potestati tradiderũt, ijs integra cuncta relicta preter sarcinas, quibus regius potitus est miles.

Terga vertit Subizius.

Perimuntur rebelles non pauci.

Subizium cum quinquaginta equitibus incitatissimo cursu fugientem Bayersius Rupifocaldij comitatus alariis insequitur, quorum plerosque aut enecat, aut in vincula tradit. Et Subizius ipse regiorum in potestatem venturus erat haud dubiè, hunc nisi periculo exemisset veredorum pernicitas. Hic dissimulato mœrore in Rupellæ confiniis delituit, dum interim à Rupellanis concepti residerent tantisper iracundiæ motus ob rem infeliciter gestam. Bina atque eo ampliùs sectariorũ millia concidisse constans est fama, septingentos captos, complures, dum latebras quærerent cæsos. Inter captiuos numerati nobiles centum, Castrametatores terni, Marenius Comes, Motha Sansurinus, & Planchæus; pretio redempti proceres aliquot, suspendio necati nõnulli, qui contra fidem apud Angeriacum datam arma contra Regem sumpserant. Inter insulæ spolia bellicum Regi tormentum est asseruatum cum quindenis nauigijs, reliqua militi tradita præter sacram templorum supellectilem, integram vnà cum æreis campanis restitutam.

Alii dedunt se Regi.

Subiziani Comites necantur.

Periclitatur Subizius.

Hostium cæsorum numerus.

Tantam tamque celerem victoriam Rex præpotenti Numini referendam esse duxit, cuius semper fuit Regum omnium pro vera religione certantium partes aduersus impios religionis eiusdem hostes sartam tectãque tueri, magna itaque aulicorum, aliorumq; nobilium corona stipatus Aspromontanum in templum progressus, solẽni gratiarum carmine decantato ad palmas veteres nouis identidem cumulandas victoriis mentem adiecit, dum interea Fabasium Burdigalenses agros depopulantem Salesius, Sanpalaisius, Sangeruasius, & Sancrucius oppositis simul armis coërcerent. Soulaci, quod oppidum rebelles insederant, occisi fere omnes, iugulati primò vigiles, pauci ferro exempti, quos inter Fabasius ipse sola subucula indutus, nocturnis tenebris, fugæ, nuditatisque dedecus texit; capti complures,

Rex Aspromontanum templum petit.

equi cum sarcinis omnibus quadraginta abducti; è regiis quini aut seni trucidati, vulneratus Sanpalaisius. Porrò Sancrucij alariis, aliisq; iam memoratis heroibus ita demum est adscribenda victoriæ laus, vt in magnam eius partem asciscatur Burdigalensis Curia, quæ fortissimorum delectum militum habuit, & purpuratos è Themidis suæ soliò Senatores ad tentandam hanc belli aleam delegauit, nec turpe ac indecorum fuit, quod ius ipsi verbo, scriptoque stabiliunt, armatâ ab iisdem manu firmari.

Fabasius Burdig. agrum euastat

Comprimitur.

Fugit.

Postremò, ne quod à nonnullis obseruatum est, dicere prætermittam, digni erant qui hac attererentur clade rebelles, vindicante iustè Deo, quòd impiè sacrilegéque deliquerant: nam præterquam quod egestis ex aluo fæcibus altaria religioni consecrata polluerant, sacras Cœlitum contriuerant icones, easdemq; iactis certatim scommatis cachinnones confixerant; augustissimum Christi de cruce pendentis simulacrum, quasi sceleris cuiusdam compertum, reum peregerant raptarantque; pari quoque in sacras immaculatæ Virginis effigies feritate sæuierant. Multo sanè cruore luendum videbatur barbarum hoc peccandi aut insaniendi potiùs genus, tangendique de Cælo noui Salmonei, qui Deum ad certamen prouocare non erubescerent. Atque vt è iusta nequissimorum hominum strage iustum vltori scelerum Deo assertum est decus, ita & Subizio parum fortunato cæsarum copiarum Duci aggesta sunt vndique maledicta, affirmantibus Rupellanis & querentibus illius inscitiâ & inertiâ factum, vt tot cohortium suarum duces, tot milites ætatis flore vernantes, inuenilique festinatione præferuidi, magnam in bello peritiam post mille salutis discrimina consequuti, nullo postremis in conflictibus fortitudinis documento relicto, fœdum necarentur in modum. Hinc intorti ad obterendam Subizij famam parœmiales cachinni, facetæque vernilitates, quæ sale Gallico, siue lepore è lingua gallica tracto conspersæ debellati hominis aures morsicarim premerent, ad huiusmodi dicteria minimè surdi. Contrà verò Christianissimo Regi magnum in decus vertit hæc victoria, omnium siquidem & suorum, & externorum etiam linguis, si modò cum vera religione sentirent, immortale præconium tulit, cum veteribus collatus heroibus, imo & supra reliquorum euectus fastigium, quæ omnia laudum insignia & ornamenta honoris Deo vni, quemadmodum dixi, cuius se ope pugnasse, vicisseque fatebatur, adscripsit.

Senatores Burdigal. pugnæ & victoriæ participes.

Immania hæreticorum sacrilegia.

Probra in Subizium à Rupellanis iacta.

HISTORIA



HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB LVDOVICO XIII. REGE.



LIBER SEXTVS.

Anno Christi 1622.



EX Anisiensi, Medulensi, Santonensique tractu magni iam à Subizio delectus habiti fuerant; quorum numerum haud similis in re militari virtus æquabat, & felicitas: exiles in ijs abiectique admodum conspiciebantur animi, siue quia oculorum aciem perstrinxerat regiæ maiestati fulgor, terror potiùs, siue quia debellato attritoque duce suo consenuerat omnium robur & industria; adeò verum est fracto prostratoque copiarum imperatore, bellatorum sub eius signis merentium vacillare constantiam

Inertes Subizij copia.

Trecentos iam è suis censebat, lugebatque Rupella, dum Subizij ductu militarent, ab Regiis ciues interemptos: Royanum auxiliares centum, & quinquaginta, tum ex oppidanis, tum præsidiariis lectos ad eundem miserat, quos bellicus pariter omnes sustulerat turbo; quo tempore interceptus est Lescunus in Palensi curia senator, rebellionis incentor sectæque fautor præcipuus, perductusque Burdigalam veteratorias illas artes, quibus Regem hactenus ludificarat, post supremum capitalium prætorum decretum cum vita simul exuit. Pauci itaque Royani supererant, qui regia diu morari possent arma, nisi maior in ijs penè eneruibus ira vixisset, more anguium, qui post diffractos lumbos, versatili hac illac caudâ minas solito grauiores intentant.

Lescuni supplicium.

Royani situs

Hæc vrbs exiguo satis ambitu circunscripta tumulo adiacet ad Garumnæ ostium in Oceanum influentis, à sectariis variis propugnaculis communita olim fuerat, tum vt ab institoribus merces eò suas conuehentibus ius portorij exigerent, tum vt Rupellensium continuis latrociniis Oceanum infestantium commune receptaculum foret; exin à Rege denis aureorum millibus redempta, ac Chesnayo sectario, fido tamen, annitente Luyneo tradita, in hæreticorum postmodum potestatem redierat. Ab eius aggressione Rex, quanquam numerosis validisque subnixus esset copiis, abstinendum tantisper esse duxit, donec per Espernonium, ac Calongium Authoni Baronis fratrem oppidanorum animos iustam ad deditionem sollicitasset; *nam pacem, etiam qui vincere possunt, concupiscunt.* Sansurinus loci præses ad colloquium euocatus, pronum se quidem ad vrbem Regi tradendam ostendit, cunctandum tamen existimauit, Rupellanorum super hac re præstolaturus arbitria; in idem omnino propendebant oppidanorum plerique, maximè cùm multa ac funestissima nuper inaudiissent de Riensium obsidio, verebantur quippe, ne fatali quadam contagione par in se transferretur clades, si paria in potentissimum iratumque Regem auderent, & ne inchoata in Riensibus, in Royanensibus terminaretur tragœdia.

Dedere se recusant ciues.

Ministri rebellionis incentores.

Verùm inclinatas ad obsequendum ciuium mentes aliò deflectebant turbulentis clamoribus nouæ sectæ ministri, credulæ nimium plebis auribus identidem ingerentes, qua iam fruebatur rex, haud perennem fore felicitatem, quæ ipsum in Montalbanensi expeditione defecerat, ancipitem semper extitisse bellorum

sortem, nec in continuato prosperorum euentuum tenore perennare posse fortunam; hanc cum homines ad rerum culmen perduxit, vltra non progredi, & quia stare loco nescit, de regressu cogitare, & ad ima quæque dilabi; addebant, vt humana omnia reformatis deessent, nunquam non adfuturam armatam æquissimi Numinis manum, quæ Philistæos impios conscleratis in selectum Dei gregem armis insurgentes solo allidat, frustatimque discerpat. Tam inepta vociferantes concionales huiusmodi saniorem ad mentem reuocare nitebatur Sansurinus, qui, vt cognatis suis à regio exercitu captis libertatem promptiùs exoraret, Royanum Regi tradendum suadebat, ad quod vt contumaciter etiam repugnantes pelliceret, virium, commeatusque bellici penuriam obiiciebat identidem, exiguam, ac ferè cassam auxilii conquirendi spem, tranuersam oppidanorum votis conatibusque fortunam, extremam rei nummariæ caritatem, collapsam iam Subizij autoritatem, Rupellanorum metum, comitem denique regiorum conatuum felicitatem. *Sansurinus deditionem suadet.*

Euicerat, flexeratque omnes ad obsequiũ Sansurini Oratio, ni Fabazius & Sanrauyus diuturnis intẽperiis acti præclaris eius obstitissent consiliis. Postremus hic ingestam paciscendi cum Rege mentionem non modò non admittebat, sed aspernabatur omninò, neque enim ijs ortum sa Maioribus esse iactabat, qui vanis se percelli terriculamentis finerent, ad Subizianæ iam ferè conquassatæ fortunæ conspectum tantò erectiores induendos esse animos, quanto hæc erat deiectior, perstare sibi semper inter aduersantes sectæ casus eandem erga patriam charitatem, idem propugnandæ religionis efferuescere studium, in certum proditionis crimen incurrere, qui vrbem vallis, aggeribus inflammatáque oppidanorum aduersus obsidentes ira firmatam præuio nullo certamine, nulloque edito bellicæ virtutis experimento possidendam hostibus tradunt, virtutem in ijs turpiter veriti, quam eluctari facilè possint. Hæc cùm palam vociferaretur, vt ferè *ad deteriora consilia inclinat populus, impetu quodam & cæca temeritate abreptus*, complures adiunxit sibi cœptandæ rebellionis socios, eoque Poyanum perpulit, vt fidam sibi ad occupandum castrum operam polliceretur, sine quo vrbe diu potiri non poterat; id autem clam Sansurino habuit, illusitque vafrè homini deditionis spe facta, tum simulato ab vrbe recessu, sarcinisque aliò, quo callidiùs falleret, deportatis. *Repugnant Fabazius & Sanrauyus.*

Ee 2

Interea quotidianis ad suburbia collocutionibus de componendis vrbis rebus agebant Sansurinus, & Bancheræus ab Espernonio missus, quo tempore Santauyus, etsi acutissimis febribus conflictaretur, ad castelli tamen septa propiùs accessit, conspectoque ad ductarium pontem Arnaudrio, latas iam deditionis leges abruptas esse simulat, certamque propugnandæ vrbis affulgere spem, adfuturis propediem cum Subizio auxiliaribus copiis, Arnaudrius fraudem, occultasque insidias veritus, exploratas enim iamdiu habuerat hominis versutissimi technas. Eia (inquit) priusquam intromittaris, opperiendus est Gubernatoris reditus, ante quem vlteriùs progredi tibi, mihi verò fores aperire nefas esse certò teneto. Santauyus qua erat mentis elatione repulsam hanc impotenter ferens obfirmato ad cædendum animo, plumbea è sclopeto glande confestim hominem traijcit, quo prostrato audaciùs emicat, exertoque gladio obiecta sibi adeundi castri repagula disrumpit, ostium reserari iubet, repellitur, cúmque vi extorqueri nihil posset, stationarios amicè compellat, prolectat verborum lenociniis, ad fortia fortiter aggredienda stimulos admouet, contra sectæ proditores exacuit, nec in cassum abiere seu monita seu blanditiæ potiùs, in castrum enim inducitur cum recentibus, quos tum è nauigiis, tum ex vrbe legerat cataphractis.

Santauyus necato Arnaudrio castrum ingreditur.

E' castro digressus in vrbem, quo minus eam aduersus regios tueretur, pertinax obstitit morbus, qui furibundo vesanoque sectæ patrono positus commodùm obex fuit; Rupellam igitur deportatus, vbi primùm resedit morbi vis, nihil per aduersa sapere doctus, pristino se martis campo sublata omni cunctatione reddidit, cúmque concinnatis ab eo dolis Sansurinus Royano digredi iuberetur, omnis statim in Fabazium translata fuit potestas, Verùm Lanouius à Rupella recens, cùm pariter vrbis præfecturam ambiret, iamque è conflata inter vtrumque rixa grauior aliqua immineret pernicies, eò Loubiæus à Benearnensibus missus post mutua competitorum iurgia, ita demum rem totam composuit, vt Fabasius ex vrbis septis exire iuberetur. Rupellenses interea accisis in Riensi obsidio rebus prospecturi, à maioris Britanniæ Rege milites, idoneumque ijs alendis commeatum enixè postularunt, quod vt à potentissimo Principe citiùs exorarent, calamitosum obiecere nouæ religionis statum à fundamentis propediem suis conuellendæ, nisi labantem hanc humeris suis, opibúsque sustentaret, præcipuum

Æger Rupellam defertur.

Rupellenses ad Regem Angliæ confugiunt.

hunc esse Ecclesiarum verò Numini consecratarum columen, patronumque, regias regiis viribus oppugnandas esse vires, iniquas & impias, iustis & pijs; suffragaturum haud dubiè Numen iustæ reformatorum causæ, hanc si felicissimus fortissimusque Princeps auxiliaribus missis legionibus propugnandam susciperet.

Ille missis ad se legatis hunc in modum respondit, vt innueret frustra postulatas ab extraneo Rege cohortes pro tuendis aduersus legitimum Regem suum peruicacibus viris: haud maritimis se se commissuros fuisse periculis, si aliquando venisset in mentem, Reges, si quæ rixa vspiam ingruerit, eius componendæ causa in id præsertim incumbere, vti religionis negotia discernant à politicis; non satis eos Euangelicis auscultare præceptis, cùm rebellionem contra Principem sibi cælitus datum alere non intermittant, qui quanquam morosioris, & austerioris esset ingenij, regiæ tamen autoritatis, obsequijque à subditis exigendi prærogatiua non excideret; memores essent remuneratori, punitorique Deo iuxtà esse parendum. Hunc ferè proloquutus in modum, post legatos haud sine graui contumaciæ sugillatione dimissos, edicto varijs in vrbibus promulgato diligentissimè cauit, ne quis ex Angliæ regno cum reformatis nouos in Gallia tumultus concientibus arma viresque coniungeret, secus facturis grauem interminatus est pœnam. Rex perduellium audaciam externa contra fas implorantium auxilia seuerè, vti par erat, castigaturus, obsidione decreta malè concinnatam domum ventis imbribusque peruiam prætoriam in sedem elegit, illinc exercitui toti moderaturus, ac iusta prout res exigeret, partiturus cuique munera. Ac primò quidem, ne quid temere aggrederetur, vrbem, vrbisque munimenta propiùs inspexit, æstimauitque, Scombergo, & Haliero comitibus lectis, cum ecce densa ferrearum pilarum nube ab hostibus catapultarijs immissa nihil maiestatem reueritis eminus petitur; quin & sibilantis ante ipsius oculos glandis auditus cum astantium terrore strepitus, vno interrito Rege, imò quasi securo sui cassos hostium conatus iocosè ridente; paria non semel ab eo adita pericula varij testantur scriptores, virtutem scilicet inter ardua firmaturo, mirantibus aulicis indignantibusque tam carum Deo Galliæque caput ancipitibus huiusmodi casibus obiectari, quos lixæ, gregariique perhorrescerent milites; quamobrem à compluribus admissionis intimæ proceribus blandè increpitus, quasi vitæ illius prodigus, cuius in conserua-

Rex auxilia negat.

Rex vrbis munimenta explorat.

Obijcit se periculis.

Increpatur.

tione posita esset regni totius incolumitas. Extat in hæc ferè verba monitoria ad Regem oratio ab Archiepiscopo Turonensi habita è Chauia apud inferiores Nauarræos familia oriundo.

Nemini dubium est (Rex Augustissime) quin florentissimum hoc Galliæ regnum ad gloria, felicitatisque culmen euehi possit, hoc dũ incredibili, qua polles fortitudine, aduersus hostiles tueris incursus; sed oramus te, ac per Deũ obtestamur omnes, vti diligenter prospicias, ne hæc inuicti animi tui præstantia adultas spes nostras infringat, dum in ea se se pericula conicit, quæ audaciores quique bellatores non immeritò reformident. An non satis explorata cuique est regiæ mentis tuæ excelsitas, dum tuis legiones, legionumque ductores tam properè, tamque constanter obsequuntur imperiis, dum quæ militibus facienda præcipis, penè exequeris miles. Quid ad regiæ tuæ fortitudinis commendationem illustrius fingi, aut excogitari potest, quàm quod in Riensi nuper insula cœpisti fortiter, gloriosè consummasti. Quamobrem prouidendum est tibi diligenter, ne quæ prudens armorum tractatio regna stabilit inconsulta labefactet generositas: fortem scilicet hunc appellandum esse censuerim, qui in obiecta quæque pericula nec vt temerarius irruit, nec vt timidus reformidat; quare minax in vtroque vitandus est scopulus, senumque consilio, flagrantiores iuuenum temperandi sunt spiritus; quod nisi præstandum tibi duxeris, maxima quæque labentur in præceps. An ignoras quę magnis parta sunt laboribus, vel hora vnius momento posse corrumpi? hac illac flecti, torquerique nauim non tam impresso à remigantibus robore, quàm sapienti, qui eam adgubernat consilio. Principum omnium esse commissos sibi populos imperio regere, suppeditatis vltro muneribus demereri, non iisdem subiici periculis, non iisdem pariter difficultatibus implicari. Cum tua cautio securitas nostra sit, atque ex tua vnius vita pendeat nostrûm omnium salus, noli nimiùm audax esse periculo nostro, patere potiùs illud ipsum ingeri tibi, quod olim Dauidi haud absimili in causa bellorum præfecti denuntiarunt, iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israël.

Archiepiscopi Turonensis parænesis ad Regem.

Exploratis accuratè munitionibus Rex duplici oppugnatione vrbem aggrediendam esse duxit, altera quidem, qua excelsæ ad Fossilionem assurgebant rupes, altera prope suburbanum Espernonij contubernium. Quassato prima impressione muro, repentina in hostium aggeres facta est irruptio, qui nullo ferè certamine oc-

Duplex Royani oppugnatio.

cupati suspicionem iniecere non vanam actos subter ab hostibus furnulos, qui à nostris diligenter obseruati, haud graui, quod timebatur, damno fuerunt. Defuncti hoc periculo regij propugnaculi molem inscendunt, Praslinus, Bassompetra, Bironus Palluauius Nauarreæ cohortis ductor pari fortitudine, ac felicitate pugnarunt. Refugius Bellieuræi Franciæ olim Cancellarij nepos vulnus in certamine accepit, quod lethale fecit chirurgi, qui sectam profitebatur, imperitia, aut malitia potiùs, venenatis, vt aiunt, succis ad plagæ curationem vtentis. Gestiebant animis regij valido munimento sine magna strage potiti, ac eiusdem continuandę felicitatis magnam adducti in spem, haud satis intelligebant, in hoste, vt vires desint, occultas tamen formidandas esse machinas & sanè cùm auersum esset à sectariis cœlum, artes his minimè defuere subterraneæ, quibus quod recens acceperant damnum, pari regiorum clade sarcirent; nam simul ac latenti cuniculo admotus est ignis, vasto terræ hiatu consepulti ex obsidentibus nobiles quadraginta, milites totidem, post horrendam corporis totius lacerationem animas exhalarunt. Et hoc sibi malũ conciuit nobilitas, more suo cõfusis ordinibus, nõ æstimato satis periculo suffossionem aggressa, è qua subitanea hæc pestis erupit. Iuuat nonnullorum nomina edere, quos communis hæc clades inuoluit, si quis autem eos aut temeritatis, aut prouidi parum consilij damnet, quidquid inde contractum est labis, absterget omnino altissima iuuenum indoles, geniusque ipse Gallicus ad ardua quæque periculosaque sollicitans, quoties vel exilis aucupandæ gloriæ blanditur illecebra.

Capitur propugnaculum

Refugius necatur.

Regiorum strages.

Extremum hoc in certamine spiritum effuderunt Espernonij stipatores, Barones Massæus, & Matæus, complures è cohortibus Campana, Buriaque milites, Burgesius item, Lingondaisius & Sammartinus vixdum hoste conspecto necati fuere, nobili admodum stirpe prognati iuuenes. Exciuit regiorum lacrymas præcox Humierij primarij aulæ nobilis fatum, Senessæum pari luctu prosequuti sunt omnes Souuræus Eques Hierosolymitanus dehiscente terra contumulatus, sospes inde emersit. Inter horribilem hanc stragem fœdasque morientium aut plangentium species intrepidi perstiterunt, eodemque immoti vestigio regij; quin longè ferociùs proruerunt in hostem, tam nobiles, splendidasque neces vlturi. At rebelles, ne quid grauius contra se in altera, quæ tum immi-

Mortuorum elenchus.

Souuræus è ruina sospes.

nebat, aggressione statueretur veriti, pacisci cum Rege postularunt, quod cum extorquere non possent, eius supplices implorarunt impetraruntque clementiam. Dedita vrbs est salua oppidanorum vita, integris bonis omnibus, intactaque nouæ religionis, libertate: obsessi iure iurando in Regis obsequium adacti, Drouëtus Prætorianæ cohortis præfectus in vrbis præsidium datus.

Traditur vrbs Regi.

Stetit hæc victoria; vti iam innui, multorum haud postremæ nobilitatis virorum sanguine iugibusque Regis vigiliis. Hic in omnia seu militum, seu ductorum munia intentus præter castrensia, quæ singulis cohortibus contubernia designabat, armorum ciborumque copiam, ac reliquum præliatem instructum vndique per delectos à se annonarios seu œconomos suppeditari iubebat, solitus dicere in ductandis, regendisque legionibus incassum laborare præfectos, ni reficiendis earum corporibus maturè prospiciant, pudendam rem esse ductoribus, complures sub signis adnumerare, quorū curam minimè gerant, aspernentur potiùs; quasi verò qui militibus præsunt, parentum loco non sint, hinc acerrima gigni militibus odia, ad pericula, cædesque aut subeundas, aut inferendas agi se præcipites iure querentibus, despectam adeò, contemptamque ipsorum vitam haberi, vix vt assis vnius pretio liceat, hoc Duces inter militesque interesse, vt hi aliud nihil præter vulnera, & deformia cicatricibus ora domum referant, illi verò præmia, gloriamque militum sudore, cruoreque stillantem.

Vigiles eius cura.

Rex in Aquitaniā tendit.

Rex post recuperatum Royanum exeunte Maio anni 1622. in Aquitaniam victor progreditur, nouas perduellium cohortes, factionesque dissipaturus. Præiuerant iam Ellebouius Dux, & Marescallus Theminius regiarum copiarum præfecti, præmissus quoque fuerat Condæus cum exercitu haud ita valido, prælusurus fortè Regi cum auctioribus copijs propediem adfuturo. Et quia perhonorifica de Ellebouio incidit mentio, consignanda stylo videtur, quæ ab eo per id temporis de Forcæo feliciter est parta victoria. Hic Durasio in Petracoriensi tractu capto, in Forcæum deinde castrum signa conuertit, à Bordelio monitus magni nominis in ea prouincia viro finitima circùm loca à sectariis ferro flammaque vastari, prædasque à raptoribus in castrum impune conuehi. Ellebouius, quo fœdam hanc latrocinantium veriùs, quam militantium colluuiem procul ageret, obsidendam confestim arcem edixit, quod simul ac pertulit rumor, nobilitatis flos, veteribus

Ellebouius Forcaum castrum oppugnat.

quæ diu

quæ diu pertulerat, damnis inductus, nouos delectus agere, militarem accurare annonam, coniurare communibus votis in extremam castri perniciem, certamque illud insidentium cladem. Eo statim destinatus è Cursoni, Lausuni, Ramburij & Pede no- ij cohortibus manipulus lectus cum alariorum phalange, curulibusque machinis, quæ oppositæ muro, paucarum glandium emissione magnam eius partem deiecerunt irrupturis militibus perujam, quam priusquam inuaderent, patefactæ sunt hostium insidiæ, atque has detexisse, vicisse fuit, aduesperascente siquidem die haud procul à castris Forcæus cum ducentis legionariis, alariisque triginta insidiari conspectus. Præmissus vnus aliquis, qui hostiles exploraret latebras, in proximo saltu latere legionem retulit, sustinerique validorum equitum turmâ. Dubitatum diu à Proceribus est, quid magnopere mouendum esse videretur, & variantibus multorum sententiis perplacuit Ellebouij opinio, audacior quippe, cum in tentandam iusti prælii aleam propenderet; ne tamen præsidiarij regios à tergo adorirentur, cohortem hac excubare potissimum parte præcepit, ipse verò cum Bordelio, Lausuno, Cursonoque aduersus hostes congressurus, quo maximè loco infesti minabantur, iter intendit.

Regiæ mittuntur cohortes.

Decernitur pugna.

Sed ecce, dum multa nox esset, & accinctis ad ineundam pugnam militibus iterato tubarum clangore trucibusque bellatorum clamoribus horrendùm instrepere cuncta debuerant, inopinus lætum alternantium carmen chorus procul auditur; Regij dum hostiles sibi fallacias intendi vociferarentur; missi confestim, qui ocyùs explorarent, vnde gestiens hæc lætitia, adeoque exundans, vt per insuetas campo martio cantiones festiuaque tripudia tam effusè se proderet? Renunciatum epinicia canere ac præ gaudio subsilire lætabundum hostium agmen, cui ineundi propetè certaminis certa esset spes, simulque adipiscendæ victoriæ, à cuius prægustando fructu temperare non posset. Ad hæc Ellebouius. Quid si in insperatos hostibus planctus vertant intempestiui huiusmodi cantus? Agite milites inania hæc terriculamenta, cygneamque vocem spernite tanquam lethale cantorum ipsorum augurium, nam funus hostes præsagire, præcinereque rari ipsorum ordines manifestè declarant, quámque cassa viribus sit, quæ iactantiùs effertur, audacia è saxeis tecti munimentis strenuè satis confligunt; concidunt animis, hos si in plana camporum induxeris, ac iustum in certamen inuites,

Nocturnus Hostium cantus.

Quàm non inane sit quod loquor vos iam milites experimento discetis. Conseritur pugna, vtrinque certatim disploditur, atque vt quò quis tela ingereret, agnosceretur, illunis enim nox erat, excisis vndique quercuum, aliarumque arborum ramalibus ingentes excitati sunt ignes, busta potiùs ad cremandos cædendorum hostium cumulos comparata, nam principio pugnæ necati sunt eorum complures; at ne immoderatiùs regij felicitatem suam ferrent, primis his velitationibus partam, eius paulisper inhibitus est cursus.

Ceduntur hostes.

Nutarunt siquidem Ramburianæ ac Pedemontianæ cohortes quibus cornu primum obtigerat, cúmque eas plumbeæ defecissent glandes, cominus vtrinque certatum, nunc cæsim nunc punctim feriebant, feriebanturque, ac mutuis se se laniabant vulneribus, atque hoc cruentiùs alij in alios proruebant, quod absumptis iam flammarum nutrimentis mortis horrorem eriperent tenebræ, inobseruabiles vndique ingerebantur ictus, certa cadebant morte ex vtraque parte non pauci, quorum manu cecidissent, incertum. Sed hæc cominus acta, eminus autem, atque ex assurgente paululum tumulo muralia tormenta ab Ellebouio disposita, clauis, catenis, ac subitaria huiusmodi supellectili farta continuatis stragibus hostium vires atterebant, non deficiebant tamen animis, quin vrgente acriùs necessitate, quæ in arctis, aduersisque dominari solet, ardentiùs longè dimicabant, si minùs mortem omnibus à natura propositam, eius saltem dedecus vitaturi.

Cruenta vtrinque pugna.

Cùm vehementiores vtrinque fierent impetus, Ellebouius illustria imperatoriæ solertiæ signa vbique relicturus, nunc ordinatis obequitare cohortibus, nunc oratione, & quod longè potentius est, exemplo suo segnes increpare, formidantes accendere, polliceri magna, maiora longè præstare; nec mora, Bordelii cohortem, Sayanique alarios in hostiles copias immittit, hi quanquam huiusmodi in expeditionibus tyrones, ac nouitii propemodum essent, tam læta tamen sortiti sunt militiæ recens inchoatæ primordia, vt hostes primo impetu fuderint fugarintque, quibus quia locorum apprimè gnari erant haud arduum fuit effugium, per rupium prærupta, inaccessasque cautes gradientibus, cæsi tamen ex his quinquaginta supra ducentos, è regiis interfecti admodum pauci, plures verò sauciati.

Ellebouii sollicita virtus.

Auerterat paulisper regios à Forcæani castri oppugnatione

postrema hæc pugna vtriusque partis cruore imbuta, cùm resumptis animis ad prouectum iam opus profligandum accelerant. Patebat tum ingens castri ruina, sociatisque viribus paribus [illegible] ptio, sed intercessit Bordelius nobilium comitatu septus, cuius hæc extat ad Ellebouium oratio.

Nihil magis Principem decet, quàm mortalium genus demereri dum id maximè potest. Ecce palam & in oculis tuis est, quod si abesset, multo foret tibi studio conquirendum; occasio inquam de multis benè merendi nascitur tibi, quam obuiam minimè spernes, vt laudabili magnorum Principum more, nominis tui memoriam benefactis consignes. Scio leonini aliquid genii in fortes & generosos viros esse transfusum; at Leoni plus satis est hostem abiecisse, victoria quippe victoriaque suu tu non capitur; haud interitura est in Forcæo beneficii huius à te accipiendi memoria, vnâ victoris sui indulgentiâ spiraturo deinceps. Præterea si tradatur diripiendum militi nobilissimū illustrissimæ familiæ castrum, ingens hoc sibi decus ereptum meritò queretur prouincia tota, Regum fidos, præstantesque viros in eo quondam habitasse non immemor. Quid si, quia mutabiles sunt hominum voluntates, meliorem aliquando mentem, religionemque Forcæus induat, si veteres Maiorum suorum qui Catholicis adhæserunt, intueatur imagines, ac præclara eorum æmuletur exempla? An ignoras rebellem inter & morigerum vix interiacere temporis punctum, vt tempestatum sic & repentinas consiliorum mutationes existere? Hæc si te nondum flectit oratio, moueat te saltem Petracoriensis idem à te supplex nobilitas postulans, quæ si quid vnquam strenuè fortiterque tuis gessit auspiciis vnde tibi perrillustre quoddam accesserit decus, magnum sanè additorum pro te periculorum fructum acceptura est, si tam nobile castrum à solita militum iniuria, rapacitateque incolume serues.

Bordelius irruptionem dissuadet.

Ad hæc Ellebouius, Quod Forcæo tradi nisi ægrè admodum posset, id se generosæ nobilitatis precibus haud grauatè tribuere dixit; Principum quippe esse, magnorum virorum supplicationibus exorari, hæc per idonea esse oppugnandis Magnatibus arma, nihil sanè gratiæ promeritum esse Forcæum, qui quæ olim ab Henrico Magno beneficia eaque ingentia accepit, eius non agnoscat in filio, imò merita sempiternâ prosequenda memoriâ iugibus maleficiis, tractáque diu rebellione corrumpat, horum itaque votis obse-

Persuadetur Ellebouius.

Eius humanitas.

qui decretum apud se esse, ea tamen lege, vt castrum prædarum deinceps, prædonumque receptaculum esse desinat, secus iusto deflagraturum incendio. Hæc bonitatis documenta ab Ellebouio relicta, vtinam ad rebelles vsque dimanarent, qui vix vnquam simpliciter vincunt, sed quas assequuntur victorias, locorum vastatione, cumulataque hostium strage contaminant.

Rebellium furor in Occitania.

Hæc dum propere gererentur, infesti per inferiorem Occitaniam vagabantur rebelles, dum illata vi, verberibusque Catholicorum gregem ad extruendas ædificiorum moles, arcesque contra Romanam religionem excitandas adigerent, dum regios propemodum honores supremo rebellionis patrono, propugnatorique decernerent, Monspelium enim ingredienti Rohanio præter explicata, oblataque circumfusæ, gratulabundæque plebis studia vmbellamque concessam, haud secus quàm Regi acclamatum *Viuant Ecclesia, & Rohanius.* Ille fallacibus huiusmodi blanditijs exhilaratus Nemausum, ticam, Alesium, Viuariẽsemque lustrauit prouinciam, si quid in vrbibus arcibusque nutaret, per idoneas operas roboraturus. Castelnouus paternis insistens exemplis Monslanquinum proditione recens acceperat, dum consimiliter Lusinianus Clairacum à Bachelerio Regis mandato custoditum per insidias intercipere conaretur, cuius vrbis munimenta disiectum Regis eiusdem iussu Ducæus Burdigalensis Senator aduenerat; sed quia, vbi non apparet, qui obluctetur hostis, mollioribus plerumque studiis abripiuntur, eneruanturque stationarij, solitoque inertiores aguntur excubiæ, Lusinianus Marchio commodum occupandi Clairaci tempus esse ratus, dum ob productiorem crapulam occupati somno stertерent vigiles, corrupta, emptaque vnius ex oppidanis fide per occultum ad vrbis fossam foramen tacitus in vrbem irrepit; aderant ex condicto qui hominem opperiebantur rebelles, qui præsidiariis interemptis, quos Rex vrbis tutelæ præfecerat, cùm vbique mixtis clamoribus ad arma conclamarent, mortisque terrorem intenderent noctis tenebræ, Bachelerius impar resistendo cum militibus aliquot pacta vitæ incolumitate ad suos vnde venerat, remigrauit.

Regii honores Rohanio tributi.

Monslanquinum captũ.

Et Clairacũ.

Præsidiarij necantur.

Bachelerius exit ex Vrbe

Et Ducæus Senator.

At Ducæus his in angustiis animo constans, cùm in ædibus suis obsideretur, & quaternorum aut quinorum hominum, quos sibi comites iunxerat, ope subnixus, hostilem diu eluctatus vim esset, opimum vitæ pretium pollicitus, instans fati discrimen

effugit; non euasit tamen Heruæus Manuetus Societatis IESV Sacerdos, qui eò Præsidum suorum missu ad sacras militum exhomologeses, aliaque procuranda sacra recens aduenerat. Hunc hostile nihil aduersus hæreticos ausum molitumque, cùm eos hortatibus assiduis ad desertas Christi caulas reuocare niteretur, Martyrem ab Roma dici quid vetat? præsertim cùm ab efferis illis sicariis, solo incensis orthodoxæ religionis odio cæsus fuerit; atque id satis euincunt acerbissima Pugili sancto irrogata tormenta, quæ piè admodum constanterque, nempe fortissimorum Martyrum more pertulit, parem cum ijs, vti credere par est, euocatus ad gloriam. Suprema Burdigalensium curia Ducæi capti nuncio perculsa, nihil interea non moliebatur, quo eum pristinæ libertati quàm ocyssimè redderet; quamobrem quotquot ex Clairacensibus ciuibus regiorum in manus inciderant, perinde quasi Ducæi obsides attineri solebant, aut in iustum asseruabantur maturandæ redemptionis eiusdem pretium. Binæ Lusiniani filiæ, dum Rupellam iter intenderent, commodùm à Regiis captæ, ac Vrsulinarum cœnobio honestam ad custodiam curiæ iussu inclusæ Ducæi libertatem accelerarunt.

Heruæus Manuetus in odium fidei necatur.

Eius constantia.

Vrgetur Ducæi libertas.

Sequitur Tonesiana obsidio, quod oppidum ab rebellibus per proditionem recens tum occupatum in Aginnensi situm est agro, tresque diuisum in partes, nam Tonesium superius inter & inferius medium assidet oppidulum, cui Cuegio nomen; ad Forcæum spectabat superius, inferiore verò cum castro, Cuegioque potiebatur Vaugyonus Comes, Sammegrinij Dominus. Porrò Tonesianis pertinacius visum est nihil in Caluinianis tuendis erroribus, rebellioneque firmanda, ideoque nihil illic vnquam tanta religione vallatum, quod non innumeris sacrilegiis fœdarint, polluerintque; violata insuper ab ijs humanitatis iura, præsidiariis sibi ab Rege impositis immani crudelitate necatis. Exin Vauguyonum ad extorquendam castri deditionem adorti, intrepidum hominem, & ad se suosque egregiè propugnandos accinctum offendunt, stetissetque hæc in eo animi firmitas, si cætera adfuissent sustinendis hostium irruptionibus paria; sed commeatus inopia virum alioqui cedere nescium ad colloquium impulit, quod cùm à Forcæo concederetur, inter solitas paciscendi moras hæreticus miles in castrum subitaneus irrumpit, ac segniùs excubantes præsidiarios post datam acceptamque fidem nullo sexus, ætatis, dignitatisque delectu fœdum in modum obtruncat; nec immunis à clade fuit, qui ab

Tonesii situs & obsidio.

Tonesiani contumaces.

Vauguyonus castro cedere cogunt.

Præsidiarios interficiunt.

Regiis legatus aduenerat, tametsi Forcæus datis securitatis codicillis ei peropportunè cauisset, quin & instigante vehementitis rabie vltra mortem sæuitum ab hostibus, dum Regiorum cadauera, quibus instratæ passim erant viæ recenti strage laniata barbarum in modum dehonestarent, dum fœminæ vltra Gorgonum & Lamiarum immanitatem longè progressæ, partim cæsorum, partim spirantium adhuc militum, sed animas ægrè trahentium nares amputarent, & quod turpe est omnibus ac sexui præsertim ad pudorem nato institutoque, veterem Chami obscœnitatem in deuelandis corporibus æmularentur, bacchantesque hac illac perinde ac de mente dimotæ cursitarent licentiùs.

Fœminarum crudelitas.

Et hanc in sectariorum vxoribus obscœnitatem patiebantur qui bellum adgubernabant hæretici proceres; nec semel demiratus sum ego horum nonnullos, perillustres etiam magistratus assequutos, cùm de Caluinianis exuendis erroribus, Romanaque amplectenda religione sermo incideret, id consilij ludificari solitos, productâ in medium nouæ sectæ licentiâ, quæ cælibatû, rem, vti aiebant, difficilem è legibus suis excluderet, tum fescenninis dictis, iocisque salacibus diffluentes, exturbabant illico monitores pios ab huiusmodi fœditatibus abhorrentes. Sed vt ad inchoatam obsidij narrationem stylum reuocem. Tonesiani tam atrocibus præsidiariorum cædibus nondum exsaturati, Vauguyonum, pretium redemptionis aliquod extorturi, teterrimo carceri manciparunt; Et quia vindex scelerum Deus debitam consceleratis pœnam destinat, siue per se, siue per delegatos à se principes irrogandam, hi non leui timore correpti, ne quod contra supremam Numinis maiestatem rebellando, necandoque peccarant, vindicaret Rex justus, hunc vt aditu omni intercluderent, impigram in reficiendis mœnibus operam collocarunt. Sed quid tutum satis aduersus lacessitum & pronum in vindictam Deum? non adamantinæ aheneæue turres pœnam commeritos à fulminantis eiusdem manu satis vnquam texerint. Quare ad frænandos eorum conatus, vna cùm Theninio & quinque circiter legionariorum millibus missus est Ellebouius, obstructæque protinus omnes commeatus in vrbem transportandi viæ, tum aduersus inferiorem vrbem rota belli moles conuersa. Et principio quidem hostis quasi sui securus contra irrumpentes obstinato stare vestigio, quin & priores interdum ordines retrudere, magnam denique mentis inuictæ præ se ferre constantiam, donec nobilitas

Inuerecunda secta.

Ellebouius contra Tonesianos mittitur.

Acriter pugnant.

prosperos horum successus dedecus suum rata, corroboratis in eos viribus irrumpit; nutare tum primùm rebelles conspecti, confligunt tamen, at initis sæpe minoribus præliis sensim dilabentes, aliam in vrbem, securiorem quippe clàm irrepunt, vnde maiori partis vtriusque damno, probroque exturbandi erant, quod & sic contigisse paucis ostendam.

Nam Regij occupato post altercationes varias castro, hostes non pauciores quadringentis nullo delectu peremerunt, quo conspecto reliqui conceptam alitamque diutius resistendi fiduciam in furorem ac desperationem illico vertunt, sparsis vbique flammis, vbi se suaque omnia, quin & ipsam Regiorum, id si modò consequi possent, victoriam adurerent. Fœdum sanè, horrendumque visu spectaculum strata rebellium exhibebant cadauera, trunci artus, infectæ tabo viæ, atque hinc arrepta carpendæ regiorum inclementiæ occasio; sed purgabant hi factum allatis talionis legibus, objectabantque paria, imo longè atrociora ab hæreticis aduersus Catholicos admissa, ludibrio habitas ab impiis fœminarum gregibus indignè pereuntiũ neces, quin & restincto pugnæ ardore præter datam acceptamque fidem, continuatam ab immanibus furiis in cædendo barbariem, supra sexum, sexusque verecundiam longè progressis. Ad inauditæ hujus feritatis cumulum referunt aliqui, quo tempore milites ex vtraque parte certamen instaurarent, solitas eas fuisse in cespititia regiorum tuguria clam irrepere, in quibus ægros omnes, aut saucios cum imminenti morte luctantes, ideoque ad resistendum inualidos, promptis è sinu pugionibus pecudum in morem iugulabant, quod immanitatis genus vix apud efferas Scytharum, Turcorumque gentes inualuisse reperias.

Caduntur.

Fœminarum crudelitas.

Qui ex oppidanis incolumes adhuc supererant, tantæ stragis horrore perculsi, superiorem in vrbem magna celeritate perfugiunt, quos antequam regii aggrederentur, infestam ab ijs domum, cui alaris juncta erat moletrina, continuò inuadunt; Forcæus in omnibus impiger promptum obsessis maturat auxilium, atque vt cunctationem omnem adimeret, paternus in filium pariter circunuallatum impellebat affectus; perfringendis eius conatibus machinas iam tum aliquot præstruxerant regii, nam vigesima Martii die, quæ Palmarum Dominica fuit, à Burgespinassio cum bellatoribus mille cœpta est oppugnatio, tres autem in partes

Forcæus obsessis auxilia maturat.

Regiorum pugnantium ordo.

diuisus exercitus; Clairacenses vias, vnde promptiores timebantur suppetiæ obseruabat Theminius, agmini rebellibus propiori moderabatur Ellebouius, Gursonius vero Comes agmen tertium in semilunare partis oppositæ vallum induxerat, quo adunatas hostium vires distraheret, Hæc cùm è militari disciplina hunc fere in modum descripta essent, signum certamini datur, conseruntur illicò manus, postque atrocem ac contumacem pugnam loco Burgus potitur, quæ res haud exiguum ad prouehendam obsidionem adiumentum attulit. Forcæus has inter suorum angustias sollicitus, qui tandem è tam arcta obsidione incolumis extricari vrbs posset; equitum, peditumque signis comitatus repentinum in regios impetum facturus videbatur, ni Theminius validas in eum protinus cohortes immisisset, certam victoriæ spem in ipsa certaminis festinatione constituens, eiusdem etiam tergo cum galeatis sexaginta inhærebat Ellebouius: atrox tum inita pugna, sed ferè incruenta; cùm agmine composito pedem referrent obsessi, turmalo tamen Forcæi signum à regiis captum, in quo torrens expressus obuia quæque sternere conspiciebatur cum hac epigraphe; Forcæanorum nomini accommodata, *Fit via vi*; sed minacibus eius fluctibus iustum posuit obicem, interque claustra sua cohibuit excelsus regiorum animus, Iusti Regis aupiciciis, causæque æquitate subnixus.

Forcæani vexilli inscriptio.

Sub id Vignolius è nobilissima Vignolij Hiræi familia, cuius Maiores sub Carolo VII. Rege pro amplificanda Gallici nominis gloria multa strenuè feliciterque bella gesserant, simul ac conualuit ex vulnere inter dimicandum accepto, præfecti castrensis munus accepit quo die læta Palmarum solennitas agitur, certumque inde traxit victoriæ ad se festinare gestientis augurium; priusquam tamen in vrbem arctiori custodia circunuallatam irrumperet, belli peritos consulendos censuit, quorum ea mens fuit, moliendum nihil properantiùs esse, cum præcocia quæque consilia, cœptaque noxia plerumque soleant esse, prudenti verò cunctatione maturescant; sensim itàque pressoque incedendum esse vestigio, vt stragis vitaretur aceruus, qui è cæca pugnantium temeritate existit. Premebantur valida obsidione rebelles, durabant tamen vrbis suæ claustris perinde quasi indagine cincti, cùm ijs vbertatem annonæ suppeditaret Garumna, abundarentque omnes tum rerum, tum amicorum copia, qui aut propinquitatibus, aut eiusdem religionis nexu

Vignolius vrbem cingere iubetur.

Commeatu abundant obsessi.

nexu colligati calamitosam illorum sortem ducebant suam; tantum in eiusdem fidei cultu positum est momentum nihil vt in eius propugnatione peccari à se putent, qui eam tametsi commentitiam, explodendamque profitentur.

Vt igitur omnis conuehendis in vrbem cibariis obstrueretur aditus, à Burdigalensibus cum gaulo grandiore commodùm missi Melitenses equites terni Pontacus, Picotius, Areracus eadem ex vrbe oriundi, qui reboantium inter tormentorum, hostiliumque sclopetorum strepitum ad destinatum tandem locum peruenere incolumes, nihilque posthac in vrbem commeatus allatum, nisi fortè fauentibus noctis tenebris transmissum aliquid, quod non satis foret ad leuandam paucorum inopiam; Cùm itaque cincti omni ex parte tenerentur rebelles, clausaque cum ijs fames vrbe passim tota sæuiret, ac quæ famis est pedissequa inualescentibus in dies morbis palabunda timeretur lues, colloquendi fieri sibi copiam postularunt. Ellebouius, cui iucundius nihil obtingere poterat quàm vrbis huius redditio, legatos blandè admodum comiterque accepit; verùm in paciscendis deditionis legibus paulò morosior visus, exacerbatos magis, ac audentiores longè, quàm accesserant ab se dimisit. Iubebat autem, vt omnes arbitrium sui, potestatemque victori facerent, vt ex vrbe excederent nobiles ductoresque relictis sarcinis, ense solo succincti. Duriusculum hoc viris militiæ iamdiu innutritis pudendumque est visum, audacter itaque reiectum; & obstinatum hoc resistendi consilium non modò non probauit Forcæus, vt collectis vndique viribus acriores obsessis ad eandem tenendam constantiam animos addiderit, atque vt machinas ad id omnes adhiberet, stimulabat, (vti iam dixi) altissima vnius è liberis eiusdem indoles, quantò ad tentanda martis pericula procliuioris, tantò sollicitiore cura seruandi.

Hunc intercludũt equites Melit.

Tonesiani colloqui petunt.

Conditiones reyciunt.

Et quia mox effundendam in se copiarum regiarum vim sustinere non poterat, dolo simul ferroque, quippe imbecillitatis suæ conscius experiri constituit; cepit itaque repentinum in obsidentes adulta nondum luce irrumpendi consilium, eosdemque diurnis fractos laboribus semisomnesque fœdè mactandi, quod vt ex animi sententia eueniret, regios continuatis diu antè insultibus fatigauit, imbecilliores postmodum aggressurus. Præterea quia exulat sæpius è castris veritas, vanum hoc commentus est palamque disseminari iussit, communito nondum satis Sanctæ Fidei oppi-

Forcæani doli.

do fortissimum paucos intra dies collocandum esse præsidium; nempe vt dissipatis per inanem hunc rumorem hostium viribus, in eos obsessi condicta die violentiùs insurgerent, ipse verò à fronte integro milite aduersus eosdem pari, aut maiori alacritate pugnaret. Et ab iis grande sanè periculum imminebat, ni praua eorum cœpta disturbasset æterna bonitas, suorum semper in auxilium excubans, dolusque Ellcbouio per occultos exploratores innotuisset. Et tempori quidem Forcæus adfuit, cum peditatu tripartito, equitatuque turmatim diuiso, ac priusquam regiorum in castra impressionem faceret, loricatos præmisit aliquos, qui exploratis hostium viribus, obsessos aduentantis ad se commonerent auxilii. Verùm ab Arpaiono Vicecomite procul agniti, qui cum Chamarano, Predigalo, Serrano, aliisque nobilibus viris non minus duodenis aduenerat, non leues temerarij conatus pœnas dederunt, cæsi enim ex ijs aliquot, reliqui metu consternati per suorum castra citatis gressibus remigrantes, terrorem latè sparserunt.

sed inanes.

Forceani cæsi.

Sed redeuntibus post repentinam consternationem animis, quasi per sua damna increscerct bellica vis, & restaurandæ pugnæ audaia maior, crebris regios insultibus adorientes certamen offerunt, ò statim inermis ferè, nullàque tectus lorica festinat Ellebouius, ignolius omni sublata mora cataphractis Albaterræ Marescalli militibus sumptis sua cuique partitur munera. Theminius febris ardoribus æstuans, è lecto in apertum Martis campum quasi consopito morbo prosilit. Forcæus præmisso ad depressiorem occupandam viam manipulo, vnde non leuis regiis clades parabatur, à Valencæo, Riberaco, Vignolioque repellitur, qui postremus re prosperè gesta valentior, euocatis ad auxilium Ellebouij copiis Rohanæos fugam capessentes à tergo insequitur, quorum alij Clairacum extemplo proficiscuntur, sparsi alij palantesque cæduntur, superstitibus admodum paucis. Sexcentos saltem necatos referunt scriptores nonnulli, ablataque hostibus signa tredecim; cæsi sunt pauciores è regiis, sed, quod diu lacrymata est Gallia, ex illustri genere omnes, quibus adnumerati Ambræus Marchio, Cornussonus Tolosæ Senescallus, ambo castrorum præfecti, Montclarus Ambræi nepos, alijque haud multò inferioris claritudinis viri.

Pugna parti vtrique funesta.

E regiis cæsi nobiles nonnulli.

Dum feralem hunc ludum eminus intuerentur obsessi, subita

vlciſcendi libidine abrepti in Gurſonias Picardicaſque ex improuiſo legiones irrumpunt; obuios quoſque in caſtrenſi vallo cædunt, excubitorum globum proterunt, binas quatiendis muris paratas machinas in ſubiectam foſſam deuoluunt, eunctis denique regiorum contuberniis tantam trepidationem inferunt, vt pars in hortum, qui in proximo erat, pars in fluuium, aut ſcapham promiſcuè conſcenſuri, aut aquarum vim natatu eluctaturi accurrerint. Et finitimas Catholicorum vrbes exterruiſſet atrocis huius irruptionis nuncius, niſi regiorum cladem extenuaſſet longè numeroſior hæreticorum iactura. Poſt impreſſionem vrbi variis è partibus factam, quo poſtremo conatu, & obſidentium in aggrediendo, & obſeſſorum in reſiſtendo par omnino conſtantia cum longè diſpari laude emicuit; nam quinis totis horis validè vtraque dimicatum ex parte, protractumque diutius bellum fuiſſet, niſi nimia obſtitiſſet corporis fatigatio, vigentibus adhuc animis, dum langueſcerent manus; colloquium iterum poſtularunt obſeſſi, veniamque ſupplices his allatis conditionibus impetrarunt, vt vita ſarciniſque integris ſtantibus, excederent ex vrbe, extincto ſclopetario fune, conticeſcentibus tympanis, ac ſignis in terram depreſſis. Quinta Maij die anni 1622. exierunt mille ducenti flaccida ferè omnes luridaque facie deformes, ægroti ad integram vſque morborum curationem relicti. Montpoüillanus, & Caſtelzius ſexto aut ſeptimo ab vrbe reddita die graui morbo correpti mortalitatem exuerunt, ambo ætate florentes, vitamque in longiora ſpatia protrahere digni, hanc ſi Numinis, Regis, patriæ denique obſequio, vtilitatique mancipaſſent. Alij poſtmodum ætate ſuppares poſt periculoſas expeditiones; ac infinitas in ijs hauſtas ærumnas exitioſam nacti quietem domi paulo poſt viuere deſierunt, qui inter diſcrimina mortis incolumes egerant.

Obſeſſi in hoſtes irruunt.

Cadunt & caduntur.

Dedunt ſe Regi.

Nonnullorū obitus.

Sunt qui non prudenter ſatis à regiarum cohortium præfectis factum exiſtiment, quòd obſeſſis & vitam, & liberam excundi facultatem indulſerint, quid enim ſic peragitur (inquiunt) niſi quòd hoſtes habiturus ſit ſemper, qui ſupplicibus victor veniam dedit; Caſtrorum hæc mutatio eſt, non verò certaminis finis, exerit enim ſe labefactata proſtratorum virtus, & ad acriorem ſumendam vindictam vehementioribus pudoris ſtimulis incitata reuireſcit. Verùm refelluntur ipſi ſatis vel ipſis clementiæ legibus, quas ſibi Reges optimi Magnateſque imponunt, quos tantò excelſiores,

Veniam hoſtibus datam improbant.

ac Numini proximiores censuerim, quantò mitiùs cum supplicibus agunt. Vix exierant ex vrbe præsidiarij, cùm hæc flammis seu fortuitò, seu consultò iniectis euastata miserè concidit, tantaque fuit eius conflagratio, vix vt vlla extent priscarum ædium vestigia, & Toneinsium, vbi olim fuerit, quæri meritò possit; de hac vrbe postmodum reficienda deliberabant nonnulli, sed Burdigalensis intercessit Senatus; factum benè asserens, quòd incendio perijsset vrbs contumax, pessimè verò à se factum iri eius si restaurationi annueret

Vrbs incendio vastata.

Toneinsio cineribus suis obruto, victor exercitus, Elleboutus præsertim recẽtis victoriæ gloria clarus, ad fortiora paribus auspiciis edenda mentem appulit; quo tempore aliæ atque aliæ in Aquitania præsertim vrbes eiurata rebellione ad obsequium sponte redierunt; atque vt id ocyùs exequerentur, admonebant nouæ sociatum vrbium clades, victriciaque regiorum arma, vehementiùs autem impellebat imminens Regis aduentus, à quo cum cohortibus aliquot præmissus erat Condæus, sed maius nullum ad vrbium deditionem incitamentum fuit, quàm Forcæi ipsius deditio, quo expugnato multæ citra sanguinem iugum statim admissuræ vrbes erant. Placuit igitur per Lomenium eius pertentare animum, & ad fidem regi obstringendam adhortari; reputaret ipse secum quantis pro tuenda populi rebellantis pertinacia dignitatibus excidisset, quantas subijsset infamiæ notas, qui contra optimum iustissimumque Regem nefariis iniquissimisque armis congredi pergeret; haud versurum ipsi mentis leuitati nimiæque inconstantiæ si abdicatis prioribus consiliis, nouis nunc sed longè sanioribus insistat, nam quæ in obfirmata pessimæ causæ defensione constantiæ laus? nonne temeritas potiùs, obcæcatæque mentis peruicacia, quæ quia consilio non regitur, inauspicatos sæpius exitus habet; additum præstolari Regem sinceram amantissimi subditi frugem, optatumque diu ad fidem obsequiumque reditum.

Multa ad obsequium redeunt Vrbes.

Lomenius Forcæo obsequium suadet.

His auditis Forcæus cunctari diutius ancipitique mente hac illac distrahi, oblatamne à Rege gratiam admitteret, quam solitariam haud ita magni faciebat, eam maximè probans, quæ in sectarios omnes, eiusdem criminis reos pari Regis indulgentia diffluerer; instare Lomenius, hortarique vt, quæ nihil ad se pertinerent, missa faceret omnia, hoc sibi concesso ab Rege munere vel vnus ipse quàm pacatissimè frueretur, non prudenter satis agere, qui alienis

ſtabiliendis negotiis pertinaciùs immorans, ſua, ſuorumque negligeret. Poſt crebras tergiuerſationes aſſenſus tandem eſt Forcæus, paruitque tam ſalutaria monenti, ac nihil vltra procraſtinandum ratus, veniam ſibi ab Rege fieri ſupplex orauit, exorauitque, dum interea ipſe in grati animi ſpecimen Sanctæ Fidei oppidum, ac Monflanquinum Regias ſe traditurum in manus polliceretur. Huic porrò eiuſque liberis promiſſa largiter criminum præteritorum obliuio, nec non Burdigalenſium aduerſus eoſdem tanquam maieſtatis compertos ſenatus-conſultorum abrogatio, Mareſcalli Galliæ collata in eum dignitas, eidem poſtmodum conceſſa ad reſarcienda ciuilium bellorum damna ducenta aureorum millia. Lætus tanta hac Regis largitate Forcæus, arces, oppidaque à rebellibus inſeſſa ſpondebat; ſed repugnarunt huic fœderi Sanctæ Fidei ciues, præſidiarijque quotidianis prędicantium clamoribus euerberati, quibus nihil in ſpeciem ſanum videbatur præter religionem ſuam infinitis compactam errorum centonibus; & hanc, ſi dederetur vrbs Regi, vnà cum libertate labefactandam eſſe turbulentis in cœtibus aſſerebant: quare vt duo hi vitarentur tam pernicioſi Sectæ ſcopuli, propugnandam eſſe vrbem ſanxerunt, poſtque exploratas præliis aliquot Regis vires, noua tum ſe inituros conſilia.

Aſſentitur Forcæus.

Regia in eum liberalitas.

Rebellat Sancta Fidei oppidum.

Indignè admodum tulit Rex tam inurbanam agreſtemque repulſam, quamobrem Condæus Opellam vſque feſtinatis itineribus progreſſus, illinc in Sanctæ Fidei conſpectum ſubitaneus aduenit. Nec mora Obſidionales acceſſus inuerſo more per equitatum inchoati, cùm adhuc peditatus abeſſet; Alarij Ellebouij in fronte conſtituti, ſubſequebatur Cheureuſiana legio, Picardiæ, Vaillacenſeſque cohortes equitatum tegebant. Hæc cùm præter receptum in bello morem gererentur, inauſpicatum id contigit, vt Regiorum non pauci longiùs quàm imperatum erat, progreſſi ſclopetariorum vndiq; iaculantium glandes exceperint, initoque leui prælio compluſ res ceciderint, haud ita multis interfectis rebellibus. Inter vulneratos Baro Meslæus & Combaleti Dominus, aliique magni nominis proceres recenſiti.

Oppugnatur à Condæo.

Regiorum ordo.

Mulctatur temeritas.

E' proſperis ſatis initiis fauſta ſibi cuncta fore augurabantur obſeſſi; & quanquam validiores quique contra regios erupiſſent, haud deſerta tamen viſebantur eorum propugnacula; illi enim, quod ſolenne plerumque eſt imbecillitatis ſuæ conſciis, occulto

dolo grassaturi, collectum fœminarum gregem, ludibrium fucumque oculorum in cohortis militaris speciem aptarunt, quo præsidiariorum paucitatem obtegerent, nec prætermittendum id est, quod veterem Pisanorum argentea olim in hostes tela iaculantium arrogantiã refricat. Produnt scriptores nonnulli ab Sanfideanis Regiorum in castra ad inanem opum ostentationem, glandium catapultariarum loco immissos è puro putoq; argento monetales nummulos, sed non diu depluit pretiosus hic nimbus: exhausto protinus iaculantium fundo. Exarescente metalli pretiosissimi venâ, obsessorum animus concidit, rebellio potiùs; admotis enim propiùs vrbem Catholicorum castris, retrusisque intra septa sua magna cum strage præsidiariis, imminentem vrbi ruinam voluntaria eius deditione anteuerterunt. Conditiones hæ latæ, vt cunctis vita, libertas, resque integræ forent. In communi regiorum, sectariorumque lætitia, postremis id dolebat haud mediocriter, quòd vrbis suæ propugnacula tot excitata sumptibus, tam scitè, atque ex artis militaris legibus descripta, mandante sic Rege deiicienda forent in planum, verùm parum consulta expostulatio erat, cùm Regis autoritas, cui se se cuncti recens dediderant, fortius longè præsidium allatura foret, quam saxea, tametsi ferro, chalybeque commissa repagula.

Pugnãt Sanfid. fœminæ sub virili habitu.

Argentei numi pilarũ loco iacti.

Obsequuntur tandem.

Forcæus veniam à Rege impetrat.

Vix oppidani ceruicem iugo submiserant, cùm rebellionem nouam cœptantes ad officium, obsequiumque reuocauit Forcæus; exin ad Regem profectus, eiusque pedibus semotis arbitris prouolutus, magno angi se mœrore contestatus est, quòd Maiestatem tantam, in qua potentissimi Numinis species natiuis expressa videretur coloribus, iustam toties ad indignationem, vindictamque prouocasset; quamobrem admissorum criminum veniam enixè postulare se dixit, conaturus deinceps, vt quidquid inani spe nixus antè peccarat, longa rectè factorum serie totum obtereret. Hunc Rex blando, renidentique ore contuitus, gratiam se facere affirmauit, sed diligentem daret operam, vt sanioribus studijs appelleret animum, omnemque rebellionis præteritæ memoriam obliteraret æquioribus factis. Sub id signa tredecim, equestreque Forcæi vexillum Ellebouius Regi obtulit egregium operæ ab se gnauiter in Aquitania positæ monumentum, quibus ille magna voluptate conspectis, æstimatisque in Sanfideanum oppidum aulicorum comitatu septus ingreditur, antiquam, quæ illic olim

Ellebouius parta de rebellib. signa Regi tradit.

efflorucrat, pietatem, religionemque reuecturus. Quinquagesimus voluebatur annus, ex quo ablegatum illinc erat Sacro-sanctum Missæ sacrificium; proscripta quoque sacra omnia, dominante vbique morum licentia, cōmentitijsque opinionibus in locum veritatis intrusis. Et peropportunum id accidit, vt hoc ipso, quo Rex vrbem ingressus est die, solennis Augustissimi Christi Corporis celebritas foret; quamobrem triumphali pompa per vicos sericis instratos tapetibus sanctissimum humanæ salutis, futuræque gloriæ inuectum est pignus; sequebatur Rex cum aulicis, iuuitq; plurimùm terreni Regis vultum ad Christianam humilitatem inflexum spectare curiosiùs, dum Regem ille comitaretur cœlestem; adeò quippe scitè cuncta in eo composita erant, adeo singularem spirabant pietatis ardorem; vt ipsi magnoperè stupetent heterodoxi, festisque clamoribus ingeminarent omnes *Viuat Rex*, quibus ille manu silentium indicebat coram Regum Rege coli se prohibens, ac meliùs religiosiùsque facturos innuens, si in latentem, quæ solita pompa ferebatur, Numinis Maiestatem, oculorum aciem, quin & corda ipsa cælestibus ab eo radiis illustranda conuerterent.

Sanfideanis restituitur Ecclesi. cultus.

Augustissimum Christi corpus per vrbem circumfertur.

Regium hoc pietatis exemplum magno plerisque incitamento fuit ad Caluinianos deponendos errores; insolitamque admirationem conciuit pius eiusdem aspectus, dum sacræ mensæ accumberet, haud multùm Angelico dispar; è quo mirabiles quædam promicarent sanctitatis faces. Post cælestes perceptas dapes, actasque Numini gratias, constabilitum denique Romanæ fidei cultum Rex præcipua vrbis munimenta lustrauit, cùmque quid super ijs sentiret, familiari sermone coram aulicis promeret, visus est machinali hac in arte cunctis castrensium operum architectis longè præstantior; nec mirum magnopere est, id si à bellica scientia non vsquequaque disiunctum percalleret omnino, cùm ad omnia tum liberalia, tum mechanica factitanda solers docileque nactus esset ingenium, cuius rei nonnunquam experimentum dabat aliquod, ad ea interdum, quæ abiecta putantur, exercenda Majestatem inclinans, ostensurus videlicet, quod olim ab erudito scriptore proditum est, *omnia pertinere ad Regem, hæc si honestè decorèque tractentur.* Belmontio tradita est vrbis administratio, Andrautio Senatori Burdigalensi mandatum, vt quæ rebellio propè vrbem construxerat, destrui munimenta curaret. Exin Monflanquinum anniteute Forcæo spontanea se Regi deditione tradidit, cuius cle-

Rex vrbis munimenta lustrat.

Belmontius vrbi præficitur.

Monflanquinum Regi traditur.

Theobonus Regis gratiã impetrat.

mentiam oppidani prompto exorarunt obsequio. Disiecta quædam vrbis propugnacula, turres mœniaque intacta relicta. Theobonus Sanfideani oppidi præfecturâ dimotus, ac vndique cinctus angustiis, Regis clementiam melioribus factis demereri consultius duxit, quàm imminente pœna mulctari; Regi itaque se suaque cuncta submisit; tam misericordem expertus Principem, quàm contumax olim ipse subditus fuerat.

Suillius pariter.

Redintegrauit etiam datæ olim fidei sacramentũ Suillius, posteaquam de Vxellođuno Regi tradendo diutiùs contra Catholicorum spem addubitasset, postulato ad deliberandum mensis vnius spatio, quo euoluto aliis atque aliis artibus ludificare Regem instituit; resipuit deinde, atque vt meliorem mentem indueret, stimulos addidit appropinquans cum exercitu Rex, & inexpugnabilis cum eo felicitas, qui post captas disiectasque in inferiore Aquitania rebellium arces Moessacum venit, vbi Tarnis in Garumnam deuoluitur; & hunc semel locum paulò antè viserat Rex, cum Picquecotiana moraretur in arce: priusquam tamen illuc appelleret, qui cum eo aderant, nomen, geniumque loci obliti, sciscitabantur identidem quanam orbis in parte lateret hic locus. Ad hæc subridens molliter Rex, faxo (inquit) vt nemo vestrum super hac re deinceps anxius hæreat, postulatoque calamo agri totius spatia, confinia, metas, interiacentesque villas tam peritè, graphicéque descripsit, vt demirati sint tum aulici omnes, tum qui aderant in topographica cognitione præclarissimi. Quod autem Rex delinearat, maturabat expungere, inanis ostentationis osor perpetuus, nisi è domesticis vnus aliquis tam illustre sepoſuiſſet sibi regiæ verè peritiæ documentum.

Moessacum Rex venit.

Negrapelissæ oppugnatio.

Et quamuis stylum Rex eruditè, solertiùs tamen ferrum tractabat, quod in Negrapelissios quippe proditores, rebellesque auspicatò, suo more conuertit. Et regiam in se tum maximè prouocarant iracundiam oppidani, quòd præsidiarias Vaillaci cohortes nullo à communi clade milite exempto crudelem in modum occidissent; non igitur impune videbatur habenda feritas tanta; dissimulabat tamen Rex, delictique veniam fecisset, hanc si rei supplicum more postulassent; sed altiores egerat perduellio radices, quàm vt oblatæ Regis amicitiæ cedere posset: validioribus itaque machinis perdomanda necessariò erat; atque vt hi contra Regem contumaciùs agerent, à Montalbanensibus impellebantur iden-

tidem

tidem, dum cuncta ſuſtentando militi tribui ſolita, cùm auxiliaribus copiis, largè pollicerentur, cúmque Regijs ipſi viribus haud ita pridem obſtitiſſent, paria quoque facturos Negrapeliſſios augurabantur, re frumentaria, forti milite, firmis propugnaculis, cæteroque belli apparatu ſtrenuè communitos. Rebellionem vehementiùs accendebant prædicantes ſectæ Miniſtri, dum in religionem vnam regias intendi vires vociferarentur, retundendos igitur hoſtium impetus, vincendum feliciter, aut glorioſam hoc in religionis agone mortē oppetendam, vnde fructus immortalitatis exiſtat. Hæc illi paſſim garriebant, ingerebantque plebis in aures certa diuinitus rebellioni præmia dilargienda, quo ferocior in Principem ſuum, infeſtiorque aſſurgeret, qui cùm flectere non poſſet, frangere denium occœpit impudentem audaciam, maximè cùm quos in vrbem immiſerat hoſpitiorum deſignatores, iactis contumelijs, ingeſtiſque verberibus ab oppidanis oneratos inaudijt.

Progrediuntur legiones.

Decreta igitur obſidione, Picardicæ primùm legiones circa Auerionem progredi iuſſæ irruptionem primam fecerunt, captiſque doliaribus hoſtium munimentis aliquot, Nauarreæ mox ſubſequutæ ſunt copiæ. Eguillius centuriæ vnius Dux poſt probatam crebris experimentis virtutem plumbea traiectus glande interijt; campeſtrem vrbi machinam admoueri iuſſit Schombergus tormentariæ rei præfectus, cùm interea Rex vile tugurium opilionum vix dignum hoſpitio temporariam in ſedem eligeret, in quo diuturna conflictatus tuſſi, ægréque anhelans, de medicorum ſententia biduo toto decubuit, aulicis ſub dio pernoctare coactis. Et quanquam importuna ſatis morbi vis foret, Regem tamen ab ordinandis obſidij rebus minimè abduxit. Mirabantur hunc omnes vrbis aggrediendæ modum ſcitè præſcribere, prænotare, præmonereque ſi quæ imminerent pericula, morbo præpiditum, lectoque affixum, vbique tamen intereſſe, regiæque autoritatis explicare radios, digerere cuncta prudenter, fortiùs exequi. Conſpecto hoc heroicæ fortitudinis exemplo creſcebant regiis animi, ſtimulabat eoſdem ira, vindictæque cupiditas ob præſidiarios cæſos, quamobrem primis in congreſſibus feritatis nihil omiſſum dominante vbique ferro, aut laqueo; Qui hoſtium in poteſtatem veniebant, paratas illico in furcas, aut hæ ſi deeſſent, obuias in arbores abſque vlla prouocatione agebantur, cefferatque ferè in ludum immanis hæc carnifici-

Eguillius caditur.

Tugurium loco prætorii.

Cruenta vtrinque velitationes.

na, cùm interdum ludibundi ac Canadensium salientes in morem ad destinatum sibi supplicium properarent. Haud absimilis infligebatur pœna Catholicis, si hostiles in manus inciderent.

Ridendum an miserandum sit magis quod iam referam, haud satis scio. Nucem in vineto suo seuerat sectarius nescio quis, quæ iam procerior effecta, patulisque diffusa ramis latam viatoribus explicabat vmbram; hanc, cùm interceptus à regiis, moxque ducendus ad patibulum eminus aspexisset, trahentes hinc inde sucutientesque caculas sic affatus dicitur. Eia (inquit) vnum id finite quæso exorari à vobis, imminentem mortem non deprecor, verùm haud ita molesta futura est mihi, si hac de arbore, quam videre potestis, mea olim manu consita strangulatus dependeam; voti compos effectus, ac in nucis ramo suspensus, Romanum Oratorem haud ex vano loquutum ostendit, etiam post mortem restare sensum aliquem earum, quas reliquimus rerum. *Serit arbores agricola, quæ alteri sæculo prosint, quid spectans? nisi etiam postera sæcula ad se pertinere, quarum arborum baccam ipse aspiciet nunquam.* Inuectam hanc regiis castris sæuiendi barbariem ablegare connitebantur copiarum Duces, centurionesque; in bello siquidem quamuis atrocissimo, præclarè monent sapientes non omnem penitus exuendam esse humanitatem; sed quis calentibus in vindictam animis modum aliquem præstruere queat, à quibus nec vox Principis auditur, nec pondus vllum habet imperium. Cùm paulatim cæcus ille refrigesceret impetus, vetuit Rex longiùs progredi morem hunc barbarum, quod consilium prolixè laudauit Cardinalis Radesianus, clementiam vnam esse asserens, quæ de Principibus, cæterà inuictis, magna cum eorundem laude triumpharet, altissimis fluminibus consimiles esse magnates, quæ leni labentia sonitu, magnam regionibus, quas præterfluunt, vbertatem inducunt; cùm torrentes incitatiore cursu abrepti obuia quæque sata corrumpant.

Hæreticus in sata à se arbore suspẽdi voluit.

Rex iras vltra prouehi vetat.

Hoc probat Rades. Card.

Radesiani orationem refellebat Condæus mollioribus abstinendum consiliis ratus, donec iustis Principis sui imperiis auscultaret obstinata rebellio, grauioribus malis grauiora adhibenda esse remedia. Hæc suis ponderabat momentis inter vtrumque Rex medius, prudentissimum vtriusque sententiæ temperamentum allaturus; censuit itaque rebellionem, hæc si inueterata fuerit, seuerissimis pœnis coercendam, non indiscriminatim cædendos reos omnes, in-

Improbat. Condæus.

nocentiores duntaxat contrahendum esse supplicium. In contrarium allegabat Gondaus malè cu nimo vertisse Saüli nimiam ipsius in Amalecitas, ac Agagum præsertim indulgentiam; verùm per id temporis legum severitatem, aut severitatis leges dominata fuisse respondebat apposité Rex, in lege verò delapsæ collitus humanum in genus indulgentiæ mitiora cùm omnibus, tum Regibus præsertim amplectenda esse consilia. Interea re occultum meditarentur effugium, arctiori circumvallatione premebantur obsessi, & quia vastam ad insiliendum viam aperuerant conquassatis ex parte muris tormenta, per hanc irrupere primò primariæ cohortes, sequutæ deinde aliæ, quibus pertinaciter obstitere præsidiarii, capta tamen vrbs fuit cum ingenti rebellium strage, octoginta ex his in decretoria hac pugna cecidisse scriptores referunt, è Regiis haud amplius quadraginta desiderati, vulnerati longè plures, pauci tamen alicuius nominis viri.

Capitur. Vrbs, caduntur multi.

Qui in Castellum perfugerant, cùm summa vrgerentur rerum penuria, deditionem Regi polliciti sunt, nihil præter vitam orantes, quod extemplo negatum: nullis itaque pactis conditionibus victoris se se permisere clementiæ, quos & viuere, sapereque deinceps Rex iussit, sexdecim tantùm suspendio interfecti, qui aliàs capti, ac contra Regem se nunquam militaturos polliciti, datam tamen fefellerant fidem. Mulctatâ hunc in modum perfidiâ, reliquisque impunè abire iussis Rex insignem clementiæ, iustaque severitatis laudem reportauit. Permissa militi vrbis direptio, saluo foeminarum puellarumque pudore, sed explosis Principis iussis probrum nonnullis illatum, cæsæque ex iis aliquot, quæ necandis Vaillaci præsidiariis operam, manumque accommodarant. Non prætereat calamum insignis Cheureusii Ducis pietas, qui virgines, mulieresque turpitudinem certò passuras numerato militi ære redemit, tutum securumque ab infamibus huiusmodi sordibus perducturus in locum. E præda militibus adscripta, campanum æs maius in vsus Societatis IESV coëmptum, extatque in Tolosana domo professa è puro admodum sinceroque metallo; & conuocandis nunc ad augustiora sacra populis inseruit, quod sectarios ad Caluinianos combibendos errores conciuerat. Strenuam hac in obsidione operam præter superiùs recensitos collocarunt Brissacus primorum ordinum ductor, & Treuillius, qui rorariis præfuit, hic cubito laeo catapultaria glande sauciatus in vrbem è ruina delapsus, prætorianis

Castrum redditur.

Nocentiores perempti.

Diripitur Vrbs.

Cheureusii pietas.

Negrapel. căpana nunc in Tolosano Soc. IESV templo.

cohortibus portas aperuit. Vrbem hanc pulchrè descriptam, constructamque Rex intactam seruare decreuerat, verùm noctis vnius spatio, dominantibus vbique flammis tota in cineres abiit, fortuitò id euenisse creditum est, cùm eius adhuc ignoretur auctor incendii. *Habent etiam sua fata Vrbes; aut enim temporum diuturnitate debilitata corruunt, aut iusto Numinis scelera vindicantis iudicio, victorum ira diripienda traduntur.*

Vrbs incendio perit.

Rex victoria veriùs, quàm vrbe potitus ad Sancti Antonini oppidum lauros cumulaturus aduenit. Vrbs hæc Auerione fluuio lambitur, prunorum commercio, quæ varias in Galliæ vrbes immittit, omnibus nota, ternorum montium ima amphitheatralem in formam lunata contingit, quibus freti montibus quasi obiectis à natura repagulis arrogantiores alebant spiritus oppidani, haud attentè satis cogitantes, oppugnaturo Regi, inaccessum nihil fore, nihil non obsidionalibus eius machinis peruium. Locum etiam firmabant propugnacula varia, semilunaria valla, forcipes, diuersi denique generis moles ad vim repellendam extructæ, quodque saxeis huiusmodi operibus potius erat: vrbem propugnabant perduelles hausta è longinquo Principum iussis rebellandi pertinacia: malisque artibus formidandi, nam Albigensium olim hæresum lue corrupti fuerant, quibus extinctis, restabat adhuc in nepotibus nouarum circa religionem opinionum prurigo maxima, iisque semel admissis firmitas constans; vnde nihil est quod miretur aliquis, si excusso religionis cultu vixdum ortam hæresim Caluinianam mordicus arripuerint, præsertim cùm Clementem Marotum non hortantem modò, verùm etiam, quia rhythmicos interdum versus in sectæ commendationem pangebat, excantatorem haberent. Atque hinc facilè contigit, vt multorum circa oppidorum odia collegerint, religionis nouitatem iis infitam, ac inolitam latrocinandi licentiam acerbè ferentium; quamobrem vrbes pleræque, quas inter Francopolis, Montricosium, Quelusiumqre censentur, infinita penè à prædatoribus damna perpessæ, passuræque deinceps, quò cladibus suis modus fieret aliquis; & opes & operas suas ad instantis aggressionis primordia deuouerunt.

Sanctoniana Vrbis situs.

Et munimenta.

Albigensi olim hæresi corrupta fuit

Oppugnatur Vrbs.

Ordinata iam erat obsidio, sed priusquam ad mœnium verberationem proueheretur, Regi placuit, quiescentibus interim armis per missum à se tubicinem vrbis deditionem imperare: verùm quæ in rebellibus fides vnquam conspecta, amorque communis iuris ser-

andi! statim à perfidis violata legatio fuit; qui enim missu Regis aduenerat, inconsultæ plebis sannis, execrationibus, ac volitantibus circùm sclopo rum pilis exceptus, obsequii nihil à peruicacibus expectandum esse renuntiauit, qui quo certiùs præfractæ contumaciæ specimen darent, vexilla sua in altioribus munimentorum defixere fastigiis, extremam iis comminantes perniciem, qui hæc suis è sedibus euellere molirentur. Ad contundendum hostium fastum Vindocinensis Dux, & Marescallus Theminius cum ternis Pedemontii, Vibraii, Vaillacique cohortibus missi, primo hostium impetu complures è repagulis suis erumpere ausos interfecerunt, qua in pugna regiis è partibus sauciati nobiles octodecim, Lanardinus è vulneribus suis periit, Fossæus Vibraiæ legionis instructor cum filio, & bellatoribus aliquot cæsus; pedem retulerunt obsessi in extructos recens aggeres, non inde postea, nisi rarò digressi; atque id causæ fuit, cùr deditionem eos meditari pleriq; censuerint, rumorque increbuerit simul ac se se Rex in conspectum daret, arma continuò posituros rebelles; verùm id sperare regiis, quàm ab rebellibus extorquere promptius fuit; illi enim perspecto loci ingenio tot à natura repagulis vallato fieri posse negabant, vt quos illa scopulos in vrbis tutelam circùm erexerat, machinarum præfecti aut omnino perrumperent, aut in commodam tormentorum transuectionem aptarent: sic enim differebant, exploratum sibi esse quibuscum essent congressuri, haud quaquam alis instructos esse milites regios, qui per aërem liberiùs remigantes ad hostium vsque castra deuolarent, obsidionales verò machinas arthritide pressas, elumbesque ad montium vsque fastigia perreptare non posse, suis igitur protecti rupibus, quasi militibus saxeis, minantibus, quàm metuentibus propiores esse videbantur.

Lanardinus necatur.

Vana obsessorum fiducia.

Vecordi audaciæ nihil vnquam prosperè fit, sed in certum cuncta vertunt exitium; intellectum quippe est non articulari morbo præpeditas, sed alatas propemodum esse huiusmodi cannas, quæ ingenti boatu perstrepentes inanem in hostibus exprobrarunt fiduciam, famulabantur quippe Regi omnia pro stabilienda vbique vera religione pugnanti, cui ob inchoatam feliciter obsidionem admodum læto, ducentorum, aut trecentorum hominum cohors obuiam supplicabunda processit, quos non tam certandi voluntas, quàm necessitas sclopetis, pilis, gladiis, aliisque, quæ prima casus obtulerat, telis instruxerat. Prostratis coram Rege cunctis, assurrexit

Gregariorũ cohors Regẽ adit.

vnus vel ipsa oris dignitate, qui audiretur non prorsus indignus. Hunc aut ferè in modum disseruit.

Dum hunc calamitosorum hominum gregem pedibus tuis aduolutum intueris (Christianissime Rex) infelices vides Catholicorum Santoninorum reliquias, quos ædibus suis exturbatos in varias Galliæ partes distraxit hæreticorum furor. Magno sanè mœrore afficiuntur ad hæc se tempora reseruatos, quibus templa sua inflammari, sacra pollui, aras euerti, religiosa quæque sacrilegè proteri, se quoque fœdam ad necem ab hostibus designari viderunt, quos speciosus reformatæ religionis titulus à Catholicis tanquam profana sacra profitentibus discretos habet. Hi contra regni religionisque turbines arma sumpserunt, quos hîc supplices vides, quæ quidem arma Maiestati tuæ iure nuncupant, exploratum habeant patrem te esse patriæ, læsi Numinis vindicem, publicæ salutis assertorem constitutum à Deo. Suffragrabitur hic magnoperè tibi, qui hæresibus cunctis aut abolendis aut exterminandis fatalis est locus, Reges Galliæ, quos cognomines habes, facem tibi ad illustria quæque facta præferunt. Clodouæus, qui primus Regum omnium Christiana sacra suscepit Visigothos Ariana prauitate corruptos hoc è tractu proscripsit. Ludouicus VIII. & S. Ludouicus, è quo tam illustre genus, morumque sanctitatem traxisti, fœdam hæreticorum Albigensium colluuiem prospero marte debellarunt, quique in Santoninum oppidum heterodoxi confluxerant, tantis ab exercitu Catholico attriti sunt cladibus, vt per Fuxensem, Aginnensem, ac Cadurcensem agrum consimilium pœnarum terror dimanarit. Quod à Clodouæo, quod à Ludouico VIII. quod denique à Diuo Ludouico tanta cum laude, Romanæque religionis incremento contra impuros illos greges susceptum fortiter fuit, facit pietas tua, vt idem aduersus postremam hanc Caluinianorum sectam, priorum hæreseon fœditatibus inquinatam, moliturum te sperare iure debeamus. Hanc ergo mærentem afflictamque cohortem, regio ne dedigneris tueri præsidio, cuius vires augebis non mediocriter. si te, dum manus cum hoste conseret, hortatorem defensoremque aspiciet; non omnia illi cum re familiari ablata, restant adhuc arma, quæ ad amplificandum nominis tui decus, recuperandamque libertatem non indecorè tractabit. Finem dicendi fecit Orator his verbis è vetere Poëta depromptis. *Spoliatis arma supersunt.*

Rex auxilium pollicetur.

Hæc non ab opilione duntaxat excogitata, agrestique prolata sermone, sed à viro Ecclesiasticis sacris iam mancipato pulchrè satis nitidéque dicta, parem cum plebeiis, quos secum habebat, fortunam experto; quorum sortem miseratus Rex, promptum omnibus spopondit auxilium: ne tamen reliquis eos militantium globis aggregaret, fecit ductoris dignitas bellicis haud quaquam muneribus addicenda. Interim octonæ mœnibus destruendis admouentur machinæ, dumque prætoriæ legiones cum Nauarræis, Normannicis, ac Chapesiis impigrè producendis ad hostium munimēta vallis operam collocant, incursantur ab eorum manipulo montium suorum latebris tecto, quos contra Pedemontana immittitur legio, fugatque syluaticos homines, ac intra vrbis sepimenta recludit. Continuata triduo toto tormentorum displosio murorum partem disiecerat: per patentem itaque ruinam irrupere nōnulli viriliter, sed validiùs repulsi ab hoste, iactusque continuò cum horribili clade missilium nimbus. Hoc in conflictu progressas vltra sexus imbecillitatem fœminas varii prodidere scriptores, dum incendiarios globos, circulos ferreos, volatiles veriùs pestes certatim in obsidentes emitterent.

Directa contra vrbem tormenta.

Repelluntur hostes.

Anceps vtrinque pugna.

Pugnant mulieres.

Franciscus Berbisyus Heronuillæ Dominus heroicam, si quis alius, virtutem luculentè probauit; post tentatum sæpius hostiles in muros ascensum, cùm postremò collectis viribus insilire pararet, in fossam deiicitur, ac plus tricenis hastatorum manu plagis perfossus, sospes & incolumis ex hac clade mirantibus cunctis emersit, post curationem adhibitam, eandem belli aleam tentaturus, nam Britestæ à Vindocinensi Duce circumvallatæ in propugnaculi vnius aggressione singulari fortitudinis exemplo relicto, palam fecit nunquam dedíscere se veros heroas, sed iunctis animi corporisque viribus ad præstantiora semper eniti. Rex, quia hoc in conflictu complures ceciderant militari laude præstantes, temerè factum à nonnullis ostendit inconsultéque, cùm tentandum sit nihil, nisi prudentia duce, non politicorum tantùm, sed & bellicorum consiliorum iusta moderatrice; quare secundam irruptionem indixit prioris emendatricem futuram, in qua successerunt è voto acti sub terram furnuli, aggestaque repente humo ex hostibus obtriti non pauci, hæserunt tum primum reliqui attonitis similes, tum excusso timore tam pertinacibus animis, ac fœminæ præsertim adeò ferociter regiorum obstitere conatibus, vt ex edito tumulo despectans Rex tam atroces in imbellibus animis iras, mirari satis non posset. Cùm

Heronuillæ virtus.

Acti furnuli

vtrinque pari ferè pertinacia disceptatum fuisset, victoria tandem potiti sunt regii.

Marchionis Senecæi, nec non Arpaioni præ ducibus reliquis hoc in conflictu fortitudo eluxit, in Treuillio pariter spectata mentis excelsitas, hic hostili conscenso propugnaculo cataphractum centurionem vim inferre meditantem, stricto confestim gladio inuadit, exutumque armis obtruncat; ex hostibus periere ducenti; haud multò pauciores è regiis, inter cæsos nobiles adnumeratus Palludellus Comes, Nauarræorum castrorum præfectus, iuuenis adhuc, actisque præludens maioribus in robustiori ætate consummandis; necati præterea Fadurius, & Chapelius præter vulneratos non paucos; Lasallius prætorianæ legionis centurio læsus in faucibus, libero vocis vsu diu caruit; accedebat & id incommodi, vt ingesta in os esculenta, poculentaque per hiantem continuò plagam effluerent; conualuit tamen ille; tandiuque manus conseruit, dum lethali vulnere in pugna accepto concideret. Huic Rex certamini præsens adfuit, intraque telorum iactum immoto planè stetit vestigio, tametsi qui propè tum aderat, Radesiano Duci è subitanea tormenti displosione alterum collisum fuerit genu. Sequenti proximè nocte subterraneis iterum actum est dolis, apertaque fossa pars mœnibus aduersa, tum reboantibus cum horribili clade tormentis exterriti hostes colloquium petunt, quo non impetrato, se se Regis permiserunt arbitrio; centenis librarum millibus redempta vrbis direptio; & quia solo æquanda erant, quæ munimenta rebelles extruxerant, præsidiarijs militibus seu iam missis, seu post paulò mittendis iusta pollicentur stipendia; è turbulentioribus duodeni suspendio necati, quos inter Cognitor regius acriores ad alendam seditionem faces spargere solitus. Sectæ prædicans, qui sacrũ Franciscanorum ordinem eiurarat, nisi furtim euasisset, duriorem aliquantò perpessurus erat, quàm quem exuerat funem. Veniam extorsit è reorum turba vnus adiudicatus iam morti, & quia Romanam olim professus erat fidem, aureos mille in noui sacelli fabricam erogauit. Sectariorum templum è Catholicarum Ecclesiarum parietinis erectum sanctiores iussu Regis translatum in vsus.

Mombrunus, quia titillabat hominem Montalbanensis præfectura, quam diu cupidiúsque ambierat, coactos vndique manipulos Sanctonianis auxiliares ducebat, qui Auerione pacatè transmisso, porrò pergere statuerant, comitem, vti spes erat, experturi fortunam,

Bellica nobilium virtus.

Vtrinque cædes.

Acti cuniculi.

Obsessi veniam petunt.

Duodeni suspensi.

Caluinianorum templũ in Catholicorum sacra transfertur.

Mombruni manipulus à Regiis deletur.

nam, cùm ab regiis excubitoribus deprehensi magna ex parte necantur; qui se communi fato subduxerant, villaticorum manibus discerpti ferè omnes, pauci hac illac palantes relicti, qui qua sors reliquis obtigerat enarrarent. Præter singularem Regis prudentiam, militumque constantiam postremis his duabus aggressionibus abundè testatam, Cæsaream in his celeritatem non ineptè laudant aliqui, cùm enim mensium plurimorum spatio regiarum victoriarum cursum inhibere potuissent vrbes hæ geminæ, naturæ ipsius vi, longaque iam arte munitæ, decimum octauum intra diem oppugnatæ expugnatæque regiam in potestatem redierunt. Gaudium hoc duplici è victoria partum cumulauit Argentoniæ arcis deditio. Insula est paulò infra Blauiam, pastionis vbertate celeberrima, ideoque pecuariis multis abundans; qua semel occupata nihil ferè hoc in tractu Rupellanis reliqui factum. *Deditio arcis Argentoniæ.*

Exin oppugnandi Carmingi Praslino, & Bassompetræ cura committitur. Hæc vrbs morum probitatem (quod ferè fit), vna cum religione exuerat, quare nihil non concipiebat, admittebatque flagitij; hinc ædium sacrarum, toparchæ domus euersio, hinc orta Catholicorum proscriptio, hinc frequentissimæ cædes, hinc continuæ vicinos in pagos incursiones ac prædæ, hinc quod consequitur semper, collecta finitimorum odia, Tolosatum præsertim, qui quotidianis vexati latrocinijs, Regem supplices orarunt, vt propiùs ad se dignaretur accedere, hoc si postulantibus daret, sectarios radijs tantæ maiestatis perstrictos continuò redituros ad frugem. Et vera prolocutos esse intellectum est, nam simul ac appropinquare Regem pertulit rumor, Carmingiani veriti, ne si se suaque tradere cunctarentur, pœnas dilatæ nimiùm deditionis perferrent, prompto iustam Regis iram mitigarunt obsequio. *Praslinus & Bassompetra ad Carmingi oppugnationem missi.* *Obsequium spondent oppidani.*

Et quia eorum qui vindices libertatis nostræ, salutisque extiterunt, iucũda debet esse recordatio, grates quam maximas Regi persoluerunt Tolosates ob suam à diuturniore hoc metu ciuitatẽ exemptam, eiusque mandato Carmingum mœnibus suis, extructisque recens nudarunt propugnaculis, quo prostratis rebellionis arcibus, ipsa pariter deijceretur rebellio, planumque cunctis fieret, nutare semper vim omnem aduersus Principes eos comparatam, quos administrandis regnis, tutandæque religioni Regum Rex Deus ipse præposuit. Haud ita multò post Rex aggerandis semper intentus victoriis Moncucium, misso ad eius expugnationem Praslino voluntaria ciuium

Moncucium pariter & Mansuspuellarum.

deditione recepit, quæ vrbs excitato ab oppidanis incendio magnâ est ex parte deleta. Sequutus postmodum Mansus sanctarum Puellarum, cuius defensionem ciues meditabantur initio, sed post compressam horum audaciam, metumque cladis incussum disiecta sunt vrbis mœnia, & subitaneæ quas contra Regem, regiosque struxerant moles euersæ.

Rebellat Occitania inferior.

Sub id inferioris Occitaniæ sub iugum mittendæ iusta Regem cura premebat, cùm illic infestior dominaretur rebellio, at ne superior deserta videretur Occitania, ei in officio continendæ præsidem statuit Vindocinensem Ducem, cui attributa quinque circiter legionariorum millia, alarijque quingenti. Cohortibus præerant Chapesius, Vaillacus, Villaregius, alarios ducebant Halierus, Linieresus, Meruillus, Arnaldus; Sequebatur Belebatus causis milites inter diiudicandis præpositus. His hunc in modū rectè compositis, Rex firmata nondum satis valetudine Tolosâ egreditur, ac Auenioneto pertransiens, veterum hæreseonfæcibus olim infami, nobili tamen ob consummata ritè à fidei quæsitoribus martyria, quos Arianus turbo decussit, Castrum Arij, siue Lauracorum Castronouum, illinc Carcassonam venit Albigensium olim hæreticorum veneno imbutam, nunc Catholicæ veritatis retinentissimam vrbem, tantóque à Lutheriana, aut Caluiniana peste remotiorem, quantò tenacius impuris antiquiorum hæresum erroribus implicata adhæserat. Sanè quidem non emortuam, sed vegetam ciuium fidem apertè declarat iugis diuinorum eloquiorum sitis, qua vix alibi inflammatiorem reperias; hinc magna in capacissimis templis auditorum frequentia, dum sacra propalam explicantur mysteria, hinc crebræ tum in parœcialibus ædibus conciones, tum in cænobiticis templis, hinc eximius concionatorum delectus, quibus iucundius nihil, quàm euangelicum semen eo potissimum loco spargere, quo auidissimis auribus, animisque admittitur; sed nihil æquè Carcassonensium religionem illustrat, quàm innata ferè iisdem diuque conseruata in augustissimum Christi corpus pietas; cuius in conspectu quotidie ad debitam venerationem patentis colliquescunt astantium omnium, & adorantium corda; verùm elucet præsertim appetentibus tenebris pius ille ciuium affectus, religioni ducentium, si consueta Numinis benedictione impertiti non fuerint, vix sanè capere possunt templa populi multitudinem ad Eucharisticam hanc largitatem certatim accurrentis, ipsi etiam adolescentes musarum

Vindocinensis in superiorē mittitur.

Martyres olim Auenioneti.

Rex Carcassonam venit

Vegeta Carcassonensium fides, & pietas.

Affectus erga S. Eucharistiam.

ſacris addicti inter ſcholaſtica penſa diuinum hunc impendendum cultum adnumerant, cúmque ſpontaneus is ſit, hunc impoſita neceſſitatis lege corroborant, inſuaues, inquietaſque planè noctes ducturi, niſi hauſta à ſalutato rite Deo pace decumberent.

Vix Carcaſſonam ingreſſus Rex erat, cùm Subizium Maieſtatis reum eſſe pronuntiauit, quòd in Angliam profectus, Anglicana contra legitimum Principem ſuum imploraſſet auxilia; contrà verò Leſdiguierium recens à Caluinianis erroribus ad Catholica ſacra tranſcriptum inter Torquatos Sancti Spiritus Equites cooptauit, quem poſtmodum ad ſublime Comeſtabilis decus extulit, tum eiuſdem in Deum ac Regem fides experimentis multis conprobata, tum prona Regis tam fido ſibi ſubdito gratificandi voluntas. Vix à Regis diſceſſu tres aut quatuor effluxerant dies, cùm vrbs magna ſui parte repentino deflagrauit incendio; è regia ſiquidem coquina vortex flammarum exortus, longiùs, latiúſque ſe ſe extulit, quàm vt accurrentibus ad opem ferendam innumeris poſſet extingui; horrori maximo fuit, tum cadentium ædificiorum, tum hominum ſuperantibus omnia flammis abſorptorum miſerabilis ſpecies, inconditi paſſim audiebantur clamores, crebra mulierum lamenta, queruli puerorum, dum igne corriperentur, gemitus; confuſæ, vt in re turbida, hac illac concurſantium voces. Trecentæ, vt aiunt incendio collapſæ, hauſtæque ſunt domus cum Franciſcanorum, quos Minoritas appellant, cœnobio.

Subizius reus pronuntiatur.

Leſdiguierius honoribus auctus.

Horrendum Carcaſſonæ incendium.

Rex luſtratâ in itinere Narbonâ Biterras peruenit, vbi inter fauſtas ciuium acclamationes triſtis increbruit rumor Erneſtum Mansfeldij Comitis nothum cum Alberſtatenſi Præſule, ac nouenis peditum, ſeptenis autem, vel octonis equitum millibus improuiſam aduerſus regnum irruptionem tentaſſe; venerant illi ſpecie ferendi Bullonio Duci ſectarijſque auxilij, cùm vrbium tantùm direptionibus, aggerandiſque rapinis ſtuderent, in omne latrocinandi genus effundendi, quo locupletiores patrium in ſolum remigrarent; hinc quoque diſtrahendas Regis vires augurabantur pacemque certò ſecuturam, cui quas maximè vellent, Caluiniani leges imponerent. Hæc extraneorum conſilia vt temerè capta, ita & repente dilapſa ſunt, nullis, niſi conſultoribus noxia. In Regis Religioniſque cauſam præſens incubuit Numen, cauitque ne peſtilens aliquid à tetris illis aquilonaris cœli flatibus in Catholica ſacra dimanaret.

Rex Biterras ingreditur.

Externorum Procerum inanes in Galliam conatus.

Interim cunctis prope Monſpelium recuperandis ſectariorum

Bedariuiani oppugnantur oppidis instabat acriter Marescallus Praslinus, iamque Bedariuium vsque transportarat exercitum, vlterius statim progressurus; ni oppidani cæca quadam fiducia sustenrati hunc ad obsidionales coëgissent accessus, nam cùm immanium vndique montium proceritate cingerentur, addiderant etiam genio loci peritam in extruendis operibus manum; quin & nunquam se abque curulibus machinis in potestatem redigendos iactitabant identidem, quis porrò vegrandes illas cannas inter auia præruptarum rupium dorsa conueheret? & perductæ sunt tandem quanquam multùm repugnante loci natura, atque hinc orta ciuibus trepidatio ingens, dum obiectos etiam scopulorum obices à Rege perfringi, peruincique viderent, quorum non pauci, dum noctumis tecti tenebris, effugium molirentur, *Fugiunt* in Normanniæ, Buriæque legionis stationarios inciderunt incauti; alij pretio redempti, interfecti alij. Qui in vrbe remanserant, postridie nullis pactis conditionibus deditionem fecerunt, vitæ gratia singulis facta, duodenis tantùm iisque turbulentioribus extremo supplicio reseruatis.

Villamaniũ recuperatur. Exin Villamanium Regi nulla vi facta restituitur, oppidum olim auri, argentique fodinis celebre, hinc argentarium dictum. Sequutum post paulò Gignacum, quod Caluiniana totum peruaserat pestis, proscripti enim erant Catholici annitente Bastidio, non corpore magis, quàm animo in cunctis rebus fidei claudicante; *Et minora quædam oppida.* hos autem die Resurgenti Christo sacra exire compulerat, pingui è ditioribus redemptione derasa, alijs, quibus tenuis res erat, effræni militum licentiæ permissis, Minora deinde oppida Pignanum, Monferrarium, Assasium, aliaque circùm loca veteri damnatâ proteruiâ colla Regi flexerunt; qui, quanquam Gallicæ ad perdomandam *Germanica copia ab Halluyno ducta.* rebellionem sufficerent vires, auxiliaribus tamen Germanorum auctus est copiis: terna censa sunt peditum millia, quos Lansnetos appellant, hi Halluino Duce Schombergi Comitis filio ad Sancti Aegidij finitima, siue ad vallem Flauianam à perduellibus infessam secundo Rhodano vecti terrorẽ latè sparserunt; atque hinc factum, *Sanctægidianum templũ dirutum.* vt Guitryberticherius, qui vrbem comitatus eius cognominem inuaserat, magnificumque diruerat templum à Gothis olim extructum, loco cedere maluerit, quàm iustum ad certamen descendere, vacuam itaque præsidiariis miles regius ingressus est vrbem.

Mõmorancius loca multa capit. Hoc pariter tempore Mommoranciana virtus in hæreticis intra præfecturæ suæ limites debellandis mirum quantum enituit, & iam

multa illis loca vir verè fortis ademerat, quæ regis potestati assere-ret, cui vt vni secundum Deum militare se contestaretur, hunc Carcassonam adierat, ac Biterras vsque prosequutus, copias suas cum Germanicis iunxerat ad Melgoriensem vrbem non alia re magis, quàm diuturna perduellione celebrem edomandam. Erat hic per-opportunus sectariis, Nemausensibus præsertim, Vceticensibus, Cebennatibus, ac Lunellensibus locus, tum ad commodiorem vrbium illarum defensionem, tum ad constabiliendum inter eas variarum rerum commercium; itaque ne vrbs tam necessaria interciperetur à Regiis, multò iam antè prospectum à Rohanio fuerat, inductis in eam qui continuas agerent excubias trecentis bellatoribus, aut vt alij volunt, quadringentis, totidem Lunello submiserat milites, qui agris ferro flammáque peruastatis, promptiores Melgoriensibus maturarent suppetias; sed internersis eius consiliis fusi fugatique sunt omnes, aut à Laurieri, Caluissonique alariis occisi peropportunam dedendæ mox vrbis occasionem præbuerunt, præsertim cùm obsidionalibus globis murorum pars maxima labefactata concidisset pertulissetque rumor, qui missi à Rohanio fuerant, deletos à Caluissono fuisse auxiliares manipulos. Indulta militibus vita, libertasque, imposita ciuibus præsidiariorum cohors, quæ pœna grauiora longè pertimescentibus, pro Principis gratia aut indulgentia fuit.

Rohanius Melgorium præsidio firmat.

Capitur.

Haud ita multo post quasi fatum quoddam esset Occitanicarum vrbium, Condæus Princeps cum Vindocinensi Priore Magno, Schombergo, & Bassompetra Biterris digressus, vbi primùm inaudijt Melgorium, cuius potissimum causa se se viæ commiserat, regiam in potestatem assertum, de Massiliarguo Lunelloque expugnando consilium cepit, postremumque hunc delegit aggrediendum sibi locum, Massilliargum Germanicis copiis, ac Normanniæ, Buriæque legionibus Mommorancio misso. Quamobrem vno eódemque tempore regius varias in turmas cohortesque dispersus exercitus diuersis conflixit, vicit, ac triumphauit in locis. Nec omninò artis bellicæ rudes erant Massiliarguensis, Lunellensisque tractus accolæ, constat enim literarum monumentis, hæc à Romanis olim haud ita facilè expugnata fuisse loca, horum vbertate, amœnitateque illectis. Massiliargum triduo toto Mommorancij vires, impetusque sustinuit, tum eius fortunam, aut felicitatem potiùs veriti obsessi, tametsi validos numerosque bellatores censerent, fortiori cedere

Massiliargũ oppugnatur.

Mommorancio cedit.

Montpezatus occiditur. tamen duxere consultius. Montpezati cæde maioris sclopi glande traiecti stetit obsidio, cuius viri nobilitas, & animi altitudo in ijs, quos post se reliquit liberis aut nepotibus efflorescit in dies: solo æquata vrbis propugnacula, complanatæ fossæ, sic rebellioni, ne reditum maturaret, occursum.

Lunellum à Condæanis oppugnatur. Lunellum diutius quàm sperabatur Condæano militi restitit; augebant animos quadringenti intra vrbis septa, & octingenti ingressum mox tentaturi milites, qui cæcis ac inobseruabilibus viarum flexibus eò tandem irrupere. Post operum appropinquationes continua per triduum totum tormentorum explosione, iactisque glandibus mille ducentis, adeò lacerata sunt vrbis mœnia, vt multis partibus hiantia idoneum regiis ad insiliendum paratis locum præberent; iamque irrumpere cuncti meditabantur, ni sponte se sua tradidissent obsessi. *Quatitur.* *Redditur.* Præsidiarij cum gladio exire permissi; hi quod supellectilis bellicæ residuum sibi erat, plaustris, vti pactum erat, impositum cùm aliò deportarent, exorta est inter partis vtriusque milites rixa, quæ quisque secum afferret cupidiùs explorantibus, attrectantibusque victoribus; contrà verò ne id facerent quoad fieri poterat, prohibentibus victis; hinc iactæ vtrinque contumeliæ primùm, tum acerrimæ minæ, dein arreptis ab omnibus armis sæuitum atrociùs est, è sectariis numero & virtute imparibus trucidati non pauci, plures longè sauciati, ac nisi mutua Condæus restinxisset odia, ferroq; se temperare iussisset, non mitiùs factum esset hostibus reliquis, eadem clade, aut grauiore forsitan inuoluendis. *Orta inter milites rixa.* Vrbes ferè reliquæ per inferiorem Occitaniam sparsæ, tristem finitimarum exitum veritæ, debitum Regi spoponderunt obsequium.

Sumedrij situs. Rebellabat adhuc Sumedrium murorum suorum robore, ac magno præsidiariorum numero fretum. Viturlo fluuio vrbs alluitur Nemausum inter & Monspelium sita, Rex qui more torrentis, cuncta sibi obluctantia peruastantis Occitaniam obiectat, impressis vbique inuictæ fortitudinis signis, eò confestim maturandum indixit; quamobrem incredibili celeritate ad muros vsque producuntur aggeres maiora binis in suggestibus collocantur tormenta; euerberata, quassataque mœnia latam regiis eò subituris viam aperiunt; trepidatum nonnihil ab obsessis, sed mox redeunte animo, citatiore contra regios proruunt impetu, cædunt, cæduntùrque, æquatur vtrinque clades, sed dum attentiùs Regis felicitatem reputant, nullis vnquam

aduersantium armorum obicibus abrumpendam, melioribus ducti consiliis vrbis deditionem fecerunt; Dimissi cum sarcinis præsidiarii, tympanis tubisque conticescentibus, iurisiurandi religione deuincti, ab armis se Principi suo inferendis temperaturos deinceps. *Obsequuntur*

Mille ducenti atque eo amplius bellatores egressi, vrbis direptio præsenti redempta pecunia. Periere hoc in obsidio nonnulli haud exigui nominis viri. Halluynus Dux in crure vulnus accepit, vir singulari animi altitudine præstans, leonis genium æmulatus, cuius effigiem gentilitio præferebat in stemmate, nec quem extimuit. Hic hæreticorum domitor cùm exuta mortalitate ad Superos euolarit, audiet minore periculo quod illi laudum adornauimus choragium; concinnatum à me ipsius epithaphium non increpabit liuidus, sed pprobabit beneuolus lector. *Vrbs diripienda redimitur.* *Vulneratur Halluynus.* *Eius laudes.*

Carolum Schombergum, quem immortalibus parem virtus effecerat, prodit hac vrna mortalem; Martium hoc & leoninum pectus defluxit in cineres, quos ex Hercule tanto reliquos vides. Primariis regni honoribus auctus, singulare Regis donum esse duxit, longéque merita sua prætergressum: nunquam intumescere visus, tametsi pollente lenocinanteque fortunâ: nihil in eius vita distortum, nihil non musicum apparuit, atque concinnum; siquidem per amplissimas illas regni dignitates gentilitiis more leonis regiâ semper insistit viâ, hoc est rectâ, nunquam ab ea deflectens, importunus licet à tergo obstreperet liuor, nec à Rege auulsus est vnquam, quia nunquam recessit à Deo. Tot victoriis in Gallia, extraque Galliam potitus est, vt Germanicus, Britannicus, Gothalanicus, Lotharingicus appellari iure potuerit. Vicit semper dum externus quem expugnaret, adforet hostis, qui cùm deficeret, internum nactus est aduersarium, morbum scilicet, qui quasi quem adortus erat vereretur, imò & reuereretur heroem; ad pedum ima defluxit, ratus hunc Herculem, quod fortissimo quondam Achilli contigit, in ea maximè parte posse esse mortalem, caput morbus non attigit, ne facessere cogeretur ab hoc consiliorum regiorum promptuario; brachiis abstinuit, ne præcipuas Ecclesiæ, regnique vires prouocaret in cassum, nihil ausus in pectus, quippe Christiani militis ægide communitum, ideoque inexpugnabile, articulari morbo præpeditus, velociùs festinauit ad Cælites, vnum aliquem requietis locum fœneratitio iure exacturus à Deo, cùm senes ei ante obitum lectulos tradidisset, totidē enim incurabiles (vt vocant) inopum domo fundauit, scilicet ne dulci Patris nomine careret, cala- *Et Epitaphium.*

mitesos insanabilium greges prolem suam esse ambiit, ob strata illis in terra cubilia cælesti exultaturus in gloria.

E' Regijs, vt antea dixi, præter vulneratos interfecti non pauci, è rebellibus plures; venia gratiaque impertiti sunt ciues, & ne à quoquam violarentur, dum ex vrbe discederent, cauit Rex diligenter, corámque adesse voluit, militari frænum iniecturus licentiæ. Hæc oppida cùm vi aut deditione Regis in potestatem redirent, sparsusque pœnæ rebellibus irrogandæ terror finitima quæque loca compleret, Nemausus tamen ne nutare quidem conspecta, Monspelienses, cùm de instante Regis aduentu increbresceret rumor, quanquam haud vanus nonnullos incesserat timor, fore hunc iustum rebellionis vindicem, nisi festinatis obsequiis eius indignationi anteuerterent, pertinaciùs tamen resistere ausi sunt, quóque ad regias retundendas vires paratiores forent, cuncta communiendæ vrbi necessaria certatim suppeditarunt; & quia præcipui deerant tolerandorum, extrahendorumque bellorum nerui, asses quosdam siue solidos fabricarunt, Gallicis quidem insignibus inscriptos, sed è vili parumque sincero metallo, quos de sui, sectæque totiusque antesignani nomine Rohanetios appellarunt, quorum in conflaturam profanatos priùs calices, lipsanothecas, argenteas, æreasque cruces contulerunt. Hæc ad Regem perlata ad maturandum iter impulerunt, vt labentem in magnifica quidem, sed contumaci nimiùm ciuitate religionem, autoritatemque suam fulciret, & quidem ad obstinatum edomandum populum Regis expectabatur præsentia perfecturi scilicet quod per missos à se copiarum duces inchoatat quidem, sed non satis promouerat opus.

Nemausensium pertinacia.

Monspelienses resistunt.

Rohanetios nummos cudunt.

Rex eos aggredi statuit.

Rohanius, in vitandis periculis solers semper & industrius, & cauendis, quam oppugnandis hostibus melior, perlato appropinquantis Regis nuntio stupefactus inhorruit; dubiusque animi, quid in re propemodum desperata consilij caperet Nemausum proficiscitur, vbi Procerum sectæ cultorum cœtum conuocat, ad quem cùm pronos ad obsequium animos congregati afferre debuissent, turbulentissimos, & frangendos potius quàm flectendos attulerunt, adeò iustum adfuturi mox Regis timorem, ac reuerentiam maiestatis excusserat inueterata rebellandi licentia. Hoc in consessu decretum, vt ex opibus vnde vnde corrasis destinandū in sumptus bellicos instrueretur ærarium: à supremi Numinis violatione inchoata res est, auersi confestim à sectariis Monspeliensibus Ecclesiasticorum reditus

Trepidat Rohanius.

Praua Nemausensium consilia.

reditus, religionis opibus oppugnata ipsa religio, publicani à secta delecti, qui sacra hæc vectigalia præconis auctionarii voci subijcerent; varij varias in arces oppidaque destinati, qui commeatus genus omne ante Regis aduentum conueherent, prodirionis crimine infames habiti, qui pacis cum hostibus sanciendæ consilium darent, quin & ab vrbis magistratibus prospectum diligenter est, ne quis armatam iam animatamque aduersus regem plebeculam iniecto regiarum cohortium metu à nouæ religionis salutisque suæ defensione absterreret, atque ijs, vt & alijs, qui procerum iussa detrectarent malè mulctandis erecta patibula duo, alterum quidem propter vrbanam basilicam, alterum prope palatium hoc addito titulo. *Hinc facessite proditores, malorum vates, circumforanei nunciorum impressorum geruli, & scarlambas; Cruciarii ex hac furca fracta gula dependeant*; nec procul aberat carnifex cum virgarum fascibus, cæteráque ministerij feralis supellectili, qui fatale confestim exequeretur officium.

Sectarij Monspelienses ex Ecclesiasticis prouentibus pecuniam conflant.

Consiliarij pacis proditorum loco habiti.

Patibula erecta.

Haud ita multo post à sectæ magnatibus ferendorum armorum definitum est tempus, Aetas autem, quæ à decimo quinto ad sexagesimum vsque excurreret, militaribus expeditionibus idonea est visa; sic itaque teneriores adhuc pueri belli laboribus imbecilles adhuc artus, ne vlmis cæderentur, aptare, coacti, quorsum arma tractarent, quosq; tandem in hostem collimarent ignari, quanquam, (vt omnis ferè laudum appetens est ætas) hos inter reperirentur non pauci, qui trucibus Ministrorum clamoribus incensi, gloriæque cupiditate abrepti paria interdum robustissimis viris, aut maiora longè auderent; neque enim semper ingestis nucibus, aut cupediis, aut virgarum metu præscriptum inducebantur ad munus, armorum illis identidem obijciebatur decus, victoriæque dignitas in vrbem, vti spes erat maxima defluxuræ; proponebatur magnificis verbis expurgata religio, quam positâ vixdum prætextâ contra Catholicos, hoc est infames (vt appellabant) Philistæos consociatis viribus propugnarent. Tantæ rebellium vecordiæ, aut impietati potius coërcendæ lectus est Mommorancius vltor, qui Monspeliensem agrum festinata populatione vastaret. Is Montealium castrorum suorum præfectum cum quingentis bellatoribus Magalonam, quæ Insula est Villanouæ adiacens, petere iussit, dum interea ipse cum Caluisianarum copiarum ductoribus aliquot ob-

Horum inscriptio.

Iuniores & seniores à ferendis armis reiecti.

Bellandi ardor in nullis.

Mommorancius Monsp. agrum populatur.

uia quæque incursando, impressa passim relinqueret irati Regis indicia.

Conseritur pugna. Villanouensi tractu direpto, profecti confestim Monspelio pedites mille cum octogenis equitibus, & Sanctadreano Duce vrbis gubernatore, Mommorancios primo repellunt impetu; redintegrato postmodum prælio à Caluisonia turma hostilis funditur acies, intraque breue certaminis tempus è regijs trucidati pedites septemdecim, eques vnus, vulnerati perpauci; plures è rebellibus cæsi;

Vtrinque cædes. Rhedæ tum necatis, tum vulneratis onustæ contuentium omnium, ac cognatorum præsertim lacrymas exciuerunt; atque è ferali hoc perduellium interemptorum spectaculo repens exorta vlciscendi libido, rabiesque in imbelli etiam sexu furibunda exarsit; captum enim & in vrbem pertractum è Mommorancianis asseclis vnum aliquem, continuò quasi expetitam diu prædam inuadunt lymphatici fœminarum greges, miserumque confodiunt, nondum extincto, adhucque sentienti oculos eruunt, truncant nares, in reliqua corporis membra crudeliter malo more, inuerecundéque sæuiunt, aliaque ingerunt dehonestamenta, quæ stylo consignari prohibet pudor.

Rhedæ cæsis rebellibus onustæ.

Catholicus captus à fœminis Mösp discerpitur.

Peruastatis Monspel. agris, Lataтensem Regij populantur planitiem, ac hostilibus vbique peractis, ad vrbem post iteratas comminationes, accedunt Mommorancianæ, portisque ipsis obequitant copiæ. Rohanius militarem dolum interpretatus, seque ad iustâ decernendum acie postulari animaduertens, cum repellendis hostium viribus impar foret, Nemausum primò, tum Vceticam vadit; atque id fuit causæ, cur amoto procul hinc metu, tutiùs multò hac illacque vagaretur prædabundus Mommorancii Zametique miles, ac quæcunque hostili solo fruges progignerentur, euelleret. Hinc ortus sectariis Monspeliensibus mœror ingens, hinc confusi passim clamores multorum auditi, nimiam in ducibus cunctationem, supinam in bellatoribus inertiam malignè vellicantium, extraneum idcirco corrasis vndique stipendiis pinguescere militem, vt ab armis malè feriatus inerti se se totum otio traderet, impigras reformatorum copiis inesse linguas, sed ignauos animos, enerues, & imbecillas manus; in pace Leones esse, in prælio ceruos. Qui sanioribus ducebantur consiliis, rebellionis patronos, ac rebellionem ipsam execrabantur, è qua tam exitiabiles fructus existerent; non

Queruntur Monspelienses de suorū inertia.

satis illud esse, quòd quotidianis ferro pereundi obiectarētur periculis, nisi corruptis frugibus fames induceretur in vrbem, plures longè quàm hostilis gladius necatura, cùm interea Mommorancius & Zametus circa vrbis mœnia volitarent impune.

Exeunt ex vrbe & pugnāt dedecus amolituri.

Exciuit hæc plebis querela milites ex vrbe trecentos, obiectum sibi sociisque dedecus armis expiaturos. Sed Occitana legio, quæ vicinos circa pagos excubabat, ex iterato tympani pulsu hostes haud procul in armis esse interpretata, auxiliaribus septa Caluisoni cohortibus in eos validè irrumpit, turbat ordines, obtruncat aliquos, reliquos terga vertere cogit; hi circa Ledi fluuij littus palantes proximi se se saltus latebris tegunt, quos indagine, ferarum in morem vndique cinctos, indeque extractos Zametus militari furori iugulandos exponit; sublati pudendo hoc mortis genere ducenti quinquaginta, è regiis vnus tantùm occubuit. Perlatus Monspeliensibus cladis eius nuncius omnes quidem, at cæsorum præsertim affines incredibili mœrore affecit; versus postmodum in vindictæ libidinem gemitus, in autorem certaminis effundendæ, qui quæsitus ad necem, coactus est abstinere publico, dum resideret concitatior plebis ira, cui aliqua ratione placandæ facta spes est rei frumentariæ, per præfectos annonarios in vrbem quam citissimè peruehendæ; & quia periculosa videbatur transuectio, nec tutò semper asportari poterant, quæ ad tolerandum obsidium exigebantur, pagatim circumcursare iussi sunt emissarij aliquot, qui vina vbique effunderent, cibos corrumperent, fontes venenatis succis inficerent, castra, villasque solo æquarent, vt regiis illac transeuntibus copiis præcideretur tum necessariæ ad obsidionem annonæ spes omnis, tum parandi militaris hospitii.

Necantur.

Populi luctus.

Corrumpuntur fruges.

Hæc eminus omnia contuebatur Rex, Biterris tum agens, dum æstiui se calores frangerent, euerberabantur eius quotidie aures iactis ab impio perduellium grege in Romanam relireligionem conuiciis, quamobrem Remensis haud immemor, quo se se olim obstrinxerat, sacramenti; ad tuendum Ecclesiæ, cuius ptimogenitus erat, decus, mirum quantum exarsit; ardentiores etiam stimulos indidit Petrus Fenollietus Monspeliensis Præsul hortatoria, quam habuit, oratione non minùs ad motus efficiendos validâ, quàm rhetoricis flosculis renitente, *Veni, & Vide.* Ab hoc versus lemmate, testes Regis aduocabat oculos, vt inflicta Eccle-

Fenollietus Præsul Mōsp. Regem contra rebelles sollicitat

siæ matri vulnera, vrbemque videret fide naufragam, immanibus corruptam flagitiis, à Deo Regeque suo auersam, vnis ciuium quibus in praua quæque trahebatur, cupiditatibus mancipatam. Rex festinato Monspelium versus itinere iustis Præsulis obsequutus est votis, captus videlicet orationis illius illecebris, quæ nunc extat typis edita, sæpiusque est edenda, ne diuturnitate temporis polita quæque ingenii monumenta exedentis, marcescant Attici Gallicique flores, quibus hæc ad legentium stuporem vndique conuestitur.

Eleganti eius oratione Rex flectitur

Decernitur obsidio.

Antequam ad Monspeliensis obsidii narrationem aggrediar, haud incongrum erit hic attexere dignum laude facinus, quo planum fiet, saniora vt plurimùm hominibus suggeri in postremo vitæ actu consilia, Optimi enim sumus, dum morbo corripimur vt habetur ex Plinio, cuius & hoc laude dignum est votum, vt tales esse perseuerent homines, quales se futuros profitentur infirmi. Bertesserius, cuius aliàs meminimus, non mediocri apud hæreticos pollens autoritate, Caluinianorum errorum sectator, defensorque acerrimus, imminente postrema necessitate, quæ valens rebellando contra Regem peccarat, magno animi mœrore retractauit ægrotus, nam cùm Sumedrii decumberet, Regemque mox adfuturum cum exercitu certus pertulisset nuntius, profusis vbertim lacrymis has in voces erupit. *Dolet mihi plurimùm, & plusquam verbis exprimere possum, quòd scelerata & impia contra Pium, Iustumq; Regem arma tractarim, quod ego nefas, ni moriendum mihi nunc esset, rectè factis, ipsaque sanguinis mei profusione abstergere maximè vellem: atque vtinam paria mecum sentirent, qui cruentius adhuc bellum contra maiestatem tantam redintegrant; quantò æquiora facerent, si positis actutum armis in vera fundanda, solidandæque pacis studia conspirarent omnes, Principi nobis à supremo Numine dato iustum præstarent obsequium. Vtinam quod optare tantùm licet mihi, felix illud seculum obtingeret, aureum planè dicendum; nam quod nunc decurrimus, ecquis non rectè ferreum dixerit? cùm in eripiendam innocentibus vitam ferrum acuere, fortitudo vocetur, pluriumque ille vir palmarum habeatur, qui plurium parricidiorum est reus.*

Bertesserius æger rebellionem præteritam execratur.

Postrema morientis verba.

Hæc aut similia ægrè admodum loquebatur, concepta in faucibus morte, adeò præteritam rebellionem exosus, vt pharmaca

cuncta ne primoribus quidem labris attingeret, sed respueret nauseantis in modum, indignum se qui lucem aspiceret, identidem exclamans, quòd lucis autorem Regum omnium Regem Deum in delegato regiæ potestatis suæ Vicario despexisset.

Inter hæc lamenta Bertesserius obijt; & genus illud mortis fortunatum esse puto, dum quis quòd intensiore cultu Regem prosequutus non sit, instante morte torquetur. Supplementum amoris est dolor, agitque vicarias eius partes; si quid per inertiam peccauit amor, vehemens dolor emendat. Præterea doloris allenamentum sunt lacrymæ, nec qui multùm luget, infelicem eum dixero, siquidem nihil miseris dulcius esse gemitu antiquus & sapiens pronuntiauit Orator.





HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB LVDOVICO XIII. REGE.



LIBER SEPTIMVS.

Anno Christi 1622.



ONSPELII Obsidio, quia non modicum Romanæ propagandæ religioni momentum attulit, non perstringenda leuiter, sed laxiore paulò fundenda est stylo. De vrbis huius primordijs, nobilitate, cæli clementia, solique vbertate priore operis mei parte non pauca retuli; siquidem ad incolarum decus, augendamque famam non parum conferre videtur ipsa dignitas loci. Colli modicè assurgenti imposita est vrbs, Rhodus *Monspel. obsidio.*

auditæ, hinc religio duplex, vt & imparia, insuauiaque connubiorum iuga, dum in carne inter coniuges vna, varius perpugnaxque animus reperitur, dissentitque alter abaltero, & discrepantem ad propositum sibi parandæ felicitatis scopum viam insistit. Hæresi autem in vrbem clanculùm irrepenti facilè portas aperuit fucatus illius candor, affectataque sermonis mollitudo, dum vernam rosarum amœnitatem, hoc est iucunda cuncta sui sequacibus polliceretur, & quæ in Romana religione molesta viderentur, rescinderet. Nam quod primæua mortalium parens de pomo sibi vetito secum ipsa disserebat, si edule id esset, si iucundi saporis, succique plenum, quorsum prohiberetur à Deo; haud absimile sciscitabatur hæresis; quorsum constitutis à Papistarum Ecclesia temporibus vetaretur carnium esus? cùm nihil tum putre saperent, nihil faculenti olerent: quorsum à quadrupedibus alitibusque comedendis quadragesimales inducerentur feriæ? quorsum tam importuna abdomini ægrè admodum auscultaturo imperarentur ieiunia; Dum hæc identidem ingererent Euangelij nouibuccinatores, antiquamque romani ritus seueritatem carperent, venisseque tempus illud assererent, quo repulsa legum veterum seueritate, corporeis oblectamentis indulgendum esset liberiùs, enim verò Monspeliensium plerique licentioris vitæ illecebris deliniti, proculcatis Ecclesiæ placitis mellitæ praua suadentium orationi adhinnierunt; & quemadmodum facili puerorum ad obiecta quæque aggredienda indole pro arbitrio abuti quis potest, trahereque quocunque libuerit, si nuces, aut salgama, aut saccharatum aliquid obtruserit, sic dum Sycophantæ illi vilissima hæc voluptatum irritamenta in religionem inducerent, innumerabilem propemodum ad se pellexere hominum multitudinem, adeò promptum est ægrotos animos ad deteriorem partem inflectere, adeoque testatum pronius esse naturæ ad ima proruentis casum subsequi, quàm ad ardua quædam excelsa coniti.

Vnde hæc lues.

Pelisserius falsò accusatur.

Hæresis præterea in vrbem faciliùs inducendæ quæsita, arreptaque est occasio, dum inertiores esse crederentur excubitorum vigiliæ; cuius rei culpam qui in Guillelmum septimum Pelisserium circa hæc tempora Præsulem conferunt, haud mediocriter, vt aliàs monui, peccare videntur, cùm pastorales semper ad auertendam hanc à grege sibi tradito luem curas vigiliasque intenderet, vtque impigrè semper ageret, à Cardinale Lotharingo datis ad ipsum

literis admoneretur, quarum extat hoc exemplar, quod è Gallico latinum feci.

Card. Lothar literæ. *Monspeliensis Vrbis Domine. Dedi operam, eamque perdiligentem vt scandala, vetitosque hæreticorum cœtus istic habitos Rex ignorare non posset, cùmque Regis ipsius mandato significatum tibi per literas fuerit, quia hac potissimum in re consilij capere deceat, id vnum te in præsentiarum monitum volo, vehementerque cupio, vt nostrarum esse partium existimes illapsam hanc in Gallicam regnum animarū pestem exturbare celeriùs, nullisque aut laboribus aut vigilijs parcere in coërcendis perduellium factiosorumque conatibus, quod faciliùs perfectarum te spero, si in id diligenter incubueris, quod per regias literas præscriptum est tibi. Interea cauendum illud tibi præ cæteris persuadeas velim, ne in perniciosas regno societates hæretici coëant; si quid huiusmodi erit, Villarsio Comiti significari iubebis, vt tam exitiali morbo, ne longiùs latiùsque serpat pro sua prudentia & autoritate potenter occurrat. Non arbitror segniorem hunc collaturum operam, iussum quippe seueritatis personam induere, ferrumque contra Deo Regique rebelles tractare continuò. Hæc Frater tuus optimus Carolus Cardinalis Lotharingus. Datum Argeuillia an 1560.*

Quid moliti fuerint sectarij sede vacante. Flagitiorum sub Francisco II. Carolo, IX. & Henrico, III. à sectarijs admissorum tametsi priore operis mei parte meminerim, quia tamen non singula pertexueram; quid toto eo tempore, quod inter Pelisserium & Antonium Subietum Monspelienses Præsules intercurrit, ausi fuerint peregerintque, paucis attingam. Pastore caruit Monspeliensis diœcesis ab anno 1569 ad annum vsque 1573. neque veritati consonum id esse crediderim, quod asseuerarunt nonnulli Petrum Rouillæum in Episcopale culmen euectum, ac Monspeliensem per id temporis adgubernasse Ecclesiam; certum enim habetur Pontificijs hunc muneribus neque per se, neque per administros fuisse perfunctum; cùm igitur nullus tunc Dominici gregis custodiæ Pastor inuigilaret, eius disperdendi lupis haud quaquam stertentibus creuit audacia; nec mora consularibus fascibus perduelles ornati quasi specioso conuelandæ tyrannidis inuolucro, armatoque fulti satellitio vrbe tota volitarunt, ac laxatis impietati habenis, protritisque veteribus sacris, exactam procul esse Babylonem singulis in compitis denuntiarunt, collætandum itaque reformatis omnibus, subsiliendum emicandumque liberiùs.

Lymphati per vrbem discurrunt.

Verùm ne quis internus admonitor intempestiuæ huic mentium hilaritati importunè obstreperet, vtque cruentos morsus internæ cohiberent furiæ tantorum scelerum exprobratices, in id potissimum incumbendum esse senserunt, vt Numinis ipsius maiestatem è dicatis sibi templis exigerent, in quæ à prioribus intacta flammis, subiectis nouis ignibus desæuierunt, cruces disturbarunt, æra campana comminuerunt. Conclamata prorsus erat Romana religio, ni commodùm huc aduenisset Crozetus Damvillæarum copiarum signifer, qui vrbis præfectura potitus, eam geminatæ cohortis firmauit præsidio, reuocatisque augustissimi Corporis Christi mysterijs Catholicos omnes exhilarauit. Atenim cùm necdum fanaticorum conquiesceret furor, quin potius Monspeliensem agrum continuatis infestum latrociniis haberent; proceres vrbis aliquot ad optatam religionis politicique status defensionem vehementiùs exarserunt; trepidatum vtrinque, sed absque graui cuiusquam damno ferociores impetus resederunt. Tum quod flagrantibus omnium votis expetebatur, singulari supremi Numinis clementia, Crozetique prudentia salutare pacis nomen auditum, ingeminatumque Catholicorum animos incredibili voluptate demulsit. Exclusa tum vrbis è mœnibus sectariorum copiosior pars, aliisque factiosorum fæcibus expurgata Ciuitas. Mille quingenti cum coniugibus, liberisque Cebennensem perrexerunt in agrum; grates Supremo Numini Principi pacis pro restituta pace ab omnibus de more h bitæ.

Cruces euertunt.

Coërcentur à Crozeto.

Eiiciuntur ex Vrbe.

Inconcinnè facerem, si partam Ioyosæo per id temporis gloriam tacitus præterirem; hic enim vagos palantesque hac illac Ecclesiasticos suas reuocauit in ædes, atque vt sacra mysteria iamdiu ex vrbe proscripta resumerent, Canorgam, seu Canonicorum domum sacris his muneribus adiudicauit. Haud ita multo post Barone Castellanæo in vrbis tutelam diligenter excubante confutata reiectaque omnino Caluinianæ nouitatis dogmata, sectæ prædicantes conticescere iussi, pura incorrup aque edicto regio stabilita est fides; & iam alta pax coli cœperat, Romanæque religionis efflorescere cultus, cùm iucundissima hæc otia Catholicis à Deo facta Cebennates obturbarunt hæretici, qui è montium vbi latuerant caueis emersi, Melgorium, quod Præsulis, loci Comitis rogatu nudatum mœnibus fuerat, haud magno molimine occuparunt, hinc cebris eruptionibus finitima quæque populati ad Monspelij

Ecclesiastici reducuntur.

Sectarii Melgorium inuadunt &c.

portas lattocinando progressi sunt, grauiora multò comminati, ni ferociores impetus retardasset sumptū de prædonibus aliquot supplicium. Restabant adhuc in vrbe perduelles nonnulli, quibus ea lege data fuerat erroris profitendi libertas, vt cœtus omnes suos extra vrbis septa peragerent; delegere illi continuò Sancti Ioannis Vedacii fanum, eòque Regis iussu Ministrorum grex omnis confluxit. Prædicantium, qui tum Monspelio exierunt iuuat edere nomina, quæ naturæ cælestis antiquorum nemo dixerit, quanquam id laudis alijs benè multis non pauci tribuerint, hæc autem erant Paganus, Platea, Formica, quæ quia perridicula, poëticis sallibus inspersit haud ineptus vates aliquis, vno aut altero distichо hanc exprimente sententiam, scilicet, quæ Paganus in sterili platea vitiata grana conseueret, à formica protinus exedenda. Placuit nonnullis lusus poëticus, numerosque hic insererem, nisi molliorem Apollinis citharam respueret innata historiæ maiestas.

Exeunt vrbe Prædicantes.

Respirabat in vrbe antiqua religio perduellium nouitate depulsâ; verùm haud diu stetit hæc tranquillitas; cæcis enim nubibus serenum obductum Euangelicæ lucis conseruandæ spem ferè abstulit omnem. Pulsi namque repulsique sæpius hæretici, qua manifesta vi, qua occultis grassantes insidiis in vrbem postmodum irrepserunt, eiusque potiti dominio, barbaram in Catholicos crudelitatem, aut tyrannidem exercere cœperunt, dum eos ad profitenda Caluini dogmata insultando, spoliando, plagisque multis onerando compellerent, & Catholicorum plerosque aut suppliciorum, aut minarum immanitate perterritos ad eorum castra defecisse tradunt memoriales tabulæ aliquot, infelices profectò qui aut decorâ morte oblatam sibi nominis, cœlestiumque bonorum immortalitatem emere recusarent, aut execrandam hanc Numinis, sacrorumque eiurationem honesto præhaberent exilio. Hunc in modū contra Catholicos in fide nutantes ferro sæuiebant hæretici, quorum posteri vili sanè pretio, hoc quo iam scribo tempore, orthodoxorum fidem expugnare nituntur; vilissimos enim mendicantium greges coquinarijs pulpamentis obiectis; aut furfurei panis buccis, meris canum aut murium analectis ad castra sua pertrahunt. En succidias (inquiunt), insolatique pisciculi frustula terna, en consistoriales nummulos paucos; Age verò quisquis es, noster semper, nunquam verò miser futurus, abnega iam Ecclesiæ Romanæ sacramenta ritusque sacrilegos, execra quidquid est papisticæ fraudis; officiosis in speciem mo-

Redeunt.

Catholicos ad impia sacra sollicitat.

Nunc etiam fidem eorum expugnant.

nitis mendicabula continuò parent, venalem quam habent fidem vel teruncio mutant, Durat hæc adhuc execranda planè nundinatio, hastæ præconis Romana subijcitur fides, quamque Doctores Catholici per eloquia sacra, hortatusque diuinos auditorum suorum mentibus instillant, hanc Caluinianæ sectæ ministri oblatis æris ramentis aliquot, aut obiecta inopibus tanquam Cerberis offa conuellere adnituntur.

Verùm debacchabantur longè crudeliùs ante cœptam obsidionem, de qua mox dicam; vindicato namque sibi totius vrbis regimine iura dabant pro arbitrio, magistratus deligebant, legitimum Regem suum, latas ab eo leges, quin & ipsam Numinis maiestatem proscribere ausi; soli sine Rege, sine lege, imò & id si asse-qui potuissent, sine Deo victuri; quæ vt omnia Rex probra in se, Religionemque coniecta vindicaret, cum copiis multis aduenit, conseditque in Emerici primarij tum Consulis villa, vnde vrbem totam despicere, æstimareque licebat; non omnino extra teli iactum posita erat domus, nam cùm versus hanc partem ab obsessis collineatum fuisset, ab ipsos regis pedes tormentaria pila impetu fracto resilijt, quod cùm maximè regij quererentur, campestres illuc obuertere machinas deinceps abstitere rebelles, ne contra maiestatem congredi viderentur, quam cùm obstinatis animis oppugnant, reuereri se maximè præuaricatores obtendunt. Priùs autem quàm vrbem Rex armis aggrederetur, placuit hanc variis beneuolentiæ prolectare illecebris, certamque impunitatis spem facere, si tandem rebelles ad obsequium flecti se sinerent, neque enim ignorabat sapientem addecere cuncta prius verbis experiri, quàm armis, quod vt è voto procederet, Lesdiguierio Comestabili mandatum id dedit, vt cum Rohanio seorsum ageret, tantò propensiori ad incundam Regis amicitiam, quantò remotiora erant quæ ab Hispano Rege sperabantur auxilia. Premebat etiam hominem in perduellium caput delectum eorundem in se conspiratio frequens, haud ignarum genus quoddam seruitutis esse imperare rebellibus, hinc intentæ palam in eum mortis minæ, quòd abdicatis sectæ partibus pacifici cum Rege suspicarentur, quare accepta ab Rege syngrapha 27. Augusti, 1622 hora post meridiem nona vrbem ingressus, commissum sibi opus adurgere diligenter instituit, ac ciuitatis proceribus ad colloquium euocatis hunc ferè in modum orsus est dicere. *Qui Regem ad Vrbis Vestræ pomœria nunquam accessurum putabant,*

Rex cum exercitu venit.

Lesdiguierus Rohanium hortatur ad deditionem.

Ille in eam propendet.

enim verò cassam iam spem suam omnem apertè intelligunt; quasi vero qui sparsas per Galliam sectæ vrbes armorum vi, regiàque autoritate perdomuit, istam præ reliquis sit habiturus eximiam. Adesse iam videtis Principem potentissimum, aut sub vltoris, aut parentis optimi persona; vtram malitis, eligite. Quòd si repellendis eius viribus pares sese aliqui censeant, decusque sperent aliquod è rebellione capturos, cæcam illam mentis præsidentiam actutum deponent, si encarniæ recordari tantisper in animum inducant, momento ferè temporis à Rege aditæ, visæ, ac ferè sine certamine victæ. Hic certè, quid enim id dissimulem, quod oculis omnium patet, hic inquam Occitaniam totam armorum suorum terrore compleuit, perrupit rebellionis obices, recalcitrantibus populis frænum imposuit; si quid Montalbani continuandis eius victoriis moram attulit, in palabundos ob autumnalem intemperiem coniiciendum est morbos, non in arridentem ipsi fortunam, quam circunfert vbique secum, eique pro arbitrio moderatur. Rarò vincitur, qui sæpe iam vicit

Suadetque Monspeliensibus

Hæc apud surdos & obstinatos in cassum pronuntiata, Negant passim omnes eò se vnquam inductum iri, vt suam, ciuiumque salutem irati Regis voluntati permittant; cuncta quippe apud se esse ordinatè composita, diligenterque antè prospecta contra Regis, Regiorumque insultus; Lesdiguierium, qui se pacis interpretem, ac Mercurium alterum præstat, non tam publicis vtilitatibus seruire, quam priuatis; bello quouis atrociorem esse quam persuadere nititur pacem; in bello siquidem non occulto, sed aperto marte pugnari, quòque notiora sunt hostium tela, hoc euitari faciliùs, in ea verò quæ promittitur pace tectas latere insidias, quæ cautiores etiam, & vigilantiores illaqueent. Hæc identidem obiectabant sectæ primores, quos audentiores efficiebat simulatus tutandæ religionis suæ obtentus, quam breui extinguendam denunciabant concionales eiusdem sectæ ministri, ni contra Philistæos, sic enim (vt alias monui) Catholicos per ludibrium appellabant, arma iusta corriperent veri sincerique Israëlitæ, in quibus nulla doli erroriſue inhæreret suspicio. Hæc data à perduellibus responsa Rohanius ad Lesdiguierium pertulit, ille verò ad Regem, qui flecti se amarique renuentes, frangere omnino funditusque delere apud se statuit. Principio Septēbris anni 1622. castra vrbi admoueri iussit, delecta est in regiam, vt supra dixi, Emerici Consulis villa peramœna

Non auditur

Inchoatur obsidio.

sanè, & autumnalibus fructibus abundans, ficubus præsertim sapidi, iucundique admodum succi, quibus cùm sæpiùs vesceretur Rex, regias appellauit Emericus, postque annos aliquot, Regi, cùm Parisiis esset canistrum iisdem ficubus plenum donum misit, quas Rex à nemine prægustatas inter bellaria mensæ suę de more inserenda reponi iussit. *Emericiana Villa.*

Circa hanc villam regius excubabat exercitus, bellicum verò senatum Melgorii stabiliri placuerat, vbi auditæ, cùm de circumuallanda vrbe ageretur, variantes discrepantesque multorum sententiæ, nam regiorum paucitas, hostium verò multitudo iustæ formidini erat, vt & bellicus eiusdem instructus, cùm præter quaterna ciuium armatorum millia, bis mille quingenti Calongio duce præsidiarii aduenissent iique validi, ac vitam pro tuenda sectæ religione pacisci certi, obfirmatique ferè omnes. Magnam insuper frumenti vim, omnisque generis commeatus Monspelium inuehi perquam studiosè accurarat Rohanius, tametsi recentes Monspeliensis agri fruges corrupissent Mommoranciæ copię; aderant & reliqua obsidioni satis diu sustinendæ necessaria, cùm interea regij milites pauci numero, tolerato complures iam annos marte fatigati, bellicis continuandis laboribus impares esse viderentur. Præterea duodenis tantùm bellatorũ millibus regius constabat exercitus, ad cingendam autem vndique vrbem nouis hinc indè operibus, munimentisque productam vicenis quinis hominum millibus opus erat. Ingentes sanè rebellibus animos dabat conspecta obsidentium paucitas, maximè dum Montalbanum cum Monspelio paribus armis, propugnaculis, vallisque firmato conferrent, quamobrem vrbis illius speciem aliquam ab Rege frustra tentatæ Monspelii conspecturos se in spem minimè dubiam inducebantur, quam quotidianis alebant clamoribus Caluiniani præcones, victoriam ciuibus certam, si modò cum hoste congredi sustinerent, polliciti. *Varia de eo-sdio sententia.* *Hæreticorũ fiducia.*

Atque vt res prosperè verteret crebri erant in precibus Caluiniano ritu fundendis, quin & in priuatis vrbis tabulis haud absque ingenti stupore legere me memini, religione aliqua consecrata ab iis fuisse vrbis munimenta, quo acriùs in eorum defensionem propugnatores incumberent. In Peyronensi propugnaculo, aliisque ad vrbis tutelam extructis, conciones non tantùm à prædicantibus institutæ, sed vsurpata etiam Caluiniana cœnæ mysteria, quibus in rebellium cœtibus quot & quantis non regia tantùm maiestas, sed *Cœnam celebrant.*

sed Romana etiam religio laceraretur conuicijs, explicari non potest; aculeata siquidem volitabant vrbe totâ scommata, pangebantur cãtiones à militibus rhythmicis vtcunque numeris adstrictæ, virulentis contra regios dicteriis fartæ: & potentiores ad irritandos animos erant cantilenæ huiusmodi, quam quælibet aut tubarum, aut tympanorum frequentamenta, obtinueratque consuetudo, vt quoties

Cantant ante eruptionem.

rorarios suos aduersus obsidentes immitterent armorum præfecti, clarâ hæc voce carmina præcini siue potiùs incantamenta iuberent. Præter validissima vrbis munimenta vicinæ circùm vrbes à sectariis infessæ regiorum conatus, spemque recuperandæ citiùs vrbis moraturæ videbantur; nam cùm humano cordi roborando reliqua corporis membra non segniter adlaborent, Monspelio aduersus orthodoxorum impetus communiendo aduigilabant variæ Galliæ Narbonensis vrbes, lectos milites, largumque iis alendis commeatum pollicitæ. Nemausus rem suam agi cum Monspeliensibus interpretans, auxiliares vltro copias submittebat. Cebennates fortunas suas omnes, vitam denique pro asserenda religionis libertate spondebant.

Catholici ex ædibus suis exire prohibiti.

Gemebant interim ædium suarum claustris inclusi Catholici, inde pedem efferre capitalis pœnæ comminatione prohibiti; rei peragebantur quotquot ad prosequenda suorum funera, persoluendumque iisdem lacrymarum tributum se se domo furtim proriperent; atque hoc non sine luctu querebantur pietatis amatores, coarctari sibi spatia tam nobilis exercendæ virtutis, quasque ipsi sibi non exiguis sumptibus condiderant ædes, in priuatas, vbi compediti tenerentur, custodias verti, obserari eas omnibus, qui solatii aliquid allaturi viderentur, qui spem facturi essent miseræ conditionis molliendæ. Quin & tradunt scriptores nonnulli sectariis omnibus publica voce præconis inhibitum, ne qua in re Catholicos adiuuare, aut cum illis perinde quasi anathemate perculsis consuescere, conuescique auderent; si qui iussa detrectarent, iis vincula, aut peius aliquid vinculis minabantur, per satellites, furorisque sui administros irrogandum, quos inter principatum facilè obtinebat Dauid nescio quis, indignus augusto hoc nomine, Dauidicæ quippe nihil mansuetudinis retinens, volitabat ille vrbe tota cum armata sicariorum nebulonumque cohorte, Catholicorum ædes diripiebat, compilabat obuia quæque, resistere parantes barbarum in modum contrucidabat, nihil apud eum eiusque emissarios reli-

Cautum ne vtferentur à sectariis.

Latrocinantium cohors.

giosum

giosum sanctumque habebatur, quod non aut per infame latrocinium raperet, aut immani sacrilegio profanaret.

Luctuoso huic Monspelij statui non alijs quàm regiis viribus subueniri poterat, atque id Deo, sibique decorum fore interpretatus Rex maximus, copias suas omnes præfestinare iussit, testaturus videlicet nec hostilia valla, nec interna, externaque vrbis opera, nec saxea quælibet munimenta, nec asperiora cautibus perduellium ingenia contra legitimum Principem suum quidquam valitura; nam licet eius legiones tot itinerum bellorumque laboribus fractæ aut iam deficerent, aut breui defecturæ viderentur; acuebat tamen animos, & si quid languidum eneruéque foret, corroborabat regiæ maiestatis præsentia, fortunata secum semper auspicia certamque coniectura victoriam; quin & vt acriores induerent spiritus, stimulabat inanis obsessorum fiducia, regia se arma continuò difflaturos stultè iuxtà stolidéque iactantium, excitabat etiam copiarum variis è partibus confluentium multitudo & robur, id enim temporis Nerestanus legionarios mille ducentos; Condæus cohortem in agro Bituricensi delectam, Vindocinensis peditum millia quatuor quingentosque equites strenuè omnes arma tractaturos aduexerat. Inculismensis Dux haud segnior reliquis expedita maturabat auxilia mille circiter, & quingentis ductis alarijs, quibus omnibus Monspelienses percellebantur non pauci, promptum haud dubiè Regi obsequium delaturi, nisi nebulones obstitissent aliqui crapula forsitan & capitis errore lapsantes, qui cùm omnia priuatis vtilitatibus metirentur, opportunum hoc latrocinandi tempus iudicarunt; quo turbidæ turbulentæque res erant, impunéque à Magistratibus habebatur vbique prædandi licentia.

Rex copias suas festinare iubet.

Cùm proximè aggredienda vrbs esset, ne quid rixæ Condæum inter, & Lesdiguierium de armorum imperio existeret, cùm illud sibi altissimus Princeps regij prærogatiua sanguinis; alter verò qui supremus rei militari præfectus, seu Comestabilis erat, habita dignitatis suæ ratione vindicaret; postremus hic Priuatium obsidere iubetur, quo remoto futuræ certò discordiæ sublatus est metus. Condæus quia pacem cum rebellibus iniri vetabat, hanc Regi, religionique nocituram existimans, in coeptandam vrbis oppugnationem contentissimo studio incubuit. Secundo Rhodani fluxu, qui in mediterraneum haud ita procul illabitur murales cum glandibus machinæ, nitrati pulueris vascula, aliaque inchoandæ promouen-

Conuehuntur arma.

Disponuntur castra.

dæ, vrbis obsidioni necessaria, magna celeritate conuecta, tum in ea parte, quæ Septentrionem respicit ad arcenda Nemausensium, & Cebennatum auxilia regia defixa sunt castra. Dies erat 31. Augusti Sanctorum Felicis & Adaucti festum proximè subsequuta, quod in auspicatum regiæ adaugendæ felicitatis omen à plerisque acceptum. Eadem Christiparæ miraculorum effectrici sacra hoc potissimum nomine colebatur à ciuibus; nam prodigia in augusta Tabularum æde singulari Virginis ope in pertinacibus præsertim sanandis ægritudinibus edita, adeò manifesta sunt, vt ea ne ipsi quidem diffiteantur, aut diffiteri possint hæretici. Hac igitur die, quod benè feliciterque verteret, ad sanciendum Dei Genitrici veterem cultum circumuallari primùm vrbs cœpit, obsidionales machinarum sedes quinis aut senis in locis defixæ, ductisque de more fossis, productisque aggeribus castra propius vrbem collocata.

Die Deiparæ sacro.

Diuisa bifariam oppugnatio fuit, Prima Regi, cuius vices Condæus obibat, altera Mommorancio attributa strenuo non magis Duci, quàm militi. Militabant Regi cohortes cum excubitorum Prætoria, Pedemontana, Nauarræa, Normannica, Heluetiorum aderat agmen, castametabatur Bassompetra, muralibus machinis præerat Valancæus, aduenerat quoque scientissimus machinamentorum artifex Gamorinus. Ex altera parte iunctæ Mommorancio erant Picardicæ, Occitanicæque cohortes, Perauti, Annibalisque nothi nec non Bituricenses Montesoniæque copiæ, castrameratores Portesius, Zametus, Marillacus. Obsessorum verò in extruendis, firmandisque propugnaculis suis non minor cura enituit, totam enim hanc partem in quam exercitus regii maior incumbebat moles, hoc est quidquid Blancariam inter & Sanctægidianam portam cernitur spatii doliaribus vallis iuxta fossæ partem vrbis mœnibus aduersam firmarant, ibidemque à missilium omnium grandine tuti binas excitarant arces siue propugnacula, quorum alterum è niueo lapide quadratoque confectum album à colore vocarunt, atrum vero alterum è cineraceis saxis erectum, quorum oppugnatio vt diuturnis Regiorum laboribus, ita & multo eorundem sanguine stetit, nec enim acria magis quàm cruenta prima extitere certamina, Gallo vtrinque milite, dum factum est pugnæ initium, incitatissimæ vim indolis generosis conatibus attestante: vehementior tamen tùm obsidentium tum obsessorum æstus in San-

Oppugnationi præsunt Condæus & Mommorancius.

Cædes mutua.

ionysiani propugnaculi aggressione, defensioneque conspectus, qui locus edita plerorumque nobilium strage ad id vsque temporis celebris esse perseuerat.

Præsertim in Sādionys. munimento.

Collis erat satis prominens, è quo in subiectas Regis copias fulminare poterant campestres hostium machinæ; huic Sandionysiani nomen dederat ædes Sanctissimo Galliarum Apostolo sacra; iuxta quam vegrande propugnaculum obsessi construxerant doliaribus fulcimentis, & tumultuario glebarum aggestu firmatum, inspecturi scilicet illinc regios, eorumque vires exploraturi, tum continenti glandium missu prohibituri ne obsidionales, quos iam inchoarant, promouerent accessus. Hæc cùm eminus spectaret Gamorinus bellicarum machinationum architectus, occupandum statim tumulum edixit, idque vt sublata omni morâ paratioribusque animis attentaretur, suadebat ipsa satis loci, qua mare spectabat, decliuitas, vnde liber obsidenti militi pateret ascensus, tum denique laterales circùm munitiunculæ haud multum expugnatu difficiles, quibus diligenter exploratis, perpensisque nox inchoandæ huic aggressioni peropportuna deligitur. Quadringenti è legione Normannica, è Nauarræa ducenti, totidem è subalpina aut Pedemontana, Estissacaque ad hoc tentandi periculi decus seponuntur, idque laudi sibi amplissimæ de more vertentes, arma cuncti pugnaciter inferunt; hos pone subsequuta tuetur Fabreguesia & Sanbretica cohors; nec mora ex improuiso in rebelles irrumpunt, ac post leuia quædam certamina, signatumque non paucis stragibus locum, in vrbem pauidos demigrare compellunt. Post occupatum hoc nullo ferè molimine propugnaculum ingens Regiorum animos lætitia incessit, iisque in vlteriores erectis victorias, potiundæ propediem vrbis adblandita spes grauissimas præteritarum expeditionum absterfit molestias, sed ob nonnullorum temeritatem, stolidamque præfidentiam momento fere dilapsa, ingens rebellibus gaudium, nostris acerbissimum dolorem conciuit; ex eoque intellectum est operosius aliquantò esse quæ multis laboribus consequutus quis fuerit, aduersus hostiles tueri conatus, quàm ea iustis nouarum rerum accessibus cumulare.

Quod occupatur à Regiis.

Patuit & tum maximè labes illa Gallis ferè cunctis adhærescens, à veteribus toties decantata scriptoribus, passim enim testantur productiore sub marte non Francorum modò militum concidere vires, sed & præfectorum ipsorum elanguescere robur, agendarum

Vana inde eorum lætitia.

que rerum, aut imperandarum peritiam. Nam simul ac Sandionysiana hæc moles regiorum partibus accessit, in ijs quasi tuta forent omnia, ac diurnus nocturnusque hostibus torpor obrepsisset, bellatores resedere spiritus, inanisque sumpta fiducia nunquam hostem è mœnibus vrbis, quò consternatus abscesserat exiturum, quòd post primum hanc velitationem obsessis inauspicatam non erumperet. Veteranis ergo excedentibus legionibus, Fabreguesia tantùm, & Sanbretica substitit cohors, nullusque ad eius tutelam equitatus relictus, nullæ etiam aut inertes admodum excubiæ. Contrà verò non mediocriter hostes ad maiora præstanda incendit, quod intolerandum videbatur præteritæ fugæ dedecus, spesque laudis recuperandæ maxima; atque vt auderent, vt agerent, vt fortiter constanterque irrumperent, crebris hortatibus adurgebat Argencurtius munimentorum omnium designator, enim verò conclamata iam omnia, labefactandam propediem religionem, conuellenda penitus sectæ iura sensu doloris maximo denunciabat, ni regius hic è fatali hoc ciuitati colle, futuroque ciuium tumulo procul exturbaretur manipulus. *Nam quorsum hac illac, aliud longè quàm quod agi oporteat, tentantes circumferemini, aut stertetis ignaui, cùm grauius vobis ex hac occupata iam ab hostibus parte periculum instet, cùm maiora inde conuersa in vrbem tormenta improuisas quam plurimis illaturæ sint cædes, illinc enim irritis nunquam iactibus detonabunt hostes in confertam populo vrbem, elegantibus ornatam ædificiis, oscitantis inferioris principem; quare alterum è duobus eligendum, aut illinc exturbandi sine cunctatione regij, aut dedita, quod periculi plenum est, vrbe, Regis imploranda clementia, cuius spes ab eo læso iratoque obtinenda aut nulla, aut exilis admodum affulget, neque enim medica Magnatum sunt ira, quas potestas & quiduis aggrediendi voluntas inflammat.*

Argencurtii oratio pro eo recuperando.

Argencurtio non facundè magis hæc aut similia quàm audacter prolocuto communibus studiis assensi sunt omnes. Deliberata itaque est contra Sandionysij stationarios pugna, correptaque priùs arma, quàm hi noua munimenta construerent; neque enim tum doliaribus se vallis, nec vimineis cratibus aut aliis huiusmodi claustris aduersus hostes erupturos sepserant; id quidem, vt continuatis operibus exequerentur, imperatum à belli præsidibus fuerat, verùm seriùs, quàm res exigeret, à nuntio significatum, acceptam

mandati syngrapham imprudenti sibi excidisse causanti; quæ nostrorum procrastinatio opportunam hostiũ præfestinationi occasionem, sequutamque ex ea victoriam attulit. Nam Argencurtius præsidiarios quingentos, equitesque totidem in armis esse iussit, & ne statuta dolo careret eruptio, qui maiora sæpius operæ pretia, quàm incitata vis efficit, è tubicinibus vnum aliquem mittit, qui amico, vti fieri mos est, sono perstrepens, per speciem censendi tumulandique cæsorum cadauera, vafrum explorandæ regiorum custodiæ occultaret consilium, introspectisque curiosè, que illic aduersus vrbem pararentur, continuò remigraret ad suos, quæ coràm vidisset, audiuissetque fide quam optima relaturus. *Dolus virtuti additur.*

Vix in conspectum prodierat fraudulentus ille speculator, cùm ad eum gregarius miles aduolat, allatáque fasciâ caput eius obnubit, ne furtiuo oculorum coniectu regiorum paucitatem, quæque ad idoneam loci munitionem deficiebant, deprehenderet. Verùm insidiator hic Sinon fautores habuit complures, qui verò proteruè illuderent, nullos, detractâ itaque ex oculis fasciâ cuncta liberè circuspectare permittunt, videret attentè, pernosceret omnia diligenter, pergeretque fausto alite ciuibus renunciare quæ videret; nihil quippe magnopere timendum ab inualidis, nouis suorum cædibus paratum hunc iam esse locum. Nimia hæc Regiorum tum indulgentia, tum parum cauta fiducia catholicam penè rem totam afflixit, simul enim explorator hic rediit, astante sectariorum corona, nimiam hostium in propugnaculo tutando inertiam, custodumque paucitatem detexit, quo audito, pudore simul ac ira è recenti iactura stimulantibus, obsessi subitanea eruptione obsidentes inuadunt, peditatum sustinent equites duce Calongio in Rohanij vicem delegato, ijs autem cohortes suas audacter opponunt Frabreguesius, & Sanbretus, postque acerrimam dimicationem initam lethaliter icti concidunt, læti admodum, quòd in conspectu Principis sui, ac pro ipsius autoritate vna cum Romana religione contra impios rebellantium conatus firmanda, tam glorioso fato mortalitatem exuerent. *Nobilium cædes.*

Repentina hæc virorum fortissimorum clades, haud exigua hostium dum repellerentur, pensata est strage; reliquis pedem referre molientibus similis destinabatur exitus, ni opportunæ aduenissent equitum turmæ, qui asperrimis verbis increparent turpitudinem fugæ, eleueuarentque gloriam exercitus regii quasi ex ener- *Et hæreticorum.*

uatis militibus inualidisque conflati, meminissent eos Montalbani non tam castra fixisse sibi, quàm busta aut tumulos, parem aut atrociorem Monspelij fortunam expecturos, cùm auerso, repugnanteque Numine martem adhuc tentare sint ausi; non vni duntaxat affixam esse loco fulminantis Dei manum, in religionis hostes vbicunque demum terrarum sint, fatale telum immitti; si nuper defuerint cum animo vires, si præfestinatior arrepta sit fuga, eluendam infamiam tantam altero, sed generosiore congressu, paratioribus irruendum animis, occupandum necessariò Sandionysianum munimentum, iugulandos illico, aut procul amandandos immanes illos Philisthæos, vt selectum Dei gregem pacis amatorem obturbare deinceps abstineant, nihil in præsentia formidandum occurrere quod fortibus cœptis obsistere possit, quod non facilè prima dimicatione perrumpant, cessura cuncta prosperè religioni mendis prioribus repurgatæ, eiusque autori ac propugnatori Deo. His acriter dictis accensi pugnam obsessi redintegrant, obstinatiùs irruunt confligunt ardentiùs, propugnaculum denique amissum recuperant. Interea tormentorum boatus, tubarum clangor, confususque militum illinc miserè pereuntium, illinc insultantium, cædentiumque clamor Regis ad ædes peruenerat; audiebat ille, ac tubulatorum specularium ope, lustrabat adnotabatque omnia; cum eo aderant Mommorancius & Fronsacus qui recens aduenerat regiis militaturus auspiciis inassuetus ille quidem Martis laboribus, iuuenis quippe, sed ingentibus pollens animis, bellicáque Maiorum suorum virtute subnixus.

Rex pugnātes inspicit.

Mommorancius contra hostes vadit, cum eo Fronsacus.

Hi ambo quasi Nysum & Eurialum æmulaturi, quod præclarorum iuuenum par Maroniana Musa fastis æternitatis inscripsit, immensaque flagrantes gloriæ cupiditate, leuioribus armis præcincti nullaque protecti lorica, tanquam fortis bellicæ securi, eiusque telis impenetrabiles, spe ac iuuenta properi oblatum in discrimen prouolant. Nec deerant è proceribus multi, qui è tam repentinis tamque ingentibus cœptis magna quædam operæ pretia dimanatura absque vlla dubitatione præsagirent, Rex ipse generosam indolem in vtroque demiratus, suis aulicorumque omnium votis oneratos dimisit, irent felicibus auspiciis, in sacrilegos impetum facerent, iuuentutem suam commendarent heroicis factis; dumque manus confererent, patriæ, quam tuerentur; maiorum suorum virtutis, quam æmularentur, memores essent, secum triumphos, secum

regni gloriam ferre. Hæc præfatus prosequente nobilium turba prominentem illic tumulum inscendit, committendas breui acies eminus spectaturus. Mommorancius; non minus pugnæ quàm honoris appetens vix eò processerat, cùm quasi securus victoriæ, hostes vbi essent inquirit, tum parcens verbis, manu promptus obuium sibi centurionem obtruncat, Carlincassium capit clara stirpe Monspelij natum, accipit & ipse vulnera duo hastili, sclopoque maiore inflicta, totusque cruore perfusus in certamen alacrior, infestiorque proruebat, ni Argencurtius æstuantem nimis eius repressisset impetum, vltraque tendere prohibuisset: ægrè quippe ferebat, tametsi pro nouata ipse religione pugnaret, iuuenem tot Principum propinquitatibus fultum, fatum suum perducta vixdum ad viriles annos ætate præuertere, dolebat supra quam credi potest efflorescens hoc primarij in Gallia Christiani germen voluntarium in exitium præcipitantiùs agi, alios atque alios fructus auis heroibus dignos editurum.

Ille post casos hostes vulneratur.

Humanus in eum Argencurtius.

Vtinam quanta Argencurtij erga Mommorancium, tanta reliquorum in Leonorem Aurelianensem Fronsaci ducem eluxisset humanitas, quem indolis altissimæ iuuenem, Comitis à Sancto Paulo filium, solumque in illustri familia superstitem, cùm prima belli rudimenta tentaret, abiectissimus cæcularum grex crudeliter interfecit, iurgio inter eos de spolijs, quibus nudatus erat, exorto. Inopinato huic casui exercitus totus quàm latè spargebatur, ingemuit, doluitque Rex maximè tam subitò succisum hunc florem vberrimam fructuum optimorum copiam, ei si viuere licuisset diutiùs, allaturum; acerbior longè Fronsaci matrem dolor incessit vnas sibi momento temporis præreptas delicias insolabiliter lamentantem. Huic ego tantùm in terris conspecto, tamque maturè rapto adolescenti lectos è latino Parnasso flores aggererem, plenisque darem lilia calathis, nisi seuerior historiæ character à poëticis leporibus abhorreret. Ceciderunt pariter cum eo Veuronus Marchio, Cusserguius, Lussanus, Mombrunus, Canillacus Vicecomes, Combaletus Luynæi Comestabilis nepos sauciatus primùm, tum residente certaminis æstu necatus à militibus Luynæum in eo vlciscentibus, quem ciuilis huius belli autorem, promotoremque censebant.

Fronsacus occiditur.

Mœror Regis

Luctus Matris.

Nobiles alij necati.

Recuperatum ab obsessis propugnaculum liberam ijs per Lataensem portam aperuit; sumpta igitur fiducia ob amotum à se pe-

riculum, & in regios versum, horum complures militiæ muneribus nobilitatos occidunt, ac in Mommorancianâ sibi admodum infesta castra irrumpunt. Quarta Septembris vix illuxerat dies, cùm è Petronæa porta, quæ occidentem spectat, maius aliquid molituri agminati exibant, emicabantque intrepidi partas iam victorias recentioribus cumulaturi, ni opportunas vires Zametus castrorum præfectus opposuisset, ac consternatam regiorum aciem ad rem fortiter agendam verbis impulisset & factis. Valuerunt crebra præstantissimi ducis hortamenta, quodque iis validius, edita coràm eximiæ intrepidæque virtutis exempla non pauca; regij siquidem omni excusso pauore, qui rectè agendorum obex est maximus, in insultantes cladibus nostris hostes audacter insiliunt, horum aliquos cędunt, alios fugam capessere cogunt. Verùm pluris longè, quàm Gallicarum rerum interesset, coëmpta hæc fuit qualiscunque victoria, in hac quippe velitatione Zametus ipse tot egregiè factis non in Gallia tantùm, sed & extra Galliam memorabilis, muralis machinæ pila in femore læsus, quinto pòst die incredibili Regis regiorumque mœrore interijt. Illustrius sanè viro tanto fatum vix obtingere poterat, cùm post partam de hostibus victoriã, imbutasque eorum sanguine lauros mortales inter esse desierit, expleta post gloriosum illud facinus satietate viuendi.

Obsessi in Mommorãc. castra irrumpunt.

Repelluntur à Zameto.

Qui deinde necatur.

Quantus regiorum mœror de Zameti morte conceptus, tantum ex eadem haustum est à perduellibus gaudium; gestiebant enim animis, quòd magnus ille Mahometes (sic enim hominem per contumeliam appellabant) è viuentium societate sublatus, reformatorum castra nunquam aggressurus esset; quamobrem cuncta, hoc erepto sibi metu, quietiora fore deinceps. Porrò ad immensam ferè gloriam, quam generosus hic heros, tum è rebus feliciter gestis; tum è multiplici variarum rerum intelligentia longo sibi labore parauerat, historica siquidem, mathematica, bellicas insuper tum muniendarum arcium, tum expugnandarum artes callebat apprimè, accedebat incredibilis morum lepor, tenorque vitæ singulari honestate conditus. Quantam autem in omni exquisiti decori genere, religione tuenda, tum regiis prouehendis armis constantiam præ se semper tulerat, hanc postremâ vrgente necessitate testatam maximè voluit, huius rei indicium est parænetica hæc, quam ad centuriones, militesque dum se se morbi vis intenderet, habuit oratio *Graue hoc vulnus quod spectantibus vobis accepi (Commilitones mei) si mihi vitam eripere*

[illegible]tius laus.

pats

piet, adimet certe pugna aduersus perduelles instaurandæ facultatem, non desiderium tamen; cùm ad multa eaque præclara valens hortatus vos fuerim, postremum hoc breui moriturus moneo, enixéque rogo, vt veniat sæpius vobis in mentem, quod ignorare non potestis, cùm id ex me non semel audieritis, quantum militare studium cæteris omnibus studiis antecellit, tantum vos bellatoribus reliquis ob id maximè vnum antestare, quod non tantùm illustre gloriosorum militum nomen assequamini, sed & vera fidei milites nuncupari iure possitis, cùm sub auspicatissimis Christi Iesu insignibus vestra circunferatis arma, eidemque sacramento dixeritis, pro stabilienda eius religione aduersus eos congressuri, qui à fidei veritate auersi hanc à supremo Numine defectionem obstinatæ in Regem rebellione accumulant. Hæc ferè ille, animatisque egregiè ad obsequium Regi optimo integrè fideliterque præstandum, vltima demum cogente necessitate exanimatus obmutuit. Gamolinus post paulo plūbeâ glande traiectus occubuit, biduo antè Sandionysianum propugnaculum expugnari, recuperarique posse affirmarat, sed cùm tutis designandis receptibus parum opportunus locus videretur, iterum attentari non placuit. *Et hortamenta ad milites.*

Interea Boutoneti, qui vicus est vrbi finitimus, statuitur tormentorum muralium suggestus, vnde regij crebris glandium emissionibus rebellantium castra lacessunt tricenosque ex ijs ... fractos certaminibus necant, exin octaua Septembris die contra ciuitatis mœnia curules aptantur machinæ. Carmelitarum turris quadrato è saxo constructa, magna ex parte deiicitur: iamque per patentem ruinâ viam insilire parabat exercitus, ni Rex flagrantiora ducum militumque studia cohibuisset, cunctandum omnibus ratus, vt inter concessas illas moras calamitosam sortem suam attentiùs reputarent obsessi, discerent iustiùs agere moniti, neque tam contumaciter Principum suorum iussa, autoritatemque traducerent. Verùm aut parum, aut omnino nihil profuit, perire potiùs, quàm cedere obfirmatis cunctatio, oblataque à Rege venia; illi enimverò continuatâ cannarum displosione, regia quæ Boutoneti locata erant tormenta infestant, quæ post paulò tutiorem in locum translata, non minore, quàm antea clade mutos vrbis euertunt, maiore tamen boatu, parique strage in Sanctægidianum pertonant munimentum. Ferunt à ternis supra vicenas machinis centum supra mille glandes emissas, quo tempore trucidati ex vtraque parte non pauci; Regios inter *Caduntur hostes.* *Carmelitana turris quatitur.* *Et Sanctægid. propugnaculũ.*

Vtrinque strages.

eminebat Tarautus vir corpore animoque ingens, Mommorancio præsertim addictus, cuius in famulatu magnam ætatispartem contriuerat.

Obsessi regiis ius sepulturæ negant.

Haud ita multo post, missum in vrbem ab Regijs tympanistam inducias tumulandis cadaueribus perbreues postularutum repulerunt obsessi, siue quòd furorem suum etiam vltra Catholicorum fatum extraherent, siue quòd è tetro computrescentium corporum fœtore temporariam regios inter orituram pestem augurarentur, quæ soluendæ citiùs obsidionis necessitatem afferret. Inurbanè sanè, imò & crudeliter factum; vix enim apud barbaras etiam gentes auditum contegendis hostium cadaueribus humum perleuem, aut glebam fuisse negatam, postremum interfectorum solatium. Sed neque iuris gentium ratio à rebellibus habita, qua cautum est ne veteres legatorum prærogatiuæ violentur; Prolegatum enim Aueniónensem, qui Romani Pontificis missu Christianissimo Regi partas de rebellione victorias gratulatum venerat, ex insidijs interceptum Nemausum perduxerunt, quanquam haud ita diu in custodia detentus liber exire permissus est, sed non absque ingenti pecuniarum summa collata, quæ reparatæ libertatis pretium fuit.

Prolegatum Auenion. capiunt

Pretio redimitur.

Vigesimo quinto Septembris tormentis in obuersa rebellium munimenta fulminantibus perducti ad semilunare Carmelitarum vallum aggeres, postridie verò maior vrbis machina, quam saltatoriam appellabant, cùm in obsidentium castra dirigeretur, libratoris inscitiâ in munimentum haud longè positum pilam emisit, quæ inde magno cum fragore resiliens in finitimum puteum tanto cum impetu desilijt, vt anguillam trilibrem, exploratum enim pondus fuit, è fundo in sublime extulerit, Collongio vrbis præfecto muneri à præsidiarijs data, accepta hilariter est, ac simul in omen versa, non irrita fore obsessorum tela, quæ ijs annonæ aliquid saltem piscatoriæ suppeditarent.

Anguilla machinæ glãde puteo extrahitur.

Obsessi auxiliares euocant.

Incalescentibus acriùs mutuas ad cædes ex vtraque parte militibus, vallisque propiùs vrbem admotis, regijs tandem cedendum viribus intellexerunt obsessi, ni promptum festinaretur auxilium: quamobrem armatos mille vicenis è montibus euocatunt; iamque tacitè pressoque vestigio insidiantium more Monspelium versus adrepebant, cùm occultas eorum techuas è Monferrandensi castro suo deprehendit Petrus Fenollietus Monspeliensis Antistes, quod cùm edito confestim signo Regijs significasset: nec mora mille circiter bellatores præmisi, qui hostibus vltra progressuris obsisterent, quos

deprehenduntur à Præsule Monsp.

ponè Rex ipse sequutus est flore nobilitatis stipatus iamque obuiam rebellibus procedebat, cùm hi seu reuerentia Maiestatis perculsi, seu conspectis equitum signis perterriti, alij aliò confusis ordinibus dilapsi sunt, ac per montium auia, præruptasque rupes, latebras indagantes iustæ se Regis indignationi subduxerunt, qui contundendæ validius rebellioni, vicenis iisque maioribus tormentis obsidionalem instructum adauxit, tum procurrens è fossa vallum inuadi mandauit, quo post productum ad noctem vsque certamen à regijs occupato, ad intima vsque vrbis munimenta retrusi fuere rebelles cæsique ex iis non pauciores centenis, & de primoribus ciuitatis nonnulli, cùm interea continua pilarum grandine obiecta vrbis mœnia quaterentur.

Rex contra eos pergit. *Terga vertunt.* *Caeduntur.*

Inclinato in finem Septembri mutuis, vt antea, displosionibus ex vtraque parte sæuitum; & tametsi ventorum imbriumque vis magna iustam armorum cessationem allatura videretur, certatum tamen longè ferociùs, perinde quasi irato in speciem cælo, crebrisque personante tonitruis irasci iure liceret. Calendis Octobris, tum proximo, qui sequutus est die, vix dum adulta luce, solito grauior inchoata verberatio, quingentique ferreorum globorum numerati sunt iactus; exin inauspicatæ regijs aggressioni quarta post meridiem hora delecta, conceptam enim vrbis per subterraneos cuniculos intercipiendæ spem ludificarunt acti ex aduerso ab hostibus furnuli, quo tempore dehiscente humo regiorum complures obruti, obtritique, alij alio mortis genere mortalitatem exuerunt. Præter gregarios complures, Ferronus, & Bordetus desiderati, in Nauarræa legione centurionum munere functi, cæsus præterea tormentaria glande Castronouanus in prætoria excubiarum cohorte præfectus, Guitautus item in Pedemontana, nec non Rupilaureus qui diu in Venetorum castris meruerat; quo tempore fœminæ perinde ac colus imbecillique sexus oblitæ non pertinaciter minùs, quàm strenuè depugnarunt reuinctis enim altè togarum lacinijs, galericulis aut galeis capita tectæ, densis, horrentibusque verutis instructæ Amazonum instar aduersus hostes emicabant intrepidæ, nec si quid aduersi bellica sors pareret, muliebriter lamentantes. Non silentio prætermittendum id est, è quo liquet quam acre propagandæ vitæ studium mortalium vnicuique natura indiderit, è senis Nauarrææ legionis militibus captis, ternos necarant obsessi; qui reliqui erant, arreptâ, cùm segniores agerentur excubiæ, fugiendi opportunitate, salutem suam

Infausti regiis cuniculi. *Pugnantium fœminarum ardor.*

Nn 2

Fugit miles cadaueri illigatus.

silentio expedierunt, quorum vnum cæso socio colligatum, trahentemque ferale illud pondus, & cum eo properantiùs incedentem demirati sunt non pauci, intellectumque quantumvis grauem molestamque sarcinam, leuem iucundamque videri declinantibus mortem.

Protrahebatur vltra comunem Regis, regiorumque expectationem Monspeliensis obsidio, instabatque hyberni temporis rigor bellicis parum aggressionibus opportuni; gliscentibus insuper autumnalibus morbis fatiscebat maior exercitus pars, intestinis huiusmodi hostibus citiùs longè quàm extraneis ferro licet grassantibus atterenda. Rex ne sine operæpretio aliquo tot militum, ductorumque cæde coempto inhonorus abscederet, statuit omnino quidquid vspiam virium colligi posset, in pertinaces effundere; igitur per Lesdiguierium apud Delphinates agentem, & Vindocinensem Toparcham auxiliares festinari copias iubet, parent illi continuò, quæque sibi mandata fuerant, ipsa etiam Regis expectatione properantiùs exequuntur; quæ res ingentem sanè trepidationem hostibus attulit, præsertim cùm nouo hoc bellatorum delectu circunvallata vrbs fuerit, quæ tutum antea ciuibus cunctis effugium magna sui parte præbuerat, quare de mittendis pacis oratoribus deliberant, idque vt citiùs assequantur, Rohanium, cuius antè consilia togæ socia repudiarant, in pacis sequestrum, & promotorem arcessunt. Adfuit hic continuò, subsequutus postmodum Lesdiguierius, quem pacis leges proponentem refellebant nonnulli, Regi regnoque noxiam fore pacem augurantes. Repugnabat his Lesdiguierius, pacem non modò vtilem, sed & necessariam esse affirmans, in hunc ferè modum præfatus.

Augentur Regis vires.

Vallatur vndique vrbs.

Territi hostes de pace deliberant.

Quæ suadetur à Lesdiguierio.

Ego, si priuatis rebus meis apprimè consultum vellem, bellum paci, qua de nunc agitur, anteponendum esse pronunciarem, cùm indulta mihi à Rege Comestabilis dignitas non nisi turbidis bellorum temporibus efflorescat, mei siquidem muneris est bella regere, sua cuique munia cum æquitate partiri, regiamque dispensare pecuniam; verùm si remoto priuatorum commodorum affectu publicam attentiùs vtilitatem expendero, è fundata ritè pace in cunctas Galliæ prouincias extremosque regni fines dimanaturam, non possum non amare, curareque pro viribus pacem, cùm, quod vniuersum regnum obturbat, ciuilibus tantùm proficiscatur è bellis. Certè quidem pacem bello potiorem esse tametsi nemo vnus è priscis autoribus admoneret, experientia satis constaret, nihil ea nobis cunctisque nationibus expe-

tendum magis; nam si quę per bellicos huiusmodi motus effrenemque militum prædandi licentiam in Galliam totam importata sunt damna, attentè quis reputet, peruastatæ statim occurrent prouinciæ, direptæ Vrbes, expilatæ familię, pollutæ profanatæque Cælitum ædes, innumeræ strages editæ, infinitæ sine discrimine sontibus, insontibusque clades illatæ. Quis calamitosæ Galliæ quæ nunc est statui non ingemiscat, eam si cum florenti quondam Galliæ fortunatæque componat, cuius species non tam hodie Videtur, quàm legitur scriptorum Veterum literis consignata? De cladibus nostris cùm gentes pl ræque tum Austriaca præsertim triumphat familia, casibus nostris altiùs erigitur, Gallos postmodum ciuilibus bellis exhaustos aggressura. Sed quid, oro, bellum extrahimus? an Vt Regem agnoscant subditi, eiusque iugo ceruicem inflectant? age Verò nonne ad maiorem impendendum Regi cultum pacis tempus inducet? quo pernicaces remollescent animi, & in debitum Principi suo obsequium haud ita magno labore flectentur. Præterea cùm fœdior instet anni totius tempestas continuandis martis laboribus parum idonea, cum omni bellici apparatus genere Monspeliensis instructa sit Vrbs, conducibilior profectò pax erit ad deditionem eius extorquendam, quàm bellum proritaturum tantùm animos, iisque maiorem audaciam additurum.

Hæc Lesdiguierius ad omnium ferè vota congruenter elocutus, quo tempore Condęus in Italiam religione voti obstrictus proficiscitur, sacram Lauretanæ virginis ædem aditurus, non externis modò prodigijs, sed occultis etiam erga Marianos clientes beneficiis nobilem; in hoc autem Magnæ Matris domicilio Angelica legatione, Christique IESV conceptione inclyto hauserat fortasse Serenissimus Princeps pium hunc in Dei Genitricem affectum, cuius luculenta tum potissimum dabat indicia, cùm diuino astans Missæ sacrificio precatorias in eius honorem corollas incredibili pietatis sensu decurreret, suauiareturque continuò. Suadenti pacem Lesdiguierio haud difficulter assentiebatur Rohanius, tum quia nulla subsidij spes reliqua videbatur, tum quia Iacobus Angliæ Rex pacem quoquomodo & quibuscunque conditionibus pactam bello præhabendam esse censuerat. Præterea infinitis propemodum sumptibus ad extrahenda bella suppeditatis, vix quidquam sectæ supererat, quod in militare largiretur stipendium: alia insuper atque alia suggerebat Rohanius sanciendæ paci profutura, quæ in memoriali ab se

Condęus in Italiam pergit.

Pius erga Deiparam

Pax suadetur ab Angliæ Rege.

lucubrato libello fusiùs enarrauit. Cùm de pacis legibus vtrinque consultaretur, suauissimum eius fructum concessis inducijs prælibari Rex voluit, quibus per Ionuillæum Principem significatis, regiæ nobilitatis pubes cum hostibus mixta protinus ab armorum terrore ad hilaria vertit, moxque Annonarij mercatores varij generis esculenta exili admodum pretio diuendenda ad Iuuenalium vsque pontem Ledo fluuio impositum aduexerunt; hinc splendidè, comiterque vesci cœperunt cyathosque largiùs exsorbere, qui mutuum haud ita pridem sanguinem incredibili cupiditate sitierant; adeò suauiter vel ipsa pacis exoriturae spes in animos influit, vt interna quæque odia & simultates omnes momento extinguat.

Induciæ datæ.

Commune omnium gaudium.

Quia temporariæ tantùm solent esse induciæ, breuisque ferro quies indulgetur, vigentibus adhuc, aut crescentibus etiam partium odijs, Rohanius Lesdiguierium adiens ductiles Monspeliensium ad Regis imperia paratosque ostendit animos, si veram, si toties expetitam ab omnibus pacem commodaret; exin Monspelium profectus, vrbem diuturnis belli cladibus fatigatam, pacemque enixè postulantem inuenit, quam tandem, saniora deinceps consilia Regi pollicitus, exorauit. Non dubito quin hæc Magnæ Matris auxilio, quæ Principem Pacis mundo peperit, coalita pax fuerit, nam cum ipso die, vt antea dixi, circumuallari vrbs cœpetit, qui Christiparæ sacer est mirabilium operum effectrici, continuari diutius clades in mancipata sibi ciuitate non siuit misericordiæ parens, rebellantes sibi Christoque IESV populos malè perire non sustinens, expectat videlicet, dum exitiales Caluini errores deponant, dum quæ destruxere templa restaurent, in vnam demum fidei religionisque societatem coalescant.

Rohanius pacem petit.

Indulgetur.

Ope Deiparæ Vrbis Patronæ.

Tametsi multarum vtilitatum ferax pax esse soleat, aderant tamen non pauci qui hanc inconsultè; addam & fraudulenter à Rohanio procurari suspicarentur, quamobrem Cassianum illud identidem vsurpabant effatum, *Cui bono fuerit*, dolumque aliquem sectæ noxium haud absque proposita sibi mercede ab illo parari circulis passim in omnibus querebantur; quorsum enim (vt aiebant) dites, pollentesque reformatorum ab eo exinanitæ prouinciæ? quorsum, quod dolentiùs longè querimur, eorundem corpora quotidianis regiorum telis obiecta? nonne vt intactam ab omni superstitionis macula religionem seruaret? & tamen abiecto illius, communisque salutis defendendæ studio, intempestiuum nunc cum Rege fœdus mo-

Sparsa in Rohanium conuitia.

litur, turpis auaritiæ proditionisque sordibus se se inquinat, nihil alioqui de fama sollicitus, dum ingentem pecuniarum vim, quæ proditoris est pretium, corradere, & in rem suam conuertere possit. Hinc mussare complures exturbandum ex hominum societate proditorem nequissimum, instandum armis violentiùs, consultius longè omnibus fore in ipso præliorum æstu decoris consauciari vulneribus, honestoque fato defungi, quàm infamibus reorũ patibulis fixos putere patereque in immanem coruorum saginam. Hæc expostulabant rebelles non pauci, obijciebantque constitutas pacis leges nunquam illibatas seruari, hamorum eas instar esse, quibus irretiti teneantur debiliores vni. Rohanius hæc quanquam in se cusa non ignoraret, haud inertiùs sibi sectarijsque pacem accurabat, præteritorumque veniam, quam Marescallo Crequyo ductore regium in conclaue admissus obtinuit, frugem deinceps pollicitus. Actum postmodum de conditionibus pacis, quarum præcipua hæc fuere capita, vulgato comprehensa edicto, quibus adiecta est præfatiuncula, quæ regiæ verè benignitatis est index.

Veniam à Rege impetrat.

Ludouicus Dei gratia Galliæ & Nauarræ Rex, &c. Quam molesta sit Christiano Principi cruoris humani profusio, inde maximè liquet, quòd cùm sit ipse perfectior supremi Numinis effigies, non potest nisi grauiter ferre alias atque alias diuinitatis icones reliquis in hominibus, expressas proteri, comminuique. Hæc cùm è ciuilibus potissimum bellis humana clades emergat, dubitari non potest, quin idoneæ omnes conciliandis inter se animis conquisitæ hactenus fuerint, adhucque conquirendæ sint viæ. Testem appello Deum, cuius imperio subsunt, qui populis imperant Reges, nos nisi grauissimis iniurijs prouocatos ad hæc arma descendisse, contrà verò sectariis à nobis benignè, indulgenterque semper, & in omnibus factum; nam edictis eorum in gratiam olim conditis nunquam obsistendum esse duximus, cauimusque diligenter, ne antiqua eorum rescinderentur priuilegia, nascenti malo ne latiùs in extremam regni perniciem serperet, occurrimus, verùm crebris experimentis edocti lenibus curationibus irritari potiùs malum, quàm amoueri, arma diu multùmque reluctantes armis opposuimus, hoc est iniquis iusta, pia sacrilegis. Et debuerat sanè grauissimis pœnis Monspeliensis castigari rebellio, ni Regum esset omnium indulgentiùs agere, quàm seueriùs, patrumque potius, sustinere personam, quàm vindicum. Quamobrem volumus, & pro potestate diuinitus nobis concessa iubemus, vt Nan-

Conditiones pacis.

neticum edictum sanctum illibatumque sit, quæque sequuntur capita stent suo robore semper, nullius rei obtentu violanda deinceps.

Et quia in vna veraque religione sita est humanæ vitæ quies & tranquillitas, eius restituenda sunt munia, ritusque non per Galliam modò vniuersam, sed extra Galliæ fines reuocandi cunctis scilicet in locis dominatio i nostræ obnoxiis Decimæ nec non prouentus alii ecclesiastici legitimis eorum possessoribus asserendi. Sectariis concedimus vt sectæ suæ iis locis ministeria obeant, vbi alias illis integrum fuit, iisdem iudiciale forum permittitur, vectigalium, edictique cameræ. Propugnacula recens ab iis in vrbibus condita volumus deiiciantur in planum, nullique liceat in municipio suo muros, aut alia huiusmodi munimenta extruere. Et quia Christianæ reip. perniciosa ferè sunt eorundem comitia, quippe roborandis tantùm destinata factionibus, iure interdicuntur à nobis, stare tamen permittimus cœtus illos, quos consistoria vocant; vbi de morum emendatione disceptant, restaurandaque Ecclesiarum suarum disciplina. His addita præteritorum obliuio, Regis in amicitiam hostes recepti, pleraque alia ad demulcendos rebelles clementer indulta.

Datis, acceptisque pacis conditionibus reliquum esse videbatur, vt debellatam Rex vrbem viseret, partaque tot laboribus coràm perfrueretur victoria; quamobrem in consulari basilica de ordinando eius ingressu disceptatum, decretumque, vt è prætorianis cohortibus binæ rantùm præmitterentur in vrbem. Verùm cùm non validum satis foret præsidium, ac robustiore longè custodia communienda vrbs esset, quippe ciuium multitudine affluens, nec factiosis omnino, factiosorumque concitatoribus vacua, statuendum necessariò fuit, vt legio tota sub quaternis signis vrbem iniret. Nec mora Heluetij, cæteri que prætoriani custodes cum Comestabili & Espernonio vrbem ingressi pro portis munimentisque stationem agere iussi; apud Catholicos & sectarios indiscriminatim lecta victoris excipiendi militis hospitia, Calongus vrbis præfectus comitantibus proceribus aliquot Regem adiit, ac supplicum more eius ad pedes affusus non tam purgauit, quàm accusauit præterita, indignum contestans se esse, cui indulgenter fieri deberet, nisi talis Rex existeret, vt in pertinaces inexorabilis, ita & erga supplices benignus, & comis; grauioribus condonandis sceleribus Regiam splendidiùs emicare clementiam, quàm si leuibus tantùm peccatis ignoscat. Hæc & alia coram Principe præfatus aut verè gemens, aut gementi similis, quam fieri sibi postulabat, veniam exorauit.

Regiæ cohortes in vrbem intrant.

Calongus veniam obtinet.

Hunc.

Hunc proximè sequuti sunt Consules cum sui magistratus insignibus, ingentique prosequentium agmine, praibat apparitorum turba versis fascibus, tum primarius prolocutus est Consul exsanguis atque æstuans, orationem sæpius abrumpere coactus, peruadente ad cordis intima metu, ne ab regijs pedibus probrosam raperetur ad furcam, pudendoque mortis genere obstinata, quam in vrbe fouerat, plecteretur rebellio. Atenim complexa quoque est illum, quæ ad omnes sparsa iam erat gratia. Vrbanæ deinde Regis in manus traditæ claues, inuitatusque comiter est, vt vrbem ingrederetur duplici nomine suam; Vota pro eius incolumitate concepta. Hæc autem extra vrbis pomœria, cùm admissum in eius septa Comestabilem cuncti ciuitatis Ordines salutatum venirent. Præsidialis curiæ nomine perorauit Isaacus Joubertus Decanus, inter Senatores Catholicus solus; mirum sanè, hominem collegas inter heterodoxos Romanæ vsque adeò fidei retinentem extitisse. Vir erat antiqui moris, pietatisque eximiæ, quam ad obitum vsque colere instituit centenarius, aut centenario maior, in effœta illa ætate non indulgentior sibi, quàm in virili, solitus cùm in aliis benè multis, tum in lecto præsertim austerum aliquid consectari, cannabino facco inculcata palea distento cum vestibus incubans, adeo mollitiem corporis auersabatur, vt indultam à natura reficiendis viribus quietem inquietam efficeret; cùmque postremo, quo sublatus est morbo, vnus aliquis Capucinum, non verò senatorem genus hoc strati olere dixisset, haud (inquit) probro mihi vertet hæc æmulatio, vtinam reliquas piorum cœnobitarum virtutes imitando assequerer. Obijt anno 1658. æqui rectique studiosissimus, diu terris relictus in luculentum probitatis, tolerantiæ Christianæ, aliarumque virtutum exemplar. Interea remigrabant in vrbem Catholici, quos furentium hostium rabies tutiora in loca compulerat; mulieres muros tum vrbis conscendere regiorumque cominus castra spectare nihil veritæ sacra quodammodo canebant, pacem pacisque non en tanta gestientis mentis lætitia gustantes regustantesque, vt conceptum è recentibus suorum funeribus mœrorem omnem abstergerent.

Consules Regem salutant.

Et Iobertus Comestabilem.

Eius Virtutes.

Redeunt in Vrbem Catholici.

Pauca hæc de Monspeliensi obsidio è memorialibus nonnullorum tabulis excerpsi; quorum fidem astruent, qui superstites adhuc viuunt non pauci, qui turbidum illud tempus in tranquillum iam aureumque mutatum iure lætantur. Non omnes stylo expressi tum Duces, tum Centuriones qui post diurnos nocturnosque hoc in ob-

filio strenuè consumptos labores decora morte perfuncti Cælitum in chorum demigrarunt; commendatione siquidem nostra non indigent, quibus tam gloriosè factum, tamque feliciter; ijs tamen pro cupressis lauros posteritas aggerat, & quia Gallos fuisse constat, eorum tumulos gallicorum liliorum flore condecoret.

Rex vrbem ingreditur.

Superest nunc vt de magnifico Regis in vrbem ingressu nonnulla dicamus; contigit is vigesima Octobris die, huius autem ad conspectum renouata momento est totius ciuitatis facies, lugubribus enim positis, ad nouam se se, ac nunquam antea delibatam iucunditatem composuit; nam quæ foris plerumque timetur Maiestas, ea si propiùs accesserit, Solis instar benignitatis suæ radijs contuentium omnium mentes exhilarat. Ad hanc inuisendam, cominusque contemplandam accurrere varijs è ciuitatibus innumeri, Tum passim exaudiri mixtæ tubarum clangoribus Catholicorum acclamationes, mugire omnia repetitis tormentorum fragoribus, ingeminari ab omnibus vota, vt valeret Rex semper, vt vinceret, vt triumpharet, vt Henricos magnos fortitudine, ut Ludouicos auos pietate superaret; Ille

Eius modestia.

mortalium rerum ludibria, inter effusas illas fausta comprecantium voces reputare, quidquid prosperè feliciterque gestum esset vni referendum Numini commonstrare; singulare Dei munus esse armorum felicitatem, sequutamque ex ea victoriam; eiusdem esse non hostium tantùm corpora expugnare, sed quod longè operosius, mentes; huic igitur vni debitum esse apparatumque triumphum.

Et mæror ob dirutas ædes sacras

Vix vrbem inierat, cum locum aliquem à sacrilegis hæreticorum ritibus intactum exquirendum iussit, grates victoriæ largitori Deo debitas inibi relaturus; at cùm nullibi starent Cælitum ædes, vnæque sacrarum huiusmodi ædium parietinæ restarent, vt hæreticæ feritatis, ita & auitæ Monspeliensium pietatis indices, ingemuit plurimum Rex ob proscriptum à sacrilegis Numen; tum recta in Agellij Præsidis ædes processit prosequente hominum multitudine, atque vt sospes æternùm ageret, mixtis certatim vocibus acclamante. Actum deinde de altero sectariorum templo Caluinianis erroribus expurgando, Romanæque religionis vsibus addicendo, tradendoque Catholicis.

Deliberatur de templo sect. Catholicis dando.

Atque vt id fieret iusta sanè, vti videbatur, suberat ratio. Hæretici, quia quidquid religiosum in vrbe fuerat impiè, sacrilegéque dissiparant, templa Cælitum euerterant, postulabat æquitas, vt ingentia illa Deo religionique importata damna templi sui deditione

farcirent, maximè cùm in illo Baiuli (vt vocant) curia erecta quondam fuisset, extructumque facellum, iamdiu à Caluinianis pollutum, euersumque. Addebant aliqui laxum satis & opportuno vrbis loco situm esse templum, ac proinde parœcialibus obeundis muneribus maximè aptum. Tum ne quis quid contra obtenderet, de sectariorum templis in sacras Numinis ædes commutandis præiudicatum iam esse, Lunellensium, & Sumedriensium templa Catholicis ritibus à Condæo Principe destinata iam esse, quorsum ab hac imponenda iure mulcta Rex Monspelienses eximios præstet, si paria, ij imò & si grauiora quàm Lunellenses deliquerint, si in vrbanis expilandis templis non remissiùs egerint, si in exturbanda Romana religione segniores nunquam operas collocarint, si tanto ferociùs grassatos eos esse compertum habeatur, quantò plures extabant Monspelij religiosæ huiusmodi domus, in quas armatus rebellium debacchatus est furor.

Hæc quanquam plena æquitatis sapientissimorum virorum arbitria labefactauit politica ratio nescio quæ, Catholicis hactenus incomperta. Igitur, ne regis aulicorumque votis diuturnior mora fieret, mercatorum aula Comestabilis iussu in temporarium facellum erigitur, ara præproperâ Sacerdotum manu extructa pretiosis scitè peripetasmatis conuestitur, appenduntur sacræ Cælitum effigies, tum denique vigesima secunda mensis Octobris die instaurari cœptum augustissimum Missæ sacrificium. Explicari vix potest quantam hæc res Catholicis omnibus iucunditatem attulerit, quanta religioni facta accessio, dum pulsus repulsusque cum ignominia Christi cultus peractis religiosè sacris reuiuisceret, dum sublimis hæc Hostia, quæ optatum hostilibus bellis finem imposuerat, cumularet bonos omnes cælestibus donis. Exin decantato musicis numeris gratiarum hymno solennis est instituta supplicatio, in qua Regem Regum sub specie panis latentem per ornatas pretiosis tapetibus vrbis vias ab Episcopo Cæsariensi circumuectum accenso cereo, nudoque capite prosequutus Rex est. Vmbellam holosericam intertextô rigentem auro gestarunt Lesdiguierius Comestabilis, Catholicus iam factus, Mommoranceius Dux, Espernonius, & Marescallus Praslinus. Per singulas progredientis pompæ vias Christo cordium triumphatori certatim applausum, Regem gloriæ Dominumque virtutum, effusus hac illac venerabatur, adorabatque populus in amicam olim sibi vrbem, ac Magnæ ipsius Parenti consecratam regia religiosaque cum pompa redeuntem.

Mercatorum aula in sacellum vertitur.

Sacra in ea peracta mysteria.

Supplicationi Rex & magnates intersunt.

Singulis annis instauratur.

Instauratur singulis annis pia hæc supplicatio, magnaque hominum frequentia vigesima mensis Octobris die celebrari consueuit, tam ingentis enim muneris cælitus Monspeliensibus dati cùm sancita pax est, nunquam obliteranda memoria, maximè cùm ad id vsque temporis eius indultæ commodis, hoc est mirabili otii tranquillitate Catholicis hæreticisque frui licuerit; tum restituta vis legibus, senatui majestas, debitumque Regi obsequium, qui non tam de partæ letus victoria, quàm de restaurata pace, qui locupletissimus est victoriæ fructus, postridie huius diei, qua ingressus est vrbem, extructos recens ab obsessis aggeres, semilunaria valla, cæteraque vrbis munimenta curiosè lustrauit, reperitque militari ex arte pereleganterque descripta, atque eo nomine peritum qui hæc omnia composuerat, dilaudauit artificem, cuncta tamen accersito senatu dirui iussit, vt suis pulsa ex arcibus procul exularet rebellio, quæ quoniam res ardui moliminis fore credebatur, longiorque necessario in exturbandis tot molibus impendendus erat labor, postulati sunt obsides, cumque pauci admodum offerrentur, plures dari Rex iussit, turbulentiores præsertim è ciuibus, præteritorumque motuum aut adiutores, aut principes; hinc ne qua sibi pernicies crearetur iure veriti, eò plebem haud difficulter perpulerunt, vt donec cuncta in planum deiicerentur mumimenta, præsidiarios posceret, qui ne qua iis in deturbandis oriretur dissensio, studium omne conferrent, quod & à Rege non inuito concessum.

Rex munimenta dirui iubet.

Immissæ in vrbem legiones ad eius tutelam.

Dirui iam cœperant structuræ recentioris arces huiusmodi, quas stare tamen optabant Monspelienses hæretici, cùm præsertim menti occurreret haud ita firmis pacem fundamentis inniti, vt facilè violari non posset. Hæc cùm identidem animo voluerent, deditionis Regi factæ pœnitebat non paucos, dolebatque iis plurimùm, quod vrbe fossis, aggeribus propugnaculisque suis destituta, reliquum nihil futurum aliud esset quàm oppidulum aliquod, aut informe collapsæ ciuitatis cadauer. Interea Picardicæ & Normanicæ legiones quaternis constantes hominum millibus Valançæo duce in postulatum vrbis mittuntur præsidium, rebusque, prout exigebat tempus, cō npositis, promulgatur vbique pax, quoque illustrius munus à Rege concessum existeret, festæ propter consularem basilicam excitatæ sunt pyræ. Interfuere publico ciuitatis gaudio primarius Iudex, Cognitor regius, Consules cum magistratus sui insignibus, læto clangore præcinuere tubicines quinque, collætati sunt Caluiniani

Pax promulgatur.

Montalbanenſes vſque adeo indulgentet fratribus ſuis Monſpelienſibus factum, ſeque data ipſis quiete perfrui feſtinatis nuncijs ſignificarunt.

Exacto Monſpelij octiduo Rex Maſſilienſem in agrum profecturus per Sanctægidianum oppidum tranſiit, inſpexitque non ſine acerbiſſimo doloris ſenſu ampliſſimi, pulcherrimique olim templi rudera hæretico iam furore diſiecti. E' ſemirutis eius columnis, epiſtiliis, aſtragalis, Zophoris, ſcapis, concamerationibus, de antiqua totius operis elegantia, coniectate facilè licet. Nempe non vno ſe ſe cohibuit loco ſacrilegorum rabies, ſed in Gallicas omnes prouincias diſiectis vbique Cælitum ædibus latè peruaſit. Quanto æquiùs ſapientiúſque cuncta rebellionis propugnacula Valancæus Monſpelii dirui iuſſit, vt præteritæ rebellionis memoriam expungeret.

Rex Sanctægid templi rudera mæſtus aſpicit

Quæ autem hac in vrbe pax egregiè ſtabilita videbatur, ab Hæreticis Carantoni, vbi comitia ſua indixerant, diſſoluta propemodum eſt; codices enim concinnarunt aliquot iniquis omnino poſtulatis refertos; in quibus abrogata ſibi iura dequeſti, redintegrari petebant, ac primò vt apud Monſpelienſes, quæ truncata recens, penéque extincta conciderat Conſulum autoritas, antiquo robore firmata reuireſceret, vt conſulares faſces in vnis tantùm reſiderent ſectariis, vt illinc ſublata omni cunctatione abſcedere iuberentur ſtationarij milites; poſtremò vt annua è regio fiſco promerentur ſtipendia ſectæ prædicantibus diſtribuenda, quæ, vt & pleraque alia iuri regiæque autoritatique ſuæ contraria reiecit illico Rex, non minùs clemens cùm hæc abnueret, quàm iuſtus eſt habitus; qui enim ab orantibus in orantium ipſorum cladem flecti, exorarique ſe ſinit, crudelis potius cenſendus eſt, quàm miſericors.

Iniquæ petitiones ſectarij.

Vix dimiſſus erat Carantonicus cœtus, cùm turbari cœptum eſt à ſectariis Monſpelienſibus omne gubernandi ius, autoritatemque vendicantibus ſibi. Hi priſtinæ libertatis continuatæque diu poteſtatis haud immemores extorſerant Toloſani Senatus decreto, vt æquato cum Catholicis numero conſulatum gerere permitterentur; & quia nullos ſibi figit ambitio terminos, quibus ſepta teneatur, ſed ad altiora ſemper aſſurgit, totum mox conſulatum ambire cœperunt, atque vt quod neque vi neque iure aſſequi poterant, clancularia in id fraude irreperent, calendis Martij, quo menſe noui creari ſolent Conſules, in vrbana coeuntes baſilica, remotis arbitris omnibus, Catholicis præſertim, ſenos è ſecta lectos conſules dicunt. Vix electionis

Turbas excitant.

Conſules creant.

Reiiciuntur;

iniquæ nefas eruperat, cùm inexpectatus adest Valancæus, castigatisque, vti par fuit, temeritatis huius autoribus, autoritatis regiæ interpositu iubet nouis his abrogatis Consulibus alios consueto more delecto, substitui. Illi vociferari continuò, expostulare certatim, nihil admodum causæ affirmare, cur iteraretur sortitio, cùm quæ facta iam erat, expers omnino vitij foret; non prudentiores vspiam reperiri viros, quorum in humeros maiori cum securitate Monspeliensis reip. moles incumberet. Ad hæc Valancæus (vti decebat) immotus, flectique nescius, sopitis altercantium motibus nouum iterum Consulum delectum fieri iubet, præualuit iustum eius imperium inanibus quiritantium minis, statutumque vt mixta pro vtraque parte sortitio fieret, ita tamen, vt cuilibet Consulum pari præiret semper Catholicus. Nec mora Baroni Castrio primarius delatus est honor, cui priores, & nobiliores inter curas, reuehendi in Consulare sacellum Ecclesiastici cultus peracre studium fuit, vnde sexaginta totos proscriptus fuerat annos.

Noui eliguntur.

Castrius Baro primus inter Consul.

Rebus sic è Catholicorum voto compositis splendidiùs solito Romana promicabat religio; rebellio verò, ne quaclanculum in Vrbem Regis obsequio mancipatam irreperet aduigilabant diligenter stationarij milites. Sed cùm magno numero censerentur, ägerentque interdum licentiùs quàm ferret ciuile cum vrbanis commercium, cúmque parandis iisdem commeatibus premi se nimium, ac penè opprimi Monspelienses expostularent, per ciuitatis totius primores ad Regem delegatos arcem postulant intra vrbis septa locandam, affirmantque hoc se malle fræno comprimi, quàm sparsos vndique præsidiarios, incompositosque militum mores sustinere diutius. Vix communibus omnium votis Rex annuerat, cùm primarius in arcis huius fundamenta eo ipso loco iactus est lapis, in quo Sandionysianum propugnaculum fuit, regijs, vt suprà ostendi, fatale. Nempe vbi contumacior insultarat rebellio, validioribus cohibenda erat remedijs, ac ne perniciosior adhuc irrumperet, forti murorum ambitu circunuallanda. Ingens ciuium, aliorumque multitudo ad id loci confluxit, pompam illustrauit Mommorancius Occitaniæ Prorex, adfuit & Petrus Fenollietus Monspeliensis Antistes vir dicendi artifex, qui arcem illam perpetuam Vrbani otij, publicæque tranquillitatis sedem fore scita, quam habuit oratione, præsagijt, Hic idem, cùm regijs viribus prostrata essent hetorodoxorum ciuium corpora, eorundem animos expugnandos sibi reseruauit,

Monspelienses arcem petunt.

Construitur.

Pompæ Magnates intersunt cum Præsule.

quæ cùm cæteris difficilior longè sit pugna, ita quæ hinc emanare solet victoria splendidior. Compertum est eius impulsu, miraque ac singulari facundia prouocatos prauum hæreticorum dogma eiurasse non paucos; quos inter clarissimi totius vrbis primores censentur, transiitque feliciter ad eorum hæredes Romana, quam suscepere, religio.

Qui multos Catholicos facit.

Obstrepebant cælesti doctrinæ ab erudito Præsule traditæ nouitiorum errorum satores præcipui Bancilionus & Faucherus, hic Nemausensis, alter verò Aquamortuensis Minister; indignè ferebant præripi sibi vnius duntaxat hominis alloquio non cultores modo sectæ studiosissimos, sed & eiusdem tutelares, & quodammodo Deos, telisque è Caluiniana schola depromptis Præsulem armis veritatis instructum impugnare decreuerant, sed in ipso disceptationis procinctu, cùm vtraque ex parte instandum acriter foret, in repentinam, pudendamque fugam conuersi, Fenollieto laurum nullo præuio certamine reliquerunt; quæ res incredibiles in sectarijs motus, & mutationes effecit, nouæ religioni fucum inesse non malè suspicantibus, cùm ad eam explicata fronte propugnandam prodire minimè sustinerent defensores eius primarij. Non factum satis erat Catholicis, tametsi Romanam fidem in locupletissimos vrbis Magnates diffusam, ab iis verò in plebeiorum mentes propagari viderent, nisi ad eam firmiùs stabiliendam certis defixa locis monumenta starent aliquot; quamobrem ad Canorgam, seu veterem Canonicorum domum, ciuilisque conuentus prætorium Dominicæ sunt cruces erectæ, vt æterna sectarijs probra futuræ, ita & trophæa sempiterna Catholicis.

Sectæ Ministri religionis pugnam detrectant.

Erectæ in Vrbe Cruces

In varijs etiam vrbis compitis castissimæ Dei Genitricis collocatæ sunt icones, vt in mancipata sibi ciuitate, quam innumeris propè flagitijs deformauerat hæresis, hæreseon cunctarum expultrix potentissima triumpharet. Extant adhuc huiusmodi Dei, Deique Parentis imagines, ac frementibus quantumvis hæreticis à prætereunte illac populo debita veneratione coluntur. Quam etiam magnam Christianorum matrem Præsul optimus vt in vrbis, sicut olim fuerat, tutelarem ascisceret, vrbanis eam insignibus excelso in solio confidentem imposuit, vnaque IESVM infantem materno quiescentem in sinu. Quapropter mirabitur nemo si omnis rebellioni præclusa iam via fuerit, continuisque pacis perfruantur muneribus Monspelienses Catholici, cùm tales tantosque tutelares ambierint. Do-

Et Deiparæ Icones.

Eiusdem Imago Vrbis insignibus impressa. luit plurimùm antimarianis sectæ cultoribus in antiquum insignium suorum apicem Dei Genitricem euehi, vnde eam per imm .ne sacrilegium deturbarant orbe suo contenti, qui vrbanæ tantùm pars est tesseræ, orbis verò moderatrice reiecta, expunctaque epigraphe verbis istis conce pta. *Virgo Mater Natum ora, Vt nos iuuet omni hora.* Valancæus dum hæc Cælitum signa suis quæque loculamentis aptè collocanda curaret, in hæreticorum nonnullorum odia incurrit, perinde quasi Romana reuecta religione nouam reformatorum sectam proditum; ac omnino perditum iret; iamque per ora vulgi increbrescebat sermo iste vrbanam à Valancæo libertatem expelli, gemere ciues omnes militari veriùs licentia diuexatos, quàm præsidiariorum patrocinio tectos; quid non contra virgines, matronasque nobiles à nequissimis castitatis hostibus attentatum? perpetuis cas post illatum sibi probrum indulgere lamentis, vindicaturas ferro corpus, tametsi culpa abfuerit, nisi barbaram hanc vim vera, quam profitentur, inhiberet religio.

Queruntur sectarij. Cùm hæc palam quererentur, & in apertam omnia conspirarent vindictam, Rohanius proficisci maturat in vrbem priuatæ publicæque rei consulturus, cunctaque sublaturus dissidia. Apropinquanti præmissi à Valancæo nobiles aliquot, vnum id rogaturi, vt ab adeunda vrbe præteritis nondum motibus libera abstineret tantisper; *Rohanius inuito Valanc. Vrbem init.* cumque spretis horum precibus vltra semper tendere perseueraret, grauiores contumaci minas intentant, ridere ille huiusmodi verborum terriculamenta, quasi nihil sibi gloriosum facinus aliquod molituro moram facere posset. Vrbem ingressum salutatum statim veniunt Magnates omni ex ordine lecti, prehensant eius genua, per diuina cuncta humanaque obtestantur, ne cùm vrbem inierit penè *Salutatur vt Patronus.* perditam prostratamque, atroces ob pactam Regi fidem persoluentem iam pœnas, atrocioresque daturam, huic solatii aliquid impertiri grauetur; protegat autoritatis suæ clypeo reformatæ religionis amatores, meminerit fœderis ab eis cum Rege initi autorem se extitisse primarium, exemplo suo præiuisse cæteris reformatis, nihil nisi eodem impulsore susceptum peractumque, hunc vnum vrbanæ libertatis, salutisque præsidem semper habitum; tueretur igitur magnum illud & illustre decus, quod benè semper de socijs merendo peperit sibi; non ingratam vtique fore sibi pacem, quam eius consilio, iussuque admiserunt, nisi sancitas illius leges tanquam leues aranearum telas difflarent Regis aulici, bellicarumque rerum administri.

Magni

Magni tum Massanas in ædes, quo Rohanius diuerterat, acti sunt ciuium sectariorum concursus; audiebantur vndique mixtæ tum lamentantium, tum comminantium, tum execrantium etiam voces; ad Ducis sui conspectum exardescebant acriùs factiosorum iræ; vires opesque Rohanio pollicebatur Caluiniana; quę circùm erat nobilitas; stabant pro Valancæo præsidia per varios vrbis vicos disposita, ipse verò fidens animo, pristinæ conscius virtutis, ac centurionum, quos fortissimos legerat, auxilio nixus, Rohanij vadit in ædes, quasi debito vrbanitatis perfuncturus officio; interque mutuas salutationes, militari domum custodia sepit, hortaturque vt ab vrbe confestim excedat, donec intemperantiores populi resederint æstus. Rohanius nihil esse causæ respondit, cur se ad maturandum discessum magnoperè inuitet, contrà verò innumera propè obijci sibi, quæ vt diutiùs in vrbe commoretur non modò suadeant, sed & tametsi multùm reluctantem impellant; cùm enim præcipua deditionis vrbanæ capita labefactari contingat, mei (inquit) muneris, est hæc vt integra conseruentur omnem adhibere solertiam, neque enim fas esse puto, vt quam in pacis leges vrbem iurare compuli, quam tanquam mihi desponsam fouere nunquam destiti, incustoditam hanc in hoc rerum articulo deseram; & si derelictam hanc vellem, postularer ego non cultæ satis amicitiæ, proditor vrbis potiùs quàm conseruator eius appellandus.

Valancæus nihil hac tergiuersatione commotus, si (inquit) eam, in qua nunc es, demutare mentem recusas, nihil habeo quod opponam, attamen, quia implendum est vnicuique sibi creditum munus, commune hoc vtrique est futurum hospitium; neque enim pedem hinc efferam, donec quid super ea re decretum ab Rege fuerit, certa nuntiorum testificatione resciuerim. Vix hæc eloquutus fuerat, cùm introductus silentio militum globus apparuit, ducemque circumdedit nihil tale cogitantem; hæsit ille tantisper, dolum tamen dissimulauit comminanti quàm formidanti propior, quasi securus sui, veterisque fortunæ, quæ multis expedito periculis tutum semper receptum præbuerat. Et quidem improuisis cassibus irretitum hominem demirati sunt omnes; quin & obstupuit ipse Dux, Valancæi se in potestatem incidisse, & nisi abfuissent vincula, pudendo mancipatum carceri, cui per Galliam inter insequentium agmina, inter inextricabiles insidias ac mille mortis discrimina variæ semper ad effugium patuissent viæ.

Valancæano milite cingitur.

Rohanij honesta fraude capti detentique occasione iaciebantur atrocissimi prælij semina. Nam quorsum tantæ dignationis hominem attinebat Valancæus? regiam haud ita pridem gratiam promeritum, nihil tam malignè attentantem, publicæ tranquillitatis amantissimum, cui nihil iucundius foret, quàm arctissima in discordi religione animorum concordia. Hæc passim querebantur sectarij, violatæque pacis Valancæum insimulabant; temerè fecisse hominem, qui in Ducem tantum, tam nobili Maiorum stirpe, serieque gaudentem non apertâ vi, quàm elusisset ille facilè, sed occultis grassatus fuisset insidijs, adesse iam tempus, quo si tantum habeatur impunè facinus, postrema reformatis inferenda sit clades, inchoatam iam esse à Papistis in eorum capite, consummandam olim in membris feralem tragœdiam, deplorandum infelix sæculum, in quo fallax plerumque, & insidiosa pax sit omnique bello nocentior; minùs enim læditur, contra quem apertè pugnatur, quàm per occultos cuniculos; consultius facturos se fuisse, si pertinaciùs Regi obstitissent, vrbis deditionem petenti, idipsum Montalbanensibus laudi salutique vertisse, ad quos attentiùs ante fidem Regi datam respectare debuerant, illorumque cùm religione pares essent, æmulari virtutem.

Queruntur sectarij.

Interea de conscribendis militibus pro asserendo in libertatem Rohanio fratre cogitabat Subizius, funestissimi mox prælij fomenta sparsurus, militaturâ sibi vicena Equitum millia, peditum verò quingena iaciebat in vulgus. Verùm vltra minas progredi inhibetur à Rege, qui Rohanium liberum esse iubet, adiecta hæc tamen libertati conditio, vt deinceps vrbem ingredi minimè attentaret; è qua dum exiret, honoris causa prosequutus est Valancæus. Sic omnis Catholicorum metus concidit, Rohanium perniciosum aliquid moliri suspicantium; quod si tum minimè ageret, euolutis annis aliquot machinari occæpit, quod in ipsius, totiusque sectæ damnum, & dedecus vertit; haud ingratum erit lectori, si hoc in loco rei totius seriem exposuero, cui inscribi non ineptè poterit. *Equus Frisiensis.*

Subizius armatos colligit contra Valancæum.

Rohanius liberatur.

Occupandæ Monspeliensis arcis haud ita pridem extructæ cupiditate non mediocri tenebatur Rohanius, frænum hoc pacto, quo Caluiniani fratres constringebantur, amoturus; iamque in spem aliquam eius breui potiundæ aduenerat; atque vt non aperta vi, quod non poterit, sed fallacibus dolis, quibus vtebatur non raro, irreperet, ad Baronem Meslæum Normanicæ legionis in arce ductorem

Equus Frisiensis,

Rohanius Monsp. arcē occupare tentat.

Bretignium Baronem, quem castris suis præfecerat, mittit. Hic post mutua data receptaque vrbanæ comitatis officia, quis sit, & à quo venerit apertè declarat, postulatoque semoto ab arbitris loco, ea afferri à se testatur, quæ clàm omnino haberi oporteat; Meslæus qui turpe nihil à familiari suo postulatum iri putabat, agedum (inquit) vtere solito amicitiæ iure, prome fidenter mentis arcana, caue quidquam amicum celaueris; Ille sumpta fiducia, apprehensaque Meslæi dextera, quasi datæ fidei obside, clarè missis ambagibus, remotoque omni dissimulationis fuco, inuadendæ per Rohanium arcis consilium aperit, Meslæumque ad id operis adiutorem exposcit; & quia magnæ sunt in muneribus ad prolectandos fallendosque homines illecebræ, in ijs potissimum, quibus venalis est fides, non pauca ipsi aureorum millia propediem numeranda pollicetur, principem insuper in Rohanæis cohortibus legati aut vicarij locum.

Bretignium ad Meslæum mittit.

Hic hærere Meslæus dubius animi, quid amico tam fœda petenti reponeret; an importunum hostem facessere, inque malam crucem abire iuberet, qui hominis nobilissima stirpe gloriantis nuncupatam toties Regi fidem corrumpere adniteretur; an verò factam sibi dissimularet iniuriam, opisque aliquid in speciem polliceretur, paratis sibi à Bretignio cassibus Bretignium ipsum implicaturus. Et postremum id placuit, iuuitque quorsum euasura esset fabula, obseruare curiosiùs, iubet itaque Meslæus Bretignium optima quæque sperare ab amico. Interim, quia noxia plerumque solent esse quæ silentio premuntur arcana, præsertim si contra Regis autoritatem, communemque populorum salutem conspirent, Meslæus Fossæo vrbi, arcique à Rege præposito Rohanij consilium, versurasque quibus grassari decreuerat, artes aperit, ille verò quid à Bretignio postulatum, quid hactenus à Meslæo promissum festinato ad Regem nuntio significat, à quo statim intellectum, non tutò satis credi ijs omnibus, qui veri Numinis fidem, religionemque eiurarunt, statuitque coram aulicis indecoras Rohanij fraudes fraudibus alijs, sed honestis artes uertere. Quadrimestre ferè spatium in ordienda hac tela consumptum iam erat, nihilque à Bretignio promotum. Rohanius moræ diuturnioris impatiens, per Florium Causidicum Monspelij natum ex Meslæo quærit, an qua multo antè tempore spe ponderat, ea tandem exequi in animum induceret, si tandem promissa statuisset exoluere, proximam in villam coniugem suam mittere ne grauaretur, obligatæ fidei pradem futuram. His non mediocriter offensus Mes-

Animi Meslæus in speciem.

Fossæus fallere Regi & Meslæo insidias.

Florius mittitur.

læus, rectè cœpta disturbaturum se iuratus affirmat, Floriumque procul facessere iubet. Cùm nihil extorsisset Causidicus, Bretignius iteratò Meslæum adire iubetur, cui arridens ille, commodùm huc (inquit) remigrasti Bretigni, insulsus ille causarum patronus, qui nuper ad me adijt, næ quibus potissimum illecebris allici nobilitas soleat, haud satis intelligit, hominem repuli, qui quod arctiùs mihi Deus, & natura coniunxit, postularat à me diuelli, abducique secum in obstrictæ fidei pignus. Tu verò nosti apprimè decorum agendi cum nobilibus modum, macte itaque, arcis huius deditionem post dies aliquot sperare te iubeo,

Iterumque Bretignius.

Hæc simulatè affirmabat Meslæus, credulus plus nimio auscultabat Bretignius, rei igitur exequendæ indicitur dies, admonetur Rohanius, exilit ille, & ad Sancti Hippolyti oppidum euocatis vndique copiis iter accelerat: septena, atque eo amplius armatorum millia ad auxilium accurisse memorant; mittitur confestim explorator, qui opportunum arcis aggrediendæ locum inspiciat; ille spei plenus à Meslæo factæ, Rohanium prima noctis vigilia, si cum expedito milite adfuerit, voti compotem fore denuntiat; armis quidem ad id assequendum, sed præsertim animis opus esse, comparata iam omnia, teneri manibus arcem, nouoque Rohanij subiacere dominio, ille tam felici exhilaratus nũtio, cuncta ad irrumpendum necessaria comparari iubet, habitoque militum delectu Monspelium versus iter intendit; cúmque tertium ab vrbe milliare attigisset, Centuriones suos extemporali oratione ad rem fortiter agendam sollicitat, adesse animis iubet, virtutis pristinæ memores partæque sæpius inter pericula gloriæ, quam nulla deletura sit ætas, Monspeliensem arcem in reformatæ religionis probrum extructam iustis mox eorum armis cessuram promittit, arcis autem fatum sequuturam continuò vrbem, & cum vrbe Occitaniam totam.

Auscultat Meslæo simulatè loquenti.

Rohanius festinat cum copiis.

Hæc aut similia disserenti assurrexit Gondinus vir prudentiæ praeclarus, postulatáque quid super ea re sentiret liberè promendi venia, non tutum satis ostendit arcis inuadendæ consilium, nihil aliàs à Rohanio implicatissimis in rebus sancitum, quod non eximia condijsset sapientia, nunc verò non satis futuri prudentem videri, exitiale multis fore quod imperat. Tum conuerso ad illum sermone, non te præterit (inquit) postulatam à me sæpius in dimicationibus aciem primam, quia decorum fore mihi censebam militarem venari gloriam, tametsi multis periculis circunseptam, periculosioris siquidem certa-

Dissentit ab illo Godinus.

minis suauissimus semper est fructus; & certè cùm dubia est alea, nemo fortis eam detrectat, inter ancipitia enim clarescimus; verùm in ea, qua de nunc loqueris, expeditione, posteriores mihi partes deposco, tantò laudabilior futurus, quantò prudentior; sic notus nempe Meslæus? adeone sinceræ candidæque fidei, vt auscultantibus sibi non vafrè aliquando illuserit. Hîc, vt arcana mentis aperiam, insidiosum aliquid latere suspicor; erit haud dubiè infestus nobis equus aliquis, aut fatalis equi machina, ni præcaueamus diligenter, æternaque Numinis bonitas paratum iam capitibus nostris malum auertat.

Gondino tam constanti asseueratione quæ postmodum euenere præsagienti à Rohanæis petulanter illusum; pergunt itaque præmissis speculatoribus, qui commodam ad irrumpendum viam indagarent, quibus fores arcis patere, neminemque vnum excubare testantibus, Bretignius, quia primarius actor erat fabulæ, primum, quasi iure debitum sibi locum arcis aggrediendæ poposcit. Igitur decimo nono Ianuarij, sub lucis exortum cum armatis multis in arcem aduolat, ac cum crupellarijs quinquaginta, nullius oppositu per primariam portam Ledum fluuium è regione spectantem spei plenus irrepit, iamque lætus admodum porrò pergere meditabatur, cùm secundam, contra quàm pactum esse querebatur, obseratam inuenit, hæc autem proxima est ligneæ machinæ, quam *Frisiensem equum* nuncupant; congruentiùs trabem appellarem in longum porrectam, ligneis transfixam longurijs, quibus vegrandia cernuntur imposita saxa, supra clandestinos hostes, ignaros huius fabricæ, dum in subiectam caueam ceciderint, deuoluenda. *Bretignius intrat.*

Bretignius, cui nondum comperta fraus erat, pulsatis leniter foribus, Heus tu (inquit) Sobrine, consultatum est aliàs satis, aggredienda & properanda nunc sunt, quæ deliberata sunt diu; En coràm adest Bretignius tuus, amicos in amplexus ruiturus Ad hæc excubitor, frustra Meslæum inclamas à me priùs accersendum; ne dubita, sine mora coràm aderit. Interim elatâ in altū cataractâ hostium ingrediebantur non pauci, ne plures autem intrarent, quàm commodè à præsidiarijs interfici possent, clathrum infernè demittitur, intercepti sic hostes in subiectam caueam præcipites cadunt. Hinc orta consternatio ingens, deuelataque postremò fabula, cui ne Rohanius plausum dare cogeretur, tutum terga vertendo perfugium quærere maturauit. *Illuditur.*

Nec mora Bretignius Cursilhonæus eius germanus, Crucæus alæ *Necatur cum sociis.*

Rohaneæ signifer, quadrageni alii haud ignobili apud Rohanium præfectura potiti, paluſtres velut aues dentatis catapultæ glandibus appetiti, transfixique miserè pereunt, quinquaginta poſtmodum alij ſeu gregarij ſeu honorarij bellatores haud abſimili pœna afficiuntur; capti aliquot aut iuſtæ Regis iracundiæ, aut clementiæ reſeruati.

Hoc stratagema laudant aliqui.

Meſlæanum hoc ſtratagema ſunt qui inter heroicorum indicem referant, quæ Polyænus aut græcus aut Gallicus inter æui veteris memoranda recenſent, nec proditæ amicitiæ labem Meſlæum incurriſſe exiſtimant, quaſi verò indecôræ cenſeri debeant ludendorum hoſtium artes, ſi ad Regis regnique gloriam & incolumitatem ſtruantur. Obſeruet interea lector paratas interdum alijs inſidias autorum in exitium vertere. Sectarij, qui vulpina calliditate graſſantes ad labefactandam Meſlæi fidem arcemque inuadendam aduenerant, ferarum in morem indagine clauſi, irriſi, trucidatique lepidum ſanè feſtiuæ cantioni argumentum dedere per Gallam totam mixtis audientium, pſallentiumque plauſibus emodulatæ.

Rohanius Lanſarguiõs agrum populatur.

Et Sanctægid.

Rohanius probroſam hanc ſuorum cladem vindicaturus Lanſarguium verſus iter arripit, immiſſoque ſtatim prædabundo milite, vicenas villaticorum ædes incendio vaſtat, dum interea trepidi latebroſos in ſyluis receptus capterent agricolæ, quò ſpoliati rebus omnibus, vitæ ſuæ conſulerent, quanquam infinitas inter ærumnas traducendæ. Exin tranſportato Sanctægidianum in agrum exercitu Caluinianus miles effractis pudoris ac humanitatis repagulis, ſolita feritate in Catholicorum vitam, fortunaſque deſæuijt; quo ferè tempore Bretignii, procerumque reliquorum corpora, quos non tam Regis gladius, quam iuſta Numinis ira perculerat, ad ſuburbanum Monſpelienſium Sectariorum ſarcophagum in ſepulturam delata; vtinam iis veritatis lumen illuxiſſet, vt poſt temporalem, quam moriendo ſortiti ſunt requiem, æternam iis comprecari poſſemus, lucemque perpetuam; his autem vt cum aliquo pompæ ſplendere funus curaretur, euicit claritudo natalium. Inſepultus autem per id

Sepeliuntur coniurati.

temporis iacuit Bæticus tabellarius aliquis, ſiue Granatenſis, quiferendis vltro citroque inter religione diſpares codicillis, ciuilis belli ſemina longè, latéque ſpargebat. Captus, interrogatuſque quid tandem hominis eſſet, Catholicum ſe olim fuiſſe palam aſſeruit, ad hæreticorum autem caſtra dilapſum non aliam ob rem, quam vt ſub Rohanii ſignis auſpiciiſque bellatoris fortiſſimi cœptam antea fineretur continuare militiam. Perfidus nebulo in hominum exitium na-

tus, rotæ impositus fractis cruribus brachiisque infelicem animam egit, Granatense diu nuncupatum est pegma in quo fœtidum proditoris corpus computruit.

Atque hæc, vt & alia multa Monspelii post vrbem non tam deditam, quàm extortam leuibus interdum è causis turbamenta profecta certo documento sunt omnibus, post strata protritaque ab Regibus hostium corpora, non eorundem statim animos expugnari, dexteras interdum Regibus, quasi datæ fidei obsides porrigi, quæ in pugnas atrocissimas pruriant, aduersus eosdem Principes instaurandas, rectéque à Scriptore veteri pronuntiatum. *Quos vViceris, aut recens domueris, caue amicos tibi esse credas; fluxa nempe horum est fides, & periculum ex singulis; iis ferè omnibus inest malignum quiddam & querulum in imperantes; pacem sibi concessam, non tam pacem, quàm pactionem seruitutis appellant; illis, quod Principi placitum est, displicet; & licet iustis Principis armis perdomiti fuerint, hunc vt vindicem potiùs reformidant, quàm Parentis optimi loco habent.*

Fluxa eorum qui vincuntur fides.





HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB EODEM LVDOVICO XIII. REGE.



LIBER OCTAVVS.

Ab anno Christi 1622. ad annum 1625.



VSPICABOR hunc librum ab expeditione Sumedriensi, quæ Rohanio, præcipue eius autori, actorique haud mediocrem notam inussit. Hæc in Gallorum ferè omnium versata est ore, memorialibus mandata literis, Gallicis illigata versibus, à veteramentarijs, tonsoribus, sellularijs in triuiis passim, officinisque ad leuandum antelucani laboris tædium cantata, recantata; numeros ipse memini, si verba tenerem. Quin & trochleati fidicines, qui rotatæ sambucæ modulis oppidatim victum quæri- *Rohanius Sumedriam aggreditur sed frustra.*

tant, dum festiuum hoc carminis genus integrarent ac redintegrarent, non absque voluptate auditi. Metri clausula, siue quod accinebatur epodion, quodque ad strophas singulas recurrebat, exprobrabat Rohanio subitum, infelicemque conatum; pulsum, repulsum, pedemque referre coactum sibilis & sannis insequebatur. Rei, prout gesta fuisse perhibetur, seriem edisseram.

Nihil non moliebatur Rohanius, vt sectarios varijs è locis eiectos, palantesque pristinum in statum restitueret. Dolebat magnopere viro Caluiniani ritus studiosissimo Romanam fidem varias in vrbes, quas secta longo iam tempore insederat, quasi postliminio reuocari; eóque spectare censebat exercitus à Rege conscriptos, ne qua religionis nouæ fibra in Gallico regno existeret, vt euellerentur radices eius omnes, vt funditus interiret quæ coaluerat recens è sapientibus, reformatæque fidei hominibus secta, tanquam infinitis erroribus, scatens, turbarumque omnium concitatrix in Gallia; iram itaque dolori, pessimo consultori admiscens, Sumedrium inuadere, re cum paucis communicata omnino apud se statuit, & quia non tam virtute quam dolis grassari consuerat, quid enim aliud magnopere poterat aduersus potentissimum, inuictumque semper Regem? facilem sibi in vrbem accessum pollicebatur proditorum nonnullorum operâ, quos illic tacitè quippe partium suarum fautores alebat. Vnus tantùm expugnandus erat arci gubernandæ à Rege *Proditorum opera nitebatur* præpositus, cuius fidem cùm oblatis etiam munerum illicijs restitam certò sciret, hunc missis ambagibus bellicisque dolis, apertâ vi cum expedita armatorum manu aggreditur, crepitaculum portæ admoueri iubet, arcisque fieri sibi deditionem minitabundus imperat. *Gubernator resistit.* Gubernator spretis his verborum terroribus. Ecquis tandem est (inquit) Rohanius? vnde tam inconsulta hominis audacia? cuius ad nutum contempta Regis autoritate parendum sit è vestigio, regiique castri pandendæ sint fores; arma secum armatosque circunfert, nos arma armis, armatos armatis victoriæ securi, fretique Regis auspicijs opponemus: si fortior, infestiorque quàm vt repelli possit à nobis irrumpat, maxima me tenet spes adfuturos breui auxiliarios, eosque complures, validosque, neque enim sinet nos Valancæus omni ope desertos, ad tutandam inferioris Occitaniæ pacem, Christique religionem exsomnis.

Valancæus auxiliatur. Nec defuit sanè peruigil Valancæi studium, simul enim ac pertulit rumor Sumedrienses hostiliter à rebellibus premi, delectos statim

ad eorum tutelam milites ex arce Monspeliensi eduxit, trecentos fuisse memorant, qui Viturlo fluuio magna celeritate transmisso, inter densas hostilium globorum procellas ad castrum peruenere incolumes; nonnulli in Vrbeuetano pago considere iussi, vt si alicunde præsidiarios hostis accerseret, ab adeundis eius castris arcerent. Consternatus Rohanius tam inopino Valancæanorum accursu, omni potiundi spe loci protinus excidit, hinc continuò mouere paratus, nisi fugæ dedecus appetentibus noctis tenebris occultare studuisset. Audiui ego, cùm ab oculato teste narraretur hæc expeditio, adeo non sibi constitisse Rohanium, vt quid hac in trepidatione moliendum esset, ignoraret, quid verò actum obliuisceretur. Turbabat hominem, aut qui præsens aderat imminentis exitij terror, aut aggressionis huius non prudenter satis inchoatæ conscientia, parari quippe sibi cœnam petijt, qui à cœna recens aduenerat, titubabat scilicet cum mente memoria, apponique sibi fercula iussisset, nisi tacitè commonuissent, qui proximè astabant famuli cibo refectum hunc esse, moxque è cœnatione digressum. Non hanc Rohanio fallaciam iniecerat crapula, cùm abstemius esset, & repetito veterum heroum more cibo vesceretur parabili, modicoque, sed caliginem induxerat, vti iam dixi, aut grauioris alicuius damni, aut infamiæ, quam ægrè admodum subiturus erat, periculum; quòd tantæ solertiæ vir, tamque maturi consilij in inextricabiles penè lapsus esset angustias; verbabatur præterea militum, ceterorumque clamores, qui coram exprobraturi illud erant, cùm ad rem fortiter agendam prompti paratique adfuissent omnes, vnam defuisse Ducis, imperatorisque prudentiam, sine qua frustra sunt præclari quique fortissimorum virorum conatus; in consilio enim ductorum posita est militum virtus.

Terretur Rohanius.

Turbatis itaque ordinibus illum planè nocte clàm recessit cum suis, tum ne fugienti Valancæanus à tergo miles instaret, tum ne Valancæo pateret prostrati ab se hostis abiectio, adhuc in tanta rerum suarum inclinatione tumentis. Sumedriensis hæc aggressio hostium sexaginta exitio stetit, quos inter sectæ prædicantem nonnulli referunt, qui furibundis clamoribus ardentiores tumultuum faces excitarat. Marciliacus arcis præfectus gratijs Victori Deo iure rependis ob infestissimum religioni debellatum recens hostem, ne deinceps consimilis in se strueretur, intendereturque machina, clandestinos vrbis proditores exquisiuit, compertorum nomina apud constitutos capitalium rerum cognitores editurus; hi quia aut occultis effugijs,

Fugit.

Hostes 60. necati.

Proditores mulctantur

aut cæcis tecti latebris irrogandum sibi supplicium declinarant, in expressa sui effigie patibulo affixa mulctati sunt omnes, quod pœnæ genus, si corpus non attingat, excruciat saltem animum honoris aliquid retinentem, dolet quippe omnibus contaminari manu carnificis imaginem hoc est partem aliquam sui, eamque infami patibulo affigi tanquam ferale tragœdiæ præsagium aliquód, à simulachro corporis ad corpus ipsum non longo post tempore transmittendæ.

Caluiniani extranei Monspelio exire iussi.

Interea ne factiosi, qui Monspelij tum non pauci aderant, auxiliares Rohanio copias destinarent, Valancæus Caluinianos, quotquot in vrbem aliunde confluxerant, secedere sine vlla cunctatione mandarat, iusseratque armorum genus omne in priuatis ciuium ædibus asseruatum, in consularem basilicam per eosdem asportari, hæc eadem post militum è Sumedriensi victoria reditum repetituros; nam dum foris procul ab vrbe, in repellendis rebellium conatibus Valancæanæ collocarentur vires, haud inanis metus Catholicis omnibus inerat, ne sectarij Monspelienses opportunam inde turbandi ansam arriperent, dum nulli aduigilarent, qui ab iis formidari meritò possent. Assiduis Valancæi curis asserenda iure videtur memorabilis huius facti gloria, non tamen præripienda eius militi victoriæ honorisque pars aliqua, viri bello paceque præclari ductum exemplumque sequuto. Interea Rohanius incertus animi quid consilij caperet à priore iam desertus fortuna; Millauij cœtum indicit, quo conuenere sectæ magnates non pauci, vbi agitata pleraque ac in vtramque partem discussa, quæ ad nouæ religionis pacem, propagationemque spectarent, decretum tamen nihil ab arbitrantibus, nisi quod grauioribus adhuc conciendis per Galliam motibus idoneum foret.

Sectariorum cœtu Millauij.

Nam, vt Regem, quem inani spe obsequij prolectabant, ab arcium suarum aditu prohiberent, de binis propugnaculis Nemausi construendis seriò agunt, quóque properantiùs id operis obsequi maturarent, Rohanius, quia publicum Caluinianarum Ecclesiarum deficiebat ærarium, regias interuerti pecunias, quin & in antiquos Ecclesiasticorum prouentus sacrilegas rebellium manus iniici iubet. Nec mora è sacro Christi patrimonio, quod intactum esse debuerat, ne clericali demenso frustrarentur Numinis administri, contra Numen ipsum impia & infesta comparata sunt arma, atque eo acriùs ad sacrorum huiusmodi compilationem rapiebantur hæretici, quo qui resistere iure debuissent, debiliores videbantur, quàm vt conqueri, vel mussare solum auderent; itaque accincto ad feriendum

Regia interuertuntur æra.

milite, gladiumque minaciter attollente, Catholici, dum proroganda sibi diutius vitæ copia fieret, quidquid è pijs huiusmodi reditibus æris collegerant, sincerè, ac sine vlla frustratione repræsentabant militi, iocaturo subinde quanquam sine acumine iactaturoque delicatas oppidò pontificales, seu clericales esse mensas, pulpamentis eas constare lectissimis, perquam iucundum esse aruinâ è Sacerdotiorum crassitudine detractâ in immensum distendi. *Facti prædonum ioci.*

Pacata inferiore Occitania, impositisque eidem regundæ præsidibus non minùs Deo fidis, quàm Principi, Rex varias, dum Parisios redit, prouincias lustrat, quibus in omnibus quanquam religione dissonis, aut aliorum Principum obsequio mancipatis, triumphantis in morem accipitur. Auenione Romani Pontificis iussu à Prolegato, totiusque ciuitatis Optimatibus obuiam factis perinde quasi supremus vrbis Dominus salutatur. Dum vrbem inirет, præibat Comestabilis strictum ensem manu prætendens, quod est supremæ potestatis indicium; aderant Galli, Scoti, Heluetiique prætoriani Regis custodes; Gestiebat inusitata lætitia ciuitas tota, & tametsi passis per vicos omnes vexillis ludicræ volitarent acies victori Principi gratulaturæ, potior tamen erat quàm externus ille apparatus, longéque Regi acceptior collecta in ipsum effundentis se vndique plebis beneuolentia, quæ per oculos mentis indices, ac cætera benignissimi vultus illicia promicabat. Quin & datum hoc Principi ad cumulandum populi gaudium, vt patentibus custodiarum foribus pristinam in libertatem assererentur captiui, ne quis publicæ ciuium iucunditati priuatâ vexatus calamitate importunè obstreperet. Atque vt auspicatissimæ diei illius venturæ posteritati transmitteretur memoria, cusa sunt aurea, iussuque Prolegati Regi dono data numismata, in quibus vna cum vrbis insignibus Regis ipsius expressa prominebat effigies. *Rex Auenione magnificè excipitur.*

Vix Lugdunum Rex appulerat, cùm adfuit opportunè Christina Pedemontani Principis vxor in amantissimi fratris amplexus ruitura; adfuit & Dux ipse Christinæ sponsus studium pariter suum, amoremque in Regem testaturus, recenti sibi cognatione deuinctum. Mirabantur omnes tantos populorum concursus, qui Regem salutatum adirent, stuporemque auxit proximè subsequuta Geneuensium sectariorum legatio, qui prouoluti in genua clientelarem Regi cultum vt patrono suo potentissimo detulerunt; ille perbreui visendæ Maiestatis suæ concessa Lugdunensibus morâ Lutetiam Parisiorum *Lugdunum venit Christina.* *Legatio Geneuensium ad Regem.* *Qui Lutetiā redit.*

rem grauit; qua in ciuitate, quippe regni totius principe magna populi multitudine conferta, maiores; vti par erat, dati sunt plausus, saluum hunc sospitemque in amantissimam sui vrbem aduenisse spolijs prostratæ rebellionis onustum gratulati sunt omnes, hunc verè Sancti Ludouici nepotem, Henricique Magni filium à neutro degenerem, ideoque omni prædicatione maiorem esse clamabant, vnum vtriusque virtutes, pietatem scilicet & fortitudinem etiam hac qua tum efflorebat, iuuenili ætate complexum.

Illustri munere donatur à Consulibus

Ad vrbis portas appulsum venerati sunt Consules, impertitaque de more salute ac nuncupatis pro ipsius incolumitate certatim votis, paucis, quæ præfati sunt, verbis locupletissimum adiecere munus, illustre sanè publicæ lætitiæ, nec non singularis erga Regem suum beneuolentiæ monumentum. Cor erat ex auro obryzo, è cuius concauo exundabat ignis Sabæo circùm odore diffuso; nempe subegerat sibi Rex Parisiensium omnium corda, inflammabantur omnes amore Ludouici, hunc sospitem, hunc sibi post tam diuturnas moras, post tot pericula redditum, si minus thure, aut pretiosis Cilicum odoramentis, innumerarum saltem laudum aggestu cumulabant. Oblectabatur Rex incensis in se magnæ ciuitatis studijs, quidquid autem laudum erat, referebat in Deum, cuius ipse potentia corroboratus tam periculosa bella prospero semper marte gessisset, venerabatur identidem præsentem fortissimamque Numinis dexteram operantem in sua. Immortales ergo victori, victoriarumque largitori Deo nunquam non egit, vexilla perduellibus erepta sacris postibus affigenda curauit. Inscriptum Regi aureis characteribus perpulchrum visebatur elogium, quod, ne propositæ mihi breuitatis modum transiliam, in vnum, aut alterum versum coarctabo. *Tuis armis Christianisime, & inuictisime Rex debent subditi tui, quòd hæretici non sint; hæretici, quòd rebelles esse non posint.*

Terrenis his honoribus Regi maximo hæreseon profligatori decretis, cælestes adiungamus honores Diuis Ignatio & Xauerio potentissimis pariter errorum domitoribus ab eodem Principe procuratos. Non potuit sancta supremaque sedes Regis precibus non annuere, tam iusta præsertim, & religiosa petentis; itaque quos dudum è terris Cælitum in societatem virtutum chorus euexerat, quos varia per eosdem prodigia passim edita illustribus sanctitate viris haud impares extitisse non voce duntaxat vnica, nec vno tantùm loco, sed innumeris in regionibus, diuersisque gentium linguis prædicabant,

hos Gregorius XV. Pontifex Op. Max. ex illustri Ludouicæorum Bononiensium familia oriundus, duodecima mensis Martii die anni 1622. Sanctorum fastis inscripsit. Quod Diuorum par cùm à me studiosiùs coli obseruarique ratio postulet, paternusque eorum affectus, quod suæ me compluribus ab hinc annis societati adiunxerint, religioso cultu induerint, & ad mores hoc habitu dignos internis quotidie monitis excitent, editisque olim variarum virtutum exemplis adurgeant, cùm idololatriæ, nouitiisque errorum portentis acre semper bellum intulerint, deque impiis illorum satoribus sæpius triumpharint, vtriusque vitæ compendium, quo manifestiùs agnosci possint, historico quidem charactere attexam, sed encomiastico mixto. Auspicabor autem ab Ignatio, qui non Xauerij tantùm, sed & vniuersæ Societatis I E S V Parens optimus fuit. Et quia insignium pietate virorum sileri non debent initia, vt lectori detur intelligi, quibus illi gradibus sanctitatis culmen attigerint, id in Ignatio minimè prætermittam. *SS. Ignatius, & Xauerius sanctorum albo inscripti*

E' Loyolæa stirpe, locoque apud Cantabros illustri prodiit Ignatius, Dauid alter nobilissimæ domus, hoc est fratres inter sanctitate primus, ætate postremus. In eo enitendo solito vehementiùs fatigata est parens; arduum quippe est sanctum vel vnum parere, qui multorum futurus sit pater. Vix teneros infantilis ætatis annos prætereuectus, generosam, quam nactus erat indolem ad ea, quæ mortalibus summa esse videntur, erexit. Armorum gloriam ambiens, militiæ tyrocinium posuit, vbi rudem cæteri consequuntur. Dum martem in Gallos experitur, fracto cruce cecidit victus; verùm ita prostratus Saulus hic fuit, vt erigeretur in Paulum. Ad Montemserratum profectus, irreuocabili se voto castitatis ante Virginis aram obstringit, pugionem tholo suspendit, vnáquaque militarem licentiam, vni, apud quem sacramento dixerat, auctoratus iam Deo. Hierosolymam adit, in terrena ciuitate cœlestis contemplaturus imaginem; illinc in Hispaniam remigrare coactus, repuerascit in Christi gratiam, animarumque salutem matura iam ætate vir, dum inter teneros puerorum greges prima latinitatis elementa condiscit, dum Parisiis in humanæ, diuinæque sapientiæ studia pertinaci prope labore incumbit, haustam semel ethicen Christianis verè moribus expressurus. Verùm pios illos Ignatij conatus auersante malo Dæmone, obortis accusationum variarum procellis quatitur, non opprimitur tamen; compingitur in carcerem, hunc dum sanctus ingreditur, in templum *S. Ignatii ortus. Militiam sequitur. Castitatem vouet. Hierosolymam petit. pro Christo vexatur.*

mutat, aut Cœlum; compedibus stringitur, nunquam maior libertas; famam cùm in Christi gratiam omnium ludibrio exponeret, ornauit tum tum maximè; iis casibus gloriam inuenit, quibus amittitur; quod decus, si tandem ambiret, sperare non debuit, assequutus est fugiens.

Asperrima hæc sanctioris vitæ rudimenta perpessus, nihilo segnius in lucrandarum animarum opus incumbit. Monserratensis itaque consecrationis non immemor, & singulari Deiparæ dono castitatis acceptæ, alieni se pudoris propugnatorem efficit, securus iam sui. Dum summa hyems esset, impuras adolescentis vnius flammas extincturus, stagnantibus aquis collo tenus immergitur, nebulonemque ad infame lustrum pergentem conspicatus. Quò te (inquit) perdite? etiam ad pudoris lanienam tui! Ego accensas, & mox in caput tuum intorquendas irati Numinis faces hoc balneo mitigo. Mirum dictu, audituque, aureis non veteris illius Imperatoris, sed inflammatæ charitatis retibus non suam, quam adultam iam habebat, sed lenonis impurissimi castimoniam capit, tutoque ne deinceps periclitetur defigit in loco. Fortunatus profectò iactus, vbi rete Charitas fuit, præda castitas, piscator Ignatius. Religionem instituit animarum saluti mancipatam, vitamque pro amplificando Supremi Numinis cultu quotidie paciscentem. Vir tantus, cælestes identidem orbes contuenti cùm sorderet terra, transcriptus est Cœlo, atque è triumphante illa Beatorum Ecclesia pro militante nostra depugnat. Huic ergo non immeritò de prostratis humani generis hostibus glorianti, perinde atque heroibus aliis, qui pari virtute fulserunt, debitas palmas, æternasque laudes aggerunt hinc contusæ fortiter hæreses, illinc Iansenismus deuictus; eidem vt propugnatori suo thura incendit religio, cœlestes offert coronas pietas pulsa quondam prostratáque, nunc auitum in solium eius ope feliciter reuocata.

Iuuenem à flagitio auocat.

Religionem instituit.

pro Ecclesia pugnat.

Hoc Ignatianæ vitæ breuiarium excipiet Xauerianæ vitæ epitome, vbi mores inter illos similes intuebitur, & mirabitur lector. Dum enim Xauerium ad rectos sanctitatis canones informaret Ignatius, semetipsum expressit in filio; & ni discretam vtriusque originem spectes, diuersaque terrarum, in quibus Deo militarunt, spatia repures, neutrum ab altero disparabis; gemellos sanctitatem conuixam partus esse diceres, nisi Ignatium parentem Xauerius; hunc verò filium agnosceret & appellaret Ignatius.

In Xaueriano castello Pampelone non procul, illustribus è Parentibus

tibus ortus Frãciſcus Xauerius, præter viuidum, diſciplinarumque omnium capax ingenium, perelegantem nactus eſt corporis formam, dignam profectò quam habitaret animus non inuitus. Inter præclaras, quæ adoleſcentiam ornant virtutes, hanc flagrantiore ſtudio coluit, quæ floridum Agno Cœleſti mortales inter quieturo lectum ſternere ſolet; vixit enim ſemper inter lilia, quem ille candidiſſimum florem illibatum ad mortem vſque ſeruauit. Pariſijs in humana diuinaque perdiſcenda ſapientia incredibiles pene fecit progreſſus, atque in hoc laudandus maximè, niſi locupletem illam encyclopædiam ad finem detorſiſſet non ſuum. Dum itaque in decurrendo ſcientiarum ſtadio flores metere perſeueraret, non fructus, commodùm adfuit Ignatius, qui fallaciam deluſæ mentis oſtenderet; Virgines Muſas, eaſque incorruptas commonſtraret, non deturpandas itaque appetendo cupidiùs humanarum laudum choragio, congruenter itaque facturum, ſi ad eum ſtudia ſua, curas omnes, atque cogitationes transferret, à quo vno humana diuinaque ſapientia, tanquam ab inexhauſto fonte defluxit. Ille continuò piis viri ſancti monitis obſtrepere, ridere paſſim illam, quæ tantopere ab eo laudaretur humanarum opum laudumque contemptricem philoſophiam; Ignatius inſtare vehementiùs arctiùs premere, vmbratilis gloriæ turpitudinem deuelare. Vicit tandem pia hortatoris vox obſtinatam Xauerij mentem, deturbari ſe ſinit è ſublimi fortunæ quod prenſabat faſtigio, videt quæ altiſſima, locupletiſſimaque mortales inter habentur, hæc quia fluxa interituraque breui ſunt, pro nihilo eſſe ducenda. Nec mora in Monte Martyrum vnà cum Ignatio, Ignatiique ſociis puriſſimam mentem ſupremo Numini hanc in æternum deſponſanti ſibi per nuncupata paupertatis, caſtitatiſque vota ritè conſecrat, in Palæſtinam poſtmodum perrecturus, propiúſque inſpecturus auguſtale Dei illic humana olim carne conuelati ſacrarium.

Epitome vitæ S. Xauerii

Ortus eius & indoles.

Caſtitas.

Gloria ſtudet.

Reſpuit S. Ignatii monita.

Vincitur tandem.

Totum ſe Deo tradit.

Longo igitur periculoſoque ſe ſe committit itineri; it autem pedes, quippe à deſponſa ſibi paupertate recens, quin & peditem ire ſe ſuſtinere non potuit, niſi nimias, ſi quæ tandem ſint, in eluctandis montium iugis caſtigaſſet delicias, vnáque effrænem iuuenilium olim choreatum licentiam. Acutiſſimis enim funiculis crura conſtrictus arduam hanc ingreditur viam, ſingulis paſſibus ſingulas è domito ſic corpore collecturus victorias. Verùm porrò pergere inualido, qui arte chirurgica diſſolui non poterant, ſponte cecidere funiculi. En primum pro attenuandis corporis viribus conflatum à Franciſco præ-

Crura ſtringit funiculis.

lium, vbi victor animus iactis hosti compedibus de illo magnificè triumphauit.

Pauperibus inseruit. Italiam vix attigerat, cùm infirmum ille inopum gregem in hospitali domo, blando solatur alloquio, emendicatisque à se panis frustulis horum pascit esuriem. Præparcum hoc demensum hilari omnes vultu accipiunt; exile nempe donum commendat locupletissimus largientis affectus, qui tum maximè patet dum solatricem pauperum linguam, tot effecturam prodigia, tot gentibus Euangelij lucemallaturam hiantibus cadauerosi iacentis vlceribus applicat, auidéque quidquid inest tabis, exsugit. *Vlcerosi saniem exugit.*

Atque hæc dum vigilaret Xauerius. Non minora præstabat dum fesso corpori perbreue diurnis à laboribus laxamentum indulgeret. Somnum capiebat Vir Apostolicus in asperato ad saxorum vsque duritiem lectulo, cùm obiectæ sibi speciei impuræ fortiter & ad sanguinis vsque profusionem resistit, nec resistit modò, sed obscœnas etiam veneres virgineo cruore perfusas à se procul abigit nunquam redituras deinceps. *Dormiens obiectam sibi turpitudinē pellit.*

Visus quoque est ..līs atrati coloris hominem, qualem Indum nobis pictores effingunt suis incumbentem humeris hac illac non absque sudore multo circunferre; ingens profectò, sed amicum tamen, Xauerioque datum in augurium onus, Orientalis ferè Orbis totius ab ipso tanquam Atlante portandi. Quid enim aliud egit ad accurandam Indorum salutem ab Ignatio missus? quot hominum millia cæcis superstitionis ethnicæ tenebris consepulta, quot ab se dealbatos, atros olim velut Æthiopes in maternum Ecclesiæ gremium, & ab Ecclesiæ militantis amplexibus in beatum triumphantis sinum æternùm Deo perfruituros inuexit; quod vt faciliùs assequeretur, quoties fatuam Bonziorum difflauit sapientiam? tranauit maria, superauit inaccessa; quin & ad inferos vsque penetrauit Christianus Hercules, stygemque profligauit, dum auctoratas Diti mentes ex infami seruitute reduxit, dum Christi IESV fidem, Christianamque pietatem ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis ab Apostolo Thoma feliciter apud Indos inuectam, procedente verò tempore hac ipsa è regione proscriptam magno totius Ecclesiæ fructu reuocauit. *Innumeros ad Christum conuertit.* *Bonziorum insaniam refellit.*

Sanctissimè moritur. Ad Sinarum portum appulsus Apostolicorum finem laborum inuenit. Hunc autem morte sublatum vix asserere audeo; nemo enim non præsentem experitur, præsentisque beneficam manum, idem

ægris validisque auxilium affert, extinctos in vitam reuocat. Nempe cælestes ad choros peruolauit aliger Xauerii animus, remansit virtus in terris, quasi rapti animi obses, corpus quoque animæ quondam magnæ domicilium integrum esse perseuerat. Hoc si propius inspexeris, mortalitate contactum vix credes; idem in vultu color, eadem vernat in fronte maiestas, nihil in eo putre, fœtidū nihil, spirat opobalsama, exstasim verius appellabo quàm mortem. Sic diutissimè mansit, sic adhuc manere conspicitur, sic mansurum speramus, dilectum Christo I E S V Discipulum, Indiarum Apostolum, donec ipse venerit Christus. *Corpus eius incorruptum manet.*

A Gregorio X V. Diuorum in numerum adscripti sunt duo hi sanctitatis heroës, quo ferè tempore Ludouicus X I I I. Francorum Rex ab eodem Pontifice gladium accepit non vnionibus magis circùm sparsis quàm Apostolica consecratione insignem, monitusque ab eo est, vt oculorum aciem non in elenchorum tantùm splendorem, aut anaglypticum opus, sed in mucronem sæpe defigeret, hunc in sibilantem adhuc hæresis hydram punctim cæsimque feriendam conuerteret, repullulantia capita exsecaret: & fortiora sanè, stupendaque hic præstitit ensis, pontificijs communitus precibus, & in manu Ludouici, ad quorum seriem enarrandam aggrediar, posteaquam nonnullorum sanctitate præcellentium obitum enarrauero. *Rex e. [illegible] à Rom. Pontifice accipit.*

Diem clausit extremum Pontifex ipse Gregorius X V. rara in eo comitas eluxit, ardensque proferendæ religionis studium, sodalitati de propaganda fide ab se institutæ annuum vectigal adscripsit. Eius in locum suffectus Maphæus Barberinus Florentinus Vrbani V I I I. nomen assumpsit, Dauid alter, aut Damasus, concinnis Cœlitum laudes versibus expressit, nec castas innocentesque Musas quamuis grauissima rerum Ecclesiasticarum mole onustus respuit senex, quas impensè coluerat adolescens.

Mortalitatem etiam expleuit B. Franciscus Salesius Geneuensis Antistes, nostro huic sæculo certum in argumentum concessus, Sanctitatem extra cilicium & cinerem habitare interdum non inuitam; & quanquam hæc virtutis adiumenta non respuerit, præ illis tamen arrisit omnibus stola iucunditatis internæ, qua induit eum Dominus ornauitque. Segmentis aureis concinnata hæc vestis aurum charitatis expressit, qua Beatus ille flagrauit in Deum, & proximum. Textu fuit simplici, non sinuosa, non fluctuans, candoris index, & Christianæ simplicitatis, quæ flexuosum nihil, & plicatile admittit, *B. Francisci Salesii obitus, & virtutes.*

& hanc, quam adamauit ipse virtutem, tesserarium religionis à se institutæ symbolum voluit; visitantis Deiparæ moniales sine dolo, simpliciterque ambulare præcipiens, vt confidenter, tutò, ac sine vllis viarum ambagibus propositam sibi felicitatis æternæ metam attingerent. Ieiunium coluit, non anachoreticum quidem, plus enim indulsit ipse sibi, quàm vt pane solo, herbarumque agrestium succo vesceretur; Episcopali, hospitalique mensæ suæ apparatum adhibuit aliquem, sed frugalem. Sponsi Christi filius præsentem hunc semper habuit sibi, vnde tam austerè non ieiunauit. Episcopalibus insignitus infulis, pastorale pedum nunquam in commissas sibi oues impegit, eas vinculis charitatis alliciens, & ad amœnissima Beatorum pascua blandè inuitans, & Pastoris sui voci non repugnanter auscultabat grex omnis, quia melle, lactéque toti delibutæ, Butyrum, & mel comederat, aquas è fontibus Saluatoris hauserat, quod glutierat, quod copiosè adbiberat, largiter eructabat. In Pontificia dignitate Vir fuit, apparuitque, virum enim exigebat præfectura hæc sacra; in muneribus reliquis, vt & in omnibus vitæ gradibus infantem se esse voluit, quo concinniùs desponsam iam sibi simplicitatem coleret, nihil viri sancti laudibus detraho, dum infantem dico, nec enim diffiteor masculas in eo eluxisse virtutes, sed quidquid ijs roboris inerat, infantili, hoc est innocenti columbæ simplicitate temperabat id totum. Atque vt in infantem grandis etiam natu remollesceret, sollicitabat Incarnata Dei Sapientia infantiles inter fascias puerilibus lacrymis indulgere dignata. Infantilem castimoniam coluit, educatus enim est, adoleuit consenuitque inter pudoris Lilia, nullo, ne minimo quidē obscœnitatis afflatu contacta; irasci non potuit, quia infans, inter Deiparæ vbera, aut pretiosa Christi vulnera, quietissima semper pace decumbens, hoc est inter dulcedinis fontes & amoris. Infans denique visus & innocens in beatissimo è terris excessu, delecto ad id sacrosancto Infantium Innocentium festo die; suppleturus, quod illis deerat ad consummati decus martyrij, dum profundendi pro Christo sanguinis voluntatem afferret, quem licet non effuderit, martyrem appellare non vereor, cùm inter ardentissima diuini amoris incendia Laurentius alter cœlestem efflarit animam; mortis vires in dilectionis flammis expertus. *Fortis vt mors dilectio tua.*

Hic Beatus in terris recens est agnitus; expectatur Sancti nuncupatio, quam haud diu morabitur Alexander VII. Romanus Pon-

tifex magnus Salesiarum virtutum admirator, æmulatorque continuus; clamant enim gentium ferè omnium linguæ cœlo receptum iam hominem, petuntque post partos Cælitum honores, eidem humanos decerni, vt in militante triumphet Ecclesia, quam illustribus virtutum omnium documentis, scriptisque mirabili pietate conditis locupletauit. Vtinam quod assiduis à Deo precibus contendebat, Geneuensem Ecclesiam suam ab incursantibus luporum morsibus vindicare potuisset, sed obsurdescebat hæresis ad pastorales monitus, Episcopalis vim autoritatis contemnebat indurata in prauum nequitia. Vir fuit animi demissione mirabilis, cui exosa semper fuit quæ à mortalibus ambiri solet excelsitas, in ampliori, quod vnum expetebat, Beatorum Cælitum regione dilatando.

Puerorum Iaponum martyria.

Felicem Salesii migrationem præcesserat Iaponicorum puerorum innocens turma, quos in Romanæ religionis odium barbarorum ensis demessuit: horum duodeni fortia consummarunt martyria, ephebi nondum, vix enim decennium excesserat, qui reliquis ætate præibat; fortunata sanè mors, cuius occasione sanctis est datum pugilibus, vt non talis & nucibus, sed palmis, coronisque nunquam perituris colluderent. Hos proximè subsequuti sunt prouectiores ætate viri aliquot Petrus de Suniga Augustinianus, Ludouicus Florus Dominicanus, Petrus Dauila Franciscanus, Carolus Spinola, & Sebastianus Quimura; postremi hi duo è Societate IESV viui pro propugnanda Christi fide combusti. Altiores tum agebat radices Iaponensis Ecclesia, nunc quæ læta videbantur religionis initia, deformauit, decoxitque immanis barbarorum Principum furor. Atque in hoc stupendum occurrit æternæ mentis consilium, dum enim à sectarijs Romana respueretur religio, veraque traduceretur Ecclesia, noua tunc apud idolorum cultores incrementa capiebat Christi fides; templa passim in Gallia disturbabant hæretici, quo tempore super prostratis commentitiorum Deorum simulachris religiosissimæ apud Indos excitabantur aræ, repulso ab infidelibus seruis, & ad alienigenas, sique idololatras transferente se Deo.

& aliorum.

Irriti contra Rupellanos conatus.

Interea Rupellam primariam impietatis & rebellionis arcem Rex aggredi meditabatur, vt prostrato feliciter hæresis capite, minor in proterendis eius membris reliquis labor reliquus foret. Suessessionensis Comes, Marescallus Vitryus, compluresque ex illustri genere proceres sua quisque in munia discreti cum equestribus turmis, pe-

ditumque cohortibus illuc aduenerant, arctissima obsidione rebelles vallaturi, ne quid aut externæ opis aut commeatus in vrbem influeret. Sed hostiles obnitebantur manipuli contra Regiorum cohortes immissi, è quibus non paucos continenti tormentorum explosione necabant, alios ad tutiora loca compellebant, quærendosque, vbi tutò laterent, securiores receptus. Tantæ quippe molis erat, Rupellam, quæ inuictæ ciuitatis titulo iamdiu gloriabatur, aggredi cùm in ipsis obsidionis primordiis ac ludicris quasi velitationibus, obsidentium cæderentur complures, tantaque rebellibus inesset fiducia, vt Gallicas vires iuuenilis Regis ætate metirentur, quasi verò Principes tametsi primæuo ætatis flore vernantes sapientibus careant administris, aut deesse iisdem prudentia tametsi iuuenibus possit, canorum capitum multitudine circumseptis; aut vacillet eorum autoritas, quam interrita tot excubantium manus, aduersus hostium vires insultusque propugnat.

Arx Ludouicæa contra illos erecta. Ad arcendas Rupellanorum excursiones, spemque iis commeatus adimendam, Ludouicæam arcem Rupellâ non procul excitare perplacuit; illinc etenim, cominus obseruare, & inuadere quidquid terrâ marique in vrbem asportabatur, licebat; aderantque qui eodem in loco tumulum Caroli IX. iussu erectum affirmarent, in quo ad expugnandum Euangelij quod appellabant, propugnaculum curulia commodùm collocarentur tormenta. Tetragonalem in speciem arx composita fuit, quaternis munimentis, ac semilunaribus vallis instructa, cuius in molitionem quotidianas addixerant operas quingenti, aut sexcenti opifices fabricandorum huiusmodi operum apprimè gnari, sed ne susceptus è voto procederet labor, Rupellani crebris glandium ignitarum emissionibus regios infestabant milites, ac *Eius fabricã hostes interturbant.* eorum plerosque cæcidissent, ni Suessionensis Comes positis ad aluei marginem campestribus cannis procul hostes exegisset depressissetque rates aliquot, vnde sequuta complurium è rebellibus clades. Gourbosonus, vt de aliis taceam, quatuor supra viginti aut deleuit *Reprimuntur.* funditus, aut captos in vincula traxit: nec sic tamen deferbuit pristinus Rupellanorum ardor; delecti enim ex eis sexcenti, aut eo amplius milites, qui multis, quos secum adduxerant curribus contra re- *plerique necantur.* giorum tela protecti, simulata congrediendi voluntate, ad hunc eos locum velitando perducerent, ad quem destinarant præcipuum exercitus sui robur, maiorisque modi machinas: sed quia satis est nosse,

vt eludantur, insidias, detectis fraudibus inflammatius multò exarsere regij aduersus occultatum machinarum autores, obuersisque in vrbem tormentis ædes aliquot vna cum templo disiecerunt.

Inter hæc belli discrimina, promiscuasque pugnantium cædes Ludouicæum tandem absolutum est castrum, ac de Regis nomine sic appellatum. Hinc tractum hæreticicis omen, fortunæ bellicæ, quam hactenus famulantem sibi senserant Regiorum tandem ad partes deuoluendæ; & deuoluta tandem est, vt breui referam. Nunc quid Leranus è Rupellanis comitiis ad Fuxenses populares suos reportarit paucis narrare constitui. Hic Fuxensis comitatus toparcha Occitanicis, & Cebennatibus copiis Fuxensiumque Caluinianorum manipulis fretus, ciuilibus possim serendis discordiis obturbabat hunc tractum, ausus Varillæum oppidum, quod Aurigera fluuius intersecat arcta obsidione circumuallare, eo potiturus haud dubiè, ni finitima, quæ Regis partes tuebatur, aduolasset nobilitas, hominemque confusis ordinibus Apamias vsque fugere compulisset, dum interea suam ductorisque sui temeritatem sanguine suo luerent, qui ad opem ferendam venerant milites, quorum è numero interfecti ferè sexcenti, Cebennates sociorum clade perterriti, dum patrium in solum remigrarent, ad Castrum Arii, siue Castronouarium occidione occisi sunt omnes, terna ex iis erepta vexilla, & ad Regem allata.

Leranus Varillæum obsidet.

Eius fuga.

Et militum strages.

Mulctatus tantum Leranus erat in suis, nihil ipse damni perpessus, cùm tamen qui primarius turbinis concitator fuit, grauiore eius impetu percelli debeat: quamobrem, quia non conquiescit audacia, nisi stimulos ei pressius admoueris, Carmingius Comes curatis vulneribus in obsidione Montalbanensi acceptis, rebellare adhuc parantem oppidis spoliat eius iurisdictioni obnoxiis; hoc insuper addidit, vt non sectariorum tantùm corpora, sed quod nobilius iuxtà ac difficilius est, eorundem mentes edomaret, dum eos ad induendum Romanæ religionis iugum inflexit; pellectos enim ad se, egregiéque comparatos ad frugem Fuxensis vrbis ciues P. Villatæ Franciscano Sacerdoti catholica sacra perdocendos committit. Hic ineunte verno ieiunio, qua concionibus, quà disceptationibus variis de controuersis fidei rebus institutis viginti supra centum Romanæ aggregauit Ecclesiæ, quos inter Caluinianus adnumeratus Minister centenario maior, Fuxensem in prouinciam à Caluino multis ab hinc annis delegatus. Mirum sanè omnibus visum post adultam coroboratamque

Carmingius Comes Leranum insequitur.

Eius suasu, & Franciscani concionibus Catholici fiunt multi.

Inter quos minister centenario maior.

longo temporum tractu pertinaciam, haustamque à teneris hæresim, post tot annos in ea perdocenda flagitiosè consumptos, decrepitum iam senem, vietum, exsuccumque lac diuinæ, hoc est Catholicæ concupiisse sapientiæ; qua in re præpotentis Dei manus mirum in modum eluxit, qui è corrupto, corruptoreque gregis pastore sanam ouem præstitit feracibus æternitatis pascuis includendam. Rupellanos haud mediocriter pupugit inopinus huius rei nuncius; hunc enim hominem inter præcipuos religionis suæ architectos adnumerabant; cùm primæuum, quem à Caluino hauserat nouatæ fidei spiritum, in innumeros hominum greges immisisset; non tamen carpendam inde maligniùs sectæ suæ sanctitatem ostendebant, cùm defectionem hanc suasisset non religionis nouæ falsitas, sed ætatis, corporisque imbecillitas in desertoris vsque mentem transfusa, qui quam sanus, prudensque religionem professus olim fuisset, delirans iam desereret senex, nihil verum inter fallaxque discernens. Hæc illi.

Hæreticorū mæror.

Ta netsi è Fuxensium ad Ecclesiam reditu damnum haud mediocre, noua passa esset religio, arxque Ludouicæa Rupellanis mare conscendentibus certum minaretur exitium, audendum tamen censebant rebelles, continuandasque quas coeptarant excursiones piraticas; cessuros haud dubiè maritimorum certaminum gnaris regios omnes, quos vel leuis mugientis Oceani fremitus terrore percellat, Arnautum arci ab Rege cum Campanica legione impositum haud magnopere metuendum ijs esse, qui & numero militum, & causæ æquitate, certáque cœlestis opis impetrandæ fiducia longè hostibus præstent. His tanquam nautico aut militari celeumate perduelles incensi regias continuò naues adoriuntur, & fulminantibus ex vtráque parte tormentis; tametsi Razyllius, & Sanlucæus fortiter obniterentur, onerarias intercipiunt aliquot, fatiscentes item Niuernensis Ducis actuarias, & cum fluctibus colluctantes læti aspiciunt; quin & Guisiano nauigio, maiore periculo, quàm damno flammas iniiciunt, serpsissetque cum Guisii Ducis, qui Gallicani tum Oceani prætor erat, plurimorumque clade incendium, ni cita ductorum prudentia, veloxque militum diligentia commodùm occurrisset, auertissetque periculum. Cum atrociora longè pararent rebelles, vt paululum armorum tractatione supersederent, effecit perlatus recens Monspeliensis finitæ obsidionis, subsequutæque pacis nuntius, quo tempore destinatus ad Guisium Gontautus Rupellæ thalassiarchus, vt præteritos Rupellanorum motus excusaret, religionis causam obtendit,

Regias naues aggrediuntur.

Vincunt,

Audaciam excusant,

tendit, quam labefactari nemo sinat, qui salutem suam fluxis, futilibusque bonis potiorem esse duxerit. Hic ad Guisij conspectum Rupellanæ classis symbola deprimi, & ad eius pedes abijci iubet, quæ Guisius pede contemptim repellens; haud alia (inquit) exiguntur à Rege præstandi deinceps obsequij argumenta, quàm prostrata coram ipso subditorum corda, impiéque factorum pœnitudo non dissimulanter concepta; hæc itaque procul amoueri iussit, vnáque cum ijs antiquæ rebellionis expungi memoriam, tum cuncta illorum dicta, factaque à Rege condonatum iri spopondit, si quam præ se ferebant erga Principem reuerentiam, continuis (vt addecebat) stabilirent obsequiis.

Asserunt aliqui ante maritimas huiusmodi pugnas nuncium de Monspeliensi pace à Rupellanis acceptum, dissimulatum tamen, tentandam adhuc belli aleam ratis, dum prosperam experirentur armorum sortem, quæ non magis constans, quàm infidus, vbi pugnabatur Oceanus, rebellium tandem partes deseruit, speque omni dejecit potiundi Gallico maris imperio, quo semel accepto rempublicam nouam conflare statuerant, tanto peiores futuri, quantò ardentioribus in id studijs incumbebant, vt audere pro arbitrio sibi liceret, quodque turpiter auderent, exequerentur impunè. Magno stetit illis præceps nimis audacia temerariusque conatus, hausta quippe fluctibus non pauca eorum periere nauigia, perijt etiam prothalassiarchi Rupellensis actuarium; maiorque rebellium, quàm *caduntur.* regiorum edita strages, ex his quippe præter saucios, captos, denasque naues amissas trucidati quingenti; necati longè pauciores è regijs.

Accepto recentis huius victoriæ nuncio Rex ad ampliora longè operæ pretia cogitationes erexit, cùm enim terram, mareque sibi continuò militare videret, de Cœlo dubitare non poterat, quod suis semper conatibus obsecundare variis in periculis experimento didicerat; Massiliæ tum agebat ab obsidione Monspeliensi, aliisque expeditionibus recens, cui cùm victori, triumphatorique passim accrescerent palmæ, pax tamen erat iucundior, quæ rebellibus Occitanis ab Rege indulta, diuturna esse non potuit, & coacta pax huiusmodi veriùs, quàm spontanea videbatur, in quam Monspelienses consenserant tum regiorum armorum præsentia exterriti, tum Rohanij suasu inducti, quem nec communi reformatorum rei, nec religionis splendori, sed priuatis tantùm studuisse commodis quere-

Monspelienses rebellionem meditantur.

bantur; hinc autem id incommodi nascebatur, vt in indulta sibi ac-ceptaque quiete inquieto animo forent, pacisque cum Rege initæ propemodum pœniteret. Vt bellum etiam paci anteponerent stimu-labant quotidianæ Rupellanorum querelæ, quòd quam deijcien-dam propediem Ludouicæam arcem sperauerant, nouis eam Regii munimentis firmarent, verùm reliquis omnibus grauiùs expostula-bant prædicantes Ministri turbulentis cuncta miscentes clamoribus; nam cùm Rupellam in primam Caluinianæ religionis arcem, siue metropolim erigere conarentur, præsagiebant animo religionis, vr-bisque certissimam cladem, si Ludouicæa diutiùs consisteret moles, ac nisi cum eius deiectione conceptus euangelii per regios contumu-landi euanesceret timor.

Arx Ludo-uicæa cur Rupellanis infesta.

Ingratæ præterea compluribus aliis erant huiusmodi à bello feriæ quòd nempe militiæ præfecti sic demum pacem cum Rege compo-nerent, vt qui mulctari iure debuerant, rebellionis tamen præteri-tæ veniam pretiumque referrent aliquod; milites verò solos, si qu[a] tandem lueda foret pœna, percelleret; aut si vitæ, fortunisque parcere-tur, satis eos pœnarum dare; quòd post immensos in continuandi[s] diu præliis toleratos labores, post adita mille pericula, noctes in-somnes exactas, aliud ferè nihil præter innumeras cicatrices, aut hiantes purulentasque plagas, truncatorumque membrorum deho-nestamentum priuatas in ædes afferrent; lugubre sanè tum coniugi-bus, tum liberis, horrendumque visu spectaculum. Bellum itaque meditabantur hæretici, perniciemque per eos parari aliquam testa-bantur interceptæ sæpius eorum literæ frequentesque conuentus, idem quoque admonebant quæ iussu Regis disturbari debuerant ar-ces, fortiùs tamen contra regiorum impetus communitæ, coactis ad tympani pulsum operis ad eas semirutas, nutantesque firmandas.

Ingrata pax militibus.

Bellum pa-rant.

Vt instanti huic malo viam omnem præcluderent Ecclesiastic[i] Nobilitatis viribus freti, rebellionem vnà cum hæresi delenda[m] funditus esse statuebant, debilitatã iam eam esse penéque extinctam impiè facturos itaque regiorum exercituum præfectos, si inchoatum prouectumque satis opus speratum ad finem non perducerent; idip-sum tamen refellebant politici status periti aliquot; nam quo tem-pore sectariorum proteruia à Rege coerceri debuisset, hunc extern[o] prouocandum armis esse dicebant, iamque ab Hispano vallem Te[l]-linam inuadi; præstare itaque regias eò vires omnes conuerti ma[xi]-mè cùm Rhœti hostiliter ab Hispano habiti Gallicum implorare

Varia senten-tia contra hæreticos al-lata.

xilium. Addebant tolli non posse funditus hæresim, quin vna interent hæretici, pro illius defensione ferrum haud dubiè, flammasque subituri; consultius itaque fore, hæc si toleraretur in Gallia, cessa quondam moli Regis indulgentiæ, quæ quotidianis eius viribus restiterat; hactenus abundè profusum sanguinis esse, continuatis tot stragibus infringi Gallicum robur, sique ciuile diutius traheretur bellum, paucos admodum bellatores fore, quos imminentibus externorum principum viribus Rex opponere posset.

Et hoc ipsum peruidebant sectarij, palamque querebantur in vnos Regi fidos, & tranquillitatis amantes totam belli molem conuerti, Austriacæ verò genti vltra semper tendenti, regno Gallico inexplebili cupiditate inhianti nullas armorum moras obiici, quos Rex questus consopiret 23. Februarij an. 1623. cuso, vulgatoque edicto rebelles omnes subditorum se loco habiturum pollicetur, æternum insuper iis studium, conscientiæque libertatem promittit, commodo contumaces exuant spiritus, spondet denique tam pium, tamque beneuolum experturos in se principem, quàm impios ipse pertinacesque nactus sit subditos. Verùm quia rebellibus nunquam tam magnificè fit, quin magnificentiùs etiam fieri sibi velint, ad rem futuri cupidiùs hiantes, prioraque eleuantes merita, vt nouorum accessione firmentur; alia atque alia per concinnatos à se codicillos postulata Regi obtrudebant, quæ concedi non poterant absque graui Maiestatis ipsius iniuria; arcis præsertim Ludouiceæ demolitionem vrgebant, quam continuandis de more commercijs officere non mediocriter, fœderatorumque naues eo appellendas auertere querebantur; tum in Arnautum arcis præfectum gnarum militiæ, acrem fortemque virum, datos sibi præsidiarios Romana è disciplina moderantem atrocissimas diras euomebant, quod Rege, vt aiebant, in sententiam suam adducto regium hoc tamen monumentum stare iuberet; & sanè prohibuerat hoc destrui, sic Regi regnoque consulturus vir prudens; in hunc enim modum differebat. *Cui non indignum videatur in hoc totis viribus eniti sectarios, vt ad arma deponenda Regem inducant, dum ipsi quotidianis se se delectibus struunt. Vt suis se arcibus spoliet, dum nouas ipsi moles aduersus eundem moliuntur. Nunquid in Rea insula ac Oliaronensi noua construxere propugnacula, quæ quia regiam autoritatem oppugnant, in planum deijci nollent; & tamen de Ludouicæo castro, quod dirui maximè vellent, expostulare non cessant. Destruant illi primùm quæ*

In Arnautum inuehuntur arcem Ludou. stare iubentem.

Et cur?

erexerunt iam diu rebellionis arces, iustam Regi malè de ipsis suspicandi ansam præripiant; cui certè nihil optabilius erit, quàm frenum illud sponte deinceps obsequuturis adimere.

Hæc sectarijs obiectabat Arnautus fidei erga Regem, militiæque præclarus, ideoque Regi percarus, qui tantum è sequuto mox eius obitu mœrorem accepit, quantam ex eiusdem fide, immotaque constantia iucunditatem hauserat; siquidem *quę plurimùm amamimus, iis cum magna mentis ægritudine caremus.* Arnauto sublectus Toyrasius infinita penè eaque illustria belli pacisque temporibus virtutum documenta relicturus, eaque digna in quibus enarrandis peritissimorum scriptorum elaboret industria, quæ omnia demiratus est Subizius, qui turbulentis moribus præditus concessam pacem minime ferens, Ream insulam improuisus occupat, occupatamque diripit. Ad prædam confestim accurrunt, Subizioque Sacramento dicunt qui crebris latrociniis plagam illam iamdiu infestam habuerant, Ille præda ingenti prædonumque numero auctior, perinde quasi maritimum nactus imperium, ad Rupellanos literas mittit spei optimæ plenas, hortatrices quidem initio, sed postmodum exprobratrices, quòd cùm religioni serenũ illucesceret, opportunumque adesset excutiendi iugi tempus, recuperandæque libertatis, hanc tamen vili, qua premebantur, seruituti posthaberent: compertum iam esse disruptam quæ sancita Monspelij pax fuerat, Ludouicæam molem Rupellanis sectæque toti probrosam nouis firmari substructionibus, quam tamen in planum deiici oportuerat, ni rescissæ fuissent pacis recens initæ leges, quæ nullis nixa fundamentis nutauit, nutaturaque est semper violatâ toties Iurisiurandi religione, qua se obstrinxerat Rex, seruaturum se castè integréque quæ ad componendas partis vtriusque rixas sancita iam erant. Quid nobis ab eo sperandum magnopere, qui toties benè sperare iussos, fefellerit semper; Cùm itaque cassa futura sit reformatorum spes omnis, in vnis tantum viribus vestra liberorumque vestrorum defigenda est salus.

Arnauto mortuo suffectus Toyrasius.

Subizius Ream insulam capit.

Rupellanos ad rebellandum excitat.

Cùm ad hæc Rupellani nihil literarum darent, aut si quid responsarent, varijs illud implicarent ambagibus, Subizius pertentandum facinus aliquod in animum induxit, quod si ex animi sententia procederet, haud dubia spes erat, quin fortunam benignè sibi suffragatam sequuturi reformati mox essent. Blanetum igitur seu Ludouicæum portum inuadit. Altissima tum pace fruebantur oppidani,

Blanetum intercipit.

portuſque ipſe, quod ferè fit, vacuus excubitoribus erat, quod nullus tunc metueretur hoſtis, & nullum in armis fore putabant poſt decantata toties ſtabilitæ pacis edicta, verùm haud ſatis perſpectum habebant Subizii genium, vix vnquam ſibi, niſi in conciendis tumultuum procellis conſtantem: clanculum igitur, tacitoque remigio claſſem iuxta portum applicat, commodùm in vrbem irrumpendi tempus opperiens; dolum audaciæ iungit, onerarias ſiquidem binas præmittit, quas inſtitorum eſſe ſimulat; ijs ad portum appulſis, continuò, qui vehebantur, exſcendunt; tuta adhuc erant omnia, metus inſidiarum Blauetenſibus nullus, cùm intempeſta nocte militares naues decem, totidemque cymbas Subizius in portum inuehi iubet, oppidoque, cuius haud ita difficilis erat aſcenſus, nemine ferè reſiſtente potitur. Certatum vtrinque odiis grauioribus, quàm armis, exiguaque admodum ſtrage; cæſus duntaxat ſenex vnus, qui vt Niuernenſis Ducis nauigia tueretur, binos aut ternos è Subizianis peremerat.

Arx à Regiis defenditur. Occupato ex inſidiis oppido, expugnanda ſupererat arx, tanto captu difficilior, quantò militari commeatu inſtructior. Subizius nihili recentem ducens victoriam, niſi molis huius omniumque, quæ in eam aſportata iam erant acceſſione cumularetur campeſtribus hanc illico machinis quatere inſtitit, labemque impreſſit ad irrumpendum idoneam; iamque cùm manipulis inſilire parabat, ea potiturus haud dubiè, niſi opportunè adfuiſſent Vindocinenſis, Radeſianus, & Briſſacus, optatamque præſidiariis opem attuliſſent, quorum in conſpectu cùm ſoluta fuiſſet obſidio, pedem retulit Subizius, nocturnis ad conuelandum pudorem tenebris tectus. *Fugit Subizius.* Abſorpta mox aliquot vtraque ex parte nauigia; hoſtilia duo iactis à regio milite flammis incenſa; quæ dum ſerpente in ima incendio cladi proxima forent, ſubduxit periculo è Subizianis vnus aliquis, ad hæc inter ingruentes volitantium glandium nimbos tranare conſpectus; admirationem auxit, dum fuſum varias in partes incendium corio bubulo aqua madefacto feliciter iuxtà ac periculosè reſtinxit Hanc ego virtutem cum Horatij Coclitis, aut Clæliæ Romanæ Virginis fortitudine compararem, ni hæreſis, & perduellio qualemcunque præclari facti huius ſplendorem obtererent. *Audax militis facinus.* Nauigia poſt longum ſatis ambiguumque certamen Regi tradita, hoſtium ducibus cùm in terram exſcenderent indulta eſt ſalus.

Dum Subizius prædatoriis nauium excurſionibus Aquitanos, Pi-

Rohanius & Bethunia bellum in Aquitania serunt.

ctuaienses, Santonesque premeret, maritimum insuper ambiret imperium, Rohanius eius frater vendicata sibi Occitanicarum prouinciarum præfectura longè latéque spargebar periculosi belli fomites, nonnisi fuso multorum sanguine restinguendos, adiuuabat virum Bethunia coniux, haud mediocres ad persuadendum ex ipsa sexus mollitudine vires, & illecebras trahens. Potentior tamen longè Rohanius erat, præsertim dum innatæ sibi facundiæ lacrymas adderet, quod magnum fuit semper ad flectendos animos incitamentum. Inferiorem autem Occitaniam peragrabat hæc fœmina, sectæque cultores ad auxilium marito, religionique quam propugnabat, præstandum hortabatur, alliciebatque non tam verborum, quàm formæ liberalis, & ingenuitatis aucupio, tametsi diserta satis & eloquens.

Rohanius in Occitania superiore Castrensisque ciuitatis vicinia variis grassari cœperat artibus; nunc enim frequentibus intentatis minis, nunc pollicitationibus crebris, nunc spe, nunc desperatione iniecta populum ad propugnandam religionem suam, exturbandamque Catholicam admotis acerrimæ orationis stimulis adurgebat. Erant tamen qui intempestiua eius hortamenta auribus animoque respuerent, tranquilla iam cuncta obiicientes, promulgatam toties singulis in vrbibus pacem nec violari debere, nec posse. At ille quod iam antè significarat variis rationum momentis, & exemplis à sacris, profanisque codicibus petitis astruere, instare precibus, per sacta cuncta suppliciter obtestari, nunc magnatum hæreticorum eblandiri suffragia, nunc spem eamque optimam vultu simulare, nunc desperationem; nunc repentinos colliquescere in fletus, nunc deterso frontis nubilo gestientis animi signa non obscura promere, varias denique instabilesque formas induere momento temporis exuendas; atque vt mortale se nihil, sed immortalia duntaxat & æterna spectare ostenderet, prolato sacrarum literarum volumine, ex eo se tanquam è vero, ac nunquam ludificante oraculo cœlestes illos impulsus haurire dicebat, speculum illud esse perspicuum, in quo illitas à Papistis Euangelio maculas non sine mœrore deprehenderet, exin librum illum identidem amplexari, dissuauiari, ac propemodum lambere, fidum laborum comitem, angorumque omnium panacæam appellitare. Tum conuersa ad populum voce nonsum Oratori tanto plaudentem, omnium acriter inc repabat segnitiem, qui labenti religioni non succurrerent, vnum se esse contestans, qui pro fratribus suis ad officium reuocandis vitam profundere

Rohanii eloquentia & lacrymæ.

velit, opem itaque ab ijs efflagitare, quam si negare statuerent, lacrymas saltem sibi pro communi omnium salute mortem oppetituro ne grauarentur rependere.

Hæc & pleraque alia Rohanius variis in vrbibus, in triuiis, in compitis, in templis etiam, Caluinianis septus præconibus eloquebatur. Huic quacunque iter haberet, præibat Ephebus aliquis bibliorum codicem aurata coopertum aluta præferens, tanquam in hoc vitæ libro vni forent inscripti sectarij, ideoque omni ope, ne papisticis corrumperetur erroribus propugnando. Paria ferè diu antè Rohanium tentarat Ioannes Leydanus natione Batauus, vestiarius sartor, sed vltra forfices acumque se se nequiter efferens; hic ab Anabaptistis in Regem electus polygamiam verbo exemploque sanciebat, quippe quindenarum coniugum vir verè vxorius, meritóque ridendus; sed quis in huiusmodi nebulonibus pudor! post peragrata loca varia, mortalesque plurimos in errorem inductos scenicus ille regulus cum iis quos circumferebat secum, tabulis, per ciuitates tractus omnes, in quibus superstitionum suarum virus effuderat, vstulatus, laniatus, discerptusque infelicem animam egit. Tantò sapientior infami illo portento Rohanius erat, quantò nobilior, huic enim honestissimi, cultissimique mores inerant, vnus homini contrarius error, quem pertinacius propugnabat, cæterà probus; in vnum hunc offendebat lapidem, & flebili, (vti iam dixi) facundia ad eundem casum trahebat innumeros.

Huic præibat Ephebus cũ bibliis.

Leydano præstitum idem.

Eius supplicium.

Et quia magna pecuniarum vi ad militare stipendium opus erat, pro Caluinianorum templorum foribus stabant nonnulli cum sacculis, exeuntis illinc populi largitate implendis: rogabant autem, profusè darent omnes, non auarè; bellum quippe contra Philistæos, hoc est Papistas atrox esse mouendum, huius autem belli neruum esse pecuniam. Affatim ergo dabant omnes, Magnates præsertim. Quin & fœminæ maritorum liberalitatis æmulæ fibulas aureas, armillas; specula, vniones denique in symbolam suam conferebant, capillos etiam suos, si è re visum fuisset, in anchorarios, aut tormentarios funes detonsuræ. Sic itaque animo comparati sectarij hortatore, impulsoreque Rohanio grande facinus aliquod aggressuri erant in priuatis eorum cœtibus iam antè conceptum, maximè cùm Rohanius violatæ pácis inuidiam in vnos conferret Catholicos, ipsum se esse affirmans, qui per literas imò & coràm tantum Regi dedecus exprobrasset, ob id in custodiam datus; improbè fecisse

Collectitia pro bellico sumptu pecunia.

Muliebris mundus in id impensus.

nonnullos qui atrocibus se contumeliis onerarint, quasi sancitam cum Catholicis pacem in rei domesticæ commodum, & incrementum vertisset, cùm ipse ciuilis belli turbinem exceperit primus; euersas ab regijs arces suas castellaque haud obscuro documento esse, quanti publicam rem fecerit, cùm pro ea defendenda deseruerit suam.

Sectarij regias opes inuadunt, & Catholicorũ.

Præter suppeditata largiter à compluribus dona, inuolarunt sectarij Catholicorum in opes, regios insuper occuparunt prouentus, vt suis Rex ipse viribus oppugnaretur; atque id Rohanius Ioanni Soustellio, misso ad eum diplomate negotij dederat; vt, quia Andusæ libellionis regij munus obibat, publica cuiuscunque conditionis æra per tractum hunc totum Catholicis debita ad militare sectæ præsidium transferre maturaret; vtque ad id pacatiùs aggrederetur municipalibus magistratibus cunctis, tribunis legionariis mandarat, vt ad id operam suam, autoritatemque conferrent: diploma primùm à se subscriptum chirographo suo munierat, ac de eius mandato Fagetius. Exturbabantur ergo bonis suis Catholici, crimen erat, regias si quis partes Romanamque religionem tueretur, bonorum omnium proscriptione plectendum; prædones autem, vt amoto pœnarum metu Regiorum opes expilarent hortabatur, augebatque animos Blaueti portus inuasio recens, magnoque vt cum Poëta loquar, decantabatur hiatu Subiziana victoria postmodum in inexpectatum autoris dedecus tota versura, dum quod insidiosis artibus occupauerat oppidum, luce palàm reddere cogeretur.

Espernonius agrum Montalb. vastat.

Dum hæc in Occitania & Aquitania gererentur, Espernonius Montalbanensis agri fruges ferro flammáque deuastabat: Dolenter admodum ferebant sectarij corrumpi sibi spes omnes adblandientis annonæ, malique tanti causam in rebellionem vnam conferentes, ad obsequium Regi præstandum inclinabant eorum non pauci, sic imminens famis vitaturi discrimen, longè plures absumpturæ, quàm ferrum Principis in pertinaces conuersum. Durandum tamen sub hac Martis procella quanquam segetes omnes populatura succlamabant Caluiniani Præcones, præpotentis Numinis esse affirmantes cunctis fidorum sibi necessitatibus affectu plusquam paterno prouidere; coruis etiam ipsis procuratum à Deo largè cibatum, quantò sollicitiùs cælestis hic aduigilabit œconomus, ne quid electo sibi populo desit, quo vesci commodè queat; panem Eliæ penè deficienti ab ætriensi illa prouidentia non sine miraculo datum; oleum lecythis superfusum

ſuperfuſum ad leuandam viduæ cum morte confligentis inopiam, & reliqua huiuſmodi nutriendo rebelli populo cælitus emanatura garriebant, quæ ſolandæ quondam Sanctorum ſuorum inopiæ benigniſſimum Numen indulſit.

Subizius vt Montalbanenſium cladem per noua Catholicis importata damna ſarciret, Medulorum tractum infeſtus aggreditur, Caſtellionem, & ſancti Chriſtophori oppidum in poteſtatem ſuam redigit; hinc laxatis prædabundo militi habenis, voluptarias Magnatum Burdigalenſium villas diripit, Burdigalenſes ipſos oppugnaturus, ni feſtinatum à Toyraſio fuiſſet auxilium, trecentis ſupra mille Campanicæ legionis militibus ad arcendos prædones immiſſis. Præmiſerat quidem aliquot Eſpernonius, at longè numero inferiores, vnde laus ferè omnis depulſæ feliciter graſſationis vni eſt adſcripta Toyraſio; atque magnum inde nomen aſſequutus heros generoſiſſimus præluſit maioribus auſis, plus ei famæ conciliaturis, quia cum maiori iunctis periculo. Hoſtes cumulandarum deinceps victoriarum expectatione deiecti conſcenſis protinus lembis Rupellam remigrant. Quàm feſtinata eorum fuga, quámque ingens terror fuerit, declarat ſatis armorum numerus, ſarcinæ, commeatus, bellicaque omnis generis ab ijſdem relicta ſupellex, ſed & manifeſtiùs innuit ægrotum multitudo victoris exercitus iræ aut miſerationi permiſſa, quæ poſtrema, compreſſo ab regijs tantiſper furore, ad ægrotantium ſalutem, Chriſtianæque virtutis documentum lætè admodum iucundéque eſt data.

Subizius villas Burdig. inuadit.

Repellitur à Toyraſio.

Fugiunt hoſtes relictis ſarcinis & ægrotis.

Interea Vergert-Malaguetus Subizianorum caſtrorum præfectus cum quindenis actuarijs Interamnio dilapſis circumiacentem agrum crebris populationibus infeſtans, inſurgentium mox villaticorum armis cedere cogitur: quo ferè tempore Subizius, vt ab incurſando finitimo tractu temperaret, vicena nummorum aureorum millia à Burdigalenſibus tradi ſibi petijt. Inhorruit illico ad poſtulatum hoc audax magna Catholicorum pars, quaſi verò nihil è cohortibus regijs, Toyraſiique, virtute ſperandum foret auxilij; hanc quoque petitionem velut ſibi probro verſuram indignè tulit Senatus ampliſſimus: verùm iuſtis populi clamoribus, ſupremæque curiæ minis pro nihilo habitis, rebelles ſolitò fidentiùs agere viſi, recentes victorias prædicare ſublatiùs, ampliores longè ſperare, regiorum vires publicis, priuatiſque extenuare ſermonibus, conclamatas Papiſtarum res eſſe, reformatis ventos eum tempeſtatibus ob-

Audax Subizii petitio.

Sectarii Burdigal. inſultant Catholicis.

Spoliantur armis. sequi, certo nummorum pretio addictas à Subizio Burdigalensium fortunas, Fremebant Catholici omnes aduersus arrogantes insultantium voces; quare interposita Senatus autoritate spoliati sunt armis sectarij, ne quod palam minabantur, Subizium intra vrbis septa admitterent.

Hæc Burdigalæ mouebantur, dum Espernonius Montalbanensibus agris perpopulandis instaret validiùs; opponebant quidem oppidani præsidiarios suos, instabant interdum acriter, sed frustra; quamobrem, nihil aut perparum aduersus regios molientes, molituríque deinceps, aliquam tandem armorum cessationem postularunt, iugum se accepturos polliciti; nec mora, quod supplices expetierant, haud difficulter exorarunt; annuit siquidem omnibus Espernonius, cúmque à deuastandis agris absisteret, intempestiuam hanc rebellibus quietem indultam non vsquequaque probasse Cœlum est visum, aut qui Cœlum condidit Deus, repentinæ siquidem exortæ procellæ, ingentisque ponderis grando atris è nubibus magno cum impetu delapsa Montalbanensium frugibus, totisque latè patentibus campis cladem tantam intulit, vt non ex vano censuerint, iactarintque nonnulli, non vtique tam acerba Montalbanenses fuisse passuros, nisi tempestates interdum aduersus Numinis Regisque contemptores arma sumerent, dum supplicibus piorum votis obsecundant.

Finis Montalb. populationis.

Maritima Mommorancii præfectura. Eodem ferè tempore Mommorancio Gallici maris præfecturam assecuto, Occitaniæ totius regimen Marescallo Theminio datur, militari, quam apprimè norat arte digna perfecturo, si cætera, pecuniæ præsertim ad optima quæque necessariæ commodùm adfuissent. Tolosa certè nihil à se desiderari sustinuit, quod non aduersus Deo Regique rebelles largè profunderet; obsidionales submisit machinas, reliquumque mouendi prouehendique belli instructum, cùm tamen nihilo leuiora forent vectigalia Regi de more pendenda. Gemebat sub onere tanto prouincia tota, sed mœrorem ex parte leuabat religionis causa, cuius vt defensioni, splendorique consuleret, sumptibus vltra vires prodibat. Prima Theminio contra Mombrunum Montalbani præfectum tentata belli alea fuit, & auspicatò id quidem, adeò enim hominem pristinis tumentem sectæ victoriis fatigauit, vt penè oppresserit, & attriuisset omnino, nisi ille post leue certamen aufugisset, duodenis relictis militibus victoris exercitus gladio perimendis. Haud ita multò post Blanceæ, & Bonaceæ

Theminii victoria de Mombruno.

arces in latrocinantium hæreticorum aliquot latibula extructæ, momento disiectæ, vnáque prædarum deinceps agendarum spes concidit, Bonaceis verò prædonibus iudicis sententiâ suspendio necandis, quia carnifex deerat, inuentus est vnus aliquis, qui ferale hoc ministerium etiam in patre suo exercere sit ausus, eique crudeliter vitam eripuerit, cui quòd viueret ipse, referre debuerat.

Exin Theminius Castrensem populationem aggreditur, Ragniumque Marchionem, Carmanium Comitem, seu Carmingium, Ambræum, Meruillæumque Marchiones in peruastandis agris, vicinisque adiutores ascisci. Tum versus armorum impetus in Sancti Pauli oppidum, & Miatum Vauro non procul, vbi necatis stationarijs aliquot, alijs abscedere iussis, ardentior victoris ira in ipsa oppida flammis absumenda incubuit. At ne Theminius coeptas feliciter cumularet victorias, è montosis Cebennatium oppidis festinatis itineribus properabat Rohanius cum bis mille quingentis peditibus ducentisque equitibus, & iam prope Vianam rebellium arcem munitissimam Petrasanctam oppidum in Albigensi tractu protegentem castra collocarat, cùm Theminius instructa protinus ad hunc repellendum acie, aliquot eius milites in tumulis delitescentes per rorarios primò à Prato, & Sandesiderio Normanicæ legionis centurionibus congredi iussos fudit fugauitque. Tum atroci certamine inito, cuius è fronte Theminius, Ragnius, & Carmanius in hostilem peditatum effusi, tantam rebellium stragem ediderunt, vt censa sint viginti supra centum interemptorum cadauera, reliquis pari fato inuoluendis celerrima patrocinata est fuga.

Theminius Castrum populatur.

S. Pauli oppidum, & Miatum occupat.

Rohanæi profligantur.

Interea Rohanius è Vianensi propugnaculo feralem hanc suorum spectabat tragœdiam, audiebat confusos cadentium, plangentiumclamores, quin & ad eius conspectum iniectis facibus Petra-secta vastatur commune prædonum receptaculum. Certamen à tertia post meridiem ad septimam vsque horam protractum; è regiis, qui seruatis ordinibus diligenter atque militari ex arte pugnarant, vicerantque desiderati haud ampliùs septem, vulnerati duodecim. Rohanius paucis comitantibus Castrensem in vrbem proficiscitur, leniturus sensim inauspicatæ huius diei molestiam, prioribus, quas olim pertulerat, attexendæ. Hoc autem maximè tempore, tum eiusdem, tum Subizii fratris ardor refrigescere visus, alternantem belli sortem increpantium, à se tale nihil commeritis in hostiles partes vnà cum felicitate dilapsam. Sunt qui vtrumque inertiæ insimu-

Petra-secta vastatur.

Rohanii & Subizii, infortunia.

lare audeant, quòd belli pericula cautiùs, quàm speciosiùs deuitarent, quasi vitam pro religionis suæ defensione cunctarentur profundere, aut eam, quod olim Demosthenes melioribus olim ausis reseruarent. Verùm haud iustè satis exploratis tantorum heroum laudibus virtutibusque obtrectant, quas militaris æquabat peritia, quamobrem si sæpius vtrique improsperè factum, totum id in Caluinianam fidem, cuius tutores fuerunt, referendum censuerim, consimilibus damnis iure mactandam.

Theminius copias ducit in Fuxenses.

Theminius ad laureas semper vlteriores aspirans, Fuxensem in agrum victorem transportat exercitum; atque vt ocyus eò maturaret, sollicitabat Carmanius Comes huic Prouinciæ gubernator impositus, solito quippe vehementiùs turbabant hæretici, dum procul essent, quos metuerent. Tota belli vis in Calmontij obsidionem incubuit, quæ Castelnaudario finitima vrbs, viciniam totam crebris latrociniis infestam habebat; hæc triduo toto resistere ausa, fatiscentibus tandem continuatâ verberatione mœnibus in obsidentium potestatem venit, militique diripienda relicta; tum ne qua rebellantis vrbis starent deinceps vestigia, excitato, seu à milite regio, seu ab oppidanis in desperationem actis deflagrauit incendio. Idipsum pariter ausi Sauaritij & Bordesij ciues, pagos quippe suos, seu quòd repellendis regiorum armis impares essent, siue vt ipsis sibi priuatos ad lares remigrandi spem omnem præciderent, iniectis certatim facibus casstarunt, illinc Mansum Asyli profecturi, quæ tutior ijs futura videbatur statio, validaque ad hostium impetus retundendos; quanquam & ad deditionem prona vrbs erat, ni oppidanorum inertiam acriter increpuisset Rohanius, auxiliares copias, curasque peruigiles ad vrbis huius propugnationem pollicitus, in qua posita esset, vt affirmabat, Ecclesiarum omnium incolumitas.

Calmontium expugnatur, & incenditur.

Borretius pagus pariter incendio perit. oppidani suspendio necati.

Sub id Borretius pagus à regiis incenditur, oppidani necantur, quique præsidiarij aderant milites, quod in inualido loco muralis aspectum machinæ sustinuissent, vt dato hoc virtutis experimento, deditionis opprobrium, si quod futurum erat, sarcirent. Spontaneæ deditionis conditiones à Theminio reiectæ, gloriosiùs expressum est ferro quod offerebatur ob obsessis: atque vt eorum contumaciam, iamque in regios probra strenuè vindicaret, milites suos in pagum irrumpere iubet, Baro Meslæus primum impetum facit, ingentique incolarum strage victoris iram exsatiat, dedititiis omnibus, vno duntaxat excepto, gula frangitur, cui, vt carnificis vices obiret, lucis

vsura concessa. Subsequuta postmodum est Mansi Asyli expeditio, cuius vrbis obsidioni ęgrè admodum assentiebantur è regiorum proceribus multi, tum quia diuturnis belli laboribus fatigatus erat exercitus, tum quia lapsi continuò imbres, imminensque hyemalis anni asperitas à protrahendo diutius marte abstrahebat; tractandum tamen ferrum maior pars censuit, dum tot Regi victorias accumulare pergeret, haud satis gnara, quid post tranquillam adultæ diei faciem serus esset vesper aduecturus. Stabant à Rege septena legionariorum millia in Normanicam, Crussoliam, Ventadoriam aliasque cohortes distributa, castrametabatur Carmanius Comes, copijs omnibus præerat suprema cum autoritate Theminius, trepidabant oppidani milite, commeatuque pene defecti, deditionemque parabant ni Rohanius properè Fuxensem in agrum legionarios sexcentos Valescurio duce submisisset, qui grauissima, dum transirent, pericula eluctati, cum plerisque alijs à Samblancardo deductis intromittuntur in vrbem. *Mansi Asyl. aggressio.* *auxilia obsessis data.*

Vrgebatur à regijs obsidio, sed dum intenderetur hyberni vis frigoris, morbique crebrescerent, quibuscum periculosius erat, quàm cum hoste luctandum, dumque interirent non pauci, rari admodum restabant qui vrbem circumsiderent manipuli; quin & depellendæ eorum fami ex longo collectæ segnius à curatoribus prouisum fuerat, dum annonarij qui iustum commeatum adueherent, institores abessent. Tolosani nihil in se opis auxilijque desiderari sinebant, quo regis decori, religionique consuleretur, palos vltrò ligonesque prouehendis vallis submiserant, ferreas insuper, plumbeasque glandes maioribus minoribusque machinis euibrandas; aderant ferè omnia irruptioni necessaria, vna defuit bellica sors, bis quippe conati hostium muros inscendere regij, bis magna strage repulsi. Quamobrem parum idoneum aggressioni tempus, ciborum inopia, palabundorum morborum vis, hortatusque procerum, Theminium nunquam aliàs cedere solitum eò tandem perpulerunt, vt præteritis contentus victorijs, aliò mentem, consiliaque verteret, suspectam deinceps felicitatem habiturus, eodem semper stare loco nesciam, alis quippe, quibus circumuaga hac illac feratur, instructam. Nemini è regijs adscribendum duxerim inauspicatum huius obsidionis euentum, victoriam certò relaturis, si quàm facilè hostes, tam commodè difficultas ipsa temporis, annonæ grauitas, grassantesque passim morbi expugnari potuissent. Gubernatorem damnant *Soluitur obsidio.*

aliqui,cuius id fuisse muneris aiūt sedulò præcauere,ne tantas in difficultates miles incideret, nam si diligenter prospiciendum est illi, vt strenuè semper miles, vt ex arte bellica manus conferat, danda etiam est opera, ne eidem cibaria desint, ne prædis agendis quàm bellicis obeundis muneribus cupidiùs instet. Quin & in curarum parte belli Præsidem adnumerare decet, vt tempestates norit aptas & inimicas obsidiis. Theminius exercitum in hyberna dimisit, dum insolescentes ob recentem victoriam Rohanij cohortes Ambræus Marchio, & Montpeyranus eius frater obtererent. Lusignanus Rohanij Legatus principio resistere ausus, fugam postmodum arripuit equi punici pernicitate commodùm vsus; interfecti sectarij non pauci, nullius ferè nominis viri, communi hac clade exempti Monclusius, & Margaritæ Fratres nobili è stirpe oriundi, cæsus è Regiis Cambiacus, sed non ante relicta bellicæ fortitudinis, aliarumque virtutum documenta non pauca.

Subizius oppugnatur à Mommorancio.

Nunc ad Oceanum vela, seu calamum conuertamus, cuius vt aliàs dixi Subizius inhiabat imperio, quod vt assequeretur, classem iam struxerat maioribus, minoribusque constantem nauigijs. Hic Medulis pulsus piraticam cum classiarijs exercebat impunè, Gallis iuxtà ac externis mercatoribus infestus. Ad hunc oppugnandum Mommorancius maris præfectus iussu Regis naualem exercitum comparat, cui Batauicas copias, nauesque cum Haustainio duce Rex adijcit ab Ordinibus missō; & fidam Regi operam pollicebantur Batani, nisi accensa eorum in Gallicum regnum studia restinxissent bini sectæ ministri, quos cum Institoribus etiam binis Rupellani ad eos delegarant. Venerant illi simulata de Admiralio conquerendi specie, re vera, vt Haustainium à ferendis Regi suppetijs auocarent. Expostulabant autem prædicantes nec absque gemitu vocis interdum libertatem abrumpente, nullius se criminis conscios, cuius ad expiationem terra marique fanda nefandaque pati cogerentur; ex quo Monspeliensis pacis aduenerat nuncius, lætè admodum arma cum odijs posuisse reformatos indulta sibi quiete iucundè fruituros, nuncupatas Regis obsequio cunctorum fuisse voluntates; nunquam ad id vsque temporis reuocatas, arces omnes iuxta pacis conditiones disiectas, Sacros Ecclesiæ prouentus Sacerdotibus redditos, designata in reformatorum vrbibus loca, vbi sacra sua papistæ Romano peragerent ritu, alia denique atque alia præstita,, non modò quæ imperata ab Rege fuerant,, sed & quæ grata

Haustainius Batauicarū copiarum Dux à Rege distrahitur.

Ministrorum oratio.

eidem fore putabantur, & accepta; quibus omnibus cùm paria ab eo expectarentur, contraria omnino fuisse reposita, quæ si enumerare vellent, non finerent temporis angustiæ ad occultum hoc colloquium nemine regiorum arbitrante captati. Auscultabant attentiùs Batavi subdolæ Ministrorum orationi, æquitatis tamen speciem aliquam præ se ferenti, vnde cunctabantur anxij incertique animo, num consultius foret aduersus religione dispares martem experiri, quàm contra Rupellanos gregales suos; quin & Haustainij mentem internæ identidem discruciabant furiæ, nec hominem quiescere patiebantur, quasi Cælites ipsos vnà cum Rupellanis aggressurum, quapropter certamen obfirmatè detrectauit, nihil se contra reclamantes conscientiæ leges admissurum esse contestans.

Mommorancius mutatam in Batauo pugnandi voluntatem contuitus, per sacra & augustiora quæque hominem obtestabatur, ne victoriæ quæ in manibus propemodum habebatur, intempestiua cunctatione moram afferret, negare ille pertinaciter, nec fas, nec honestum obiiciens, quos saluos & sospites Deus cupiat, quippe veræ religionis cultores, eosdem iniusti Martis furore percellere; instare Mommorancius, vrgereque vehementiùs erumpente interdum singultu, ne destinatam sibi laudem, ac penè desponsam tantâ mentis obstinatione dilabi fineret, montes aureos ac gemmeos polliceri. Incassum iactata hæc omnia; Haustainius quia inductam pacis mentionem audierat, peropportunum eius sanciendæ tempus aduenisse ostendit, aut si pax certa fundari non posset, inducias saltem esse pangendas; atque in hoc, quia Batauus de sententia dimoueri non poterat, consentire coacti sunt regii. *Inducia.*

Has autem armorum ferias ob id potissimum Rupellani petierant, vt interea quæ ad naualis belli apparatum spectabant, otiosiùs concinnarent, cùmque vix prouisa cuncta parataque essent,, obsides illi suos repetere maturarunt, conscensis nauibus inopinò in Batauos irrupturi, ac primùm eius qui vicarias Haustainii partes agebat nauim inuadunt occupantque, certam Batauis cædem comminantes, ni properè scapharum præsidio imminenti se periculo subduxissent; illinc cùm in regiorum naues prorueren, æneis eorum machinis destinatum ad scopum nunquam non collineantibus, magna ex parte discerpti, experti sunt tandem, quanquam paulò seriùs, in repellendis hostium conatibus fortiores longè Gallos esse, quàm Batauos. Referunt Scriptores è Rupellanis trecentos atque eo am- *Rupellani Batauos insequuntur.*

plius interfectos, vulneratos complures, eùm iis tutam in stationem deducendis quaterni vectorii lembi vix satis fuissent, languētium corporum, aut cadauerum potiùs pondere ferè deprimēdis. E Catholicis quinquaginta tantùm occisi, iique ferè gregarii. Atque ex improuiso Rupellanorum conatu intellecta est eorum versutia, dum simulatæ orationis retibus Batauos ad se pellicere adniterentur, dum violandæ religionis metum iniicerent, ni continuò arma contra se sumta deponerent, cùm tamen ipsi conscientiam tetri facinoris exprobratricem nihil veriti internosque clamores, contra Batauos Caluiniani ritus sequaces tam ferociter dimicarent. Hæc ludificatio, siue proditio potius Batauos ad eiurandam Rupellanorum amicitiam impulit, eosdemque validè profligandos, qui contra humanum ius omne, gratiam tam beneuolè sibi factam inflammatâ nocendi voluntate pensarent.

Intellecta eorum fraus

Exin naualis, terrestrisque exercitus aduersus rebelles instruitur; maritima expeditio Mommorancio maris Præfecto, terrestris Toyrasio & Sanlucano tribuitur, iis Rupifocaldius additur illustri maiorum suorum sanguine, notaque generositate conspicuus. Prima belli huius tentamenta Toyrasius in Ream auspicatò vertit expugnatu difficilem insulam, à validis quippe præsidiariis infessam, haud facilè oppugnatori cessuris, nisi militarem innatæ fortitudini dolum addidisset. Hic igitur Rupellanorum finitima per quingentos supra mille legionarios perpopulari occœpit, instititque acriter, donec, quod præceperat animo, opponerentur sibi Subizianæ ab Rea insula reuocatæ cohortes, sicque omni locus nudaretur præsidio. Successit Toyrasio, vti præsenserat, militaris solertia; quamobrem cum mille octingentis peditibus, & sexcentis equitibus Sanlucani, & Rupifocaldii auxiliaribus copiis insulam totam regiam in potestatem redegit.

Toyrasius Rea Insula potitur.

Vigesimo sexto Septembris anno 1624. ad Arsium oppidum Sammartino vicinum castrametari cœperant hostes; ad quos oppugnandos tota confestim regiorum pubes exarsit; flagrantiore tamen studio nobilitas, hunc non tam martis quàm gloriæ campum arbitrata valentioribus quibuscunque propositæ; quamobrem instructâ confestim acie, molestrinâ, ædibusque circùm adiacentibus tecti, consociatis viribus in hostem irrumpunt. Subizius, cùm sarissis, gladiisque aduersæ cominus congrederentur acies, cum alariis aliquot aduolat, moxque cùm in regii peditatus latera impressionem facere adniteretur,

Subizius à Sanlucano fugatur.

admitteretur, resistentium vi adeò non sustinuit, vt ne districto quidem gladio, idem quod f cerat iter remetiri quamcelerrimè instantibus à tergo regiis cogeretur Verger-Malaguetus castrorum præfectus Subizianæ fugæ dedecus honesta morte piauit: totusque dein exercitus à Subizio distractus, quasi accisis viribus elanguit; cùm qui hortaretur, qui regeret, qui exemplo præiret nullus vllibi esset; quo tempore regii è primaria regni nobilitate collecti, nunc militum, nunc Centurionum, quin & gregariorum etiam vices certatim obibant, nempe ignobilibus muniis nobilitatem dabat gloriæ quæ inde sperabatur amplitudo. Post atrocem hanc pugnam hostes iterum debellati confusis ordinibus Sammartinianam arcem repetunt, quorum spoliis potiti Catholici vnaque partæ victoriæ laude contenti ab insequendis fugientibus abstiterunt. Subizius scaphâ quam ad subitaneos rerum euentus instructam semper habebat extemplo conscensâ in Angliam proficiscitur conclamatis sectæ rebus auxilium aliquod ab Rege postulaturus. Hoc in certamine cæsi è rebellibus, vt perhibent Scriptores, octingenti, totidem aut fluctibus hausti, aut vulneribus debilitati pòst paulò interfectorum auxere numerum: capta maioris modi tormenta quatuor; è regiis trecenti tantùm necati, ignobiles ferè omnes, nullisque in bello dignitatibus clari. *In Angliā vadit.* *Ingēs rebellium strages.*

Terrestris huius expeditionis laudem, par maritimi certaminis proximè consequuta est gloria, Nam Mommorancius Batauis copiis munificâ largitione, certaque victoriæ spe ad dimicandum adactis, prætoria vectus naui pugnam instruxit, memorabilem hanc efficere missiles ex vtraque parte ferreis aut æneis fistulis ignes, longè adeò lateque dispersi, vt ipse conflagrare videretur Oceanus. Complures ex hostibus cæsi, dum regii in captas eorum naues stricto gladio furialique clamore irrumperent, dum ex incensis nitrati pulueris apothecis eluctantes flammę obuios quosque in sublime attollerent, discerperent, truncatos militum artus hac illac spargerent. Triste sanè feraleque spectaculum exhibebant ægrè natantes non pauci, dissolutis nauium tabulatis, cum procellis, cum fluctibus, cum ipsa denique morte luctantes, non tam homines, quàm informia hominum simulachra; perfossa hiantiaque pectora, computrescentia viscera cum [illegible] [illegible] ac commiseratione spectabantur, dum funestas [illegible] mortis reliquias Oceanus proximum in littus [illegible]ret. Ad hæc, horrenda vtraque ex parte tormentorum tonitrua, dissonæ *Naualis Mommorancii pugna.* *Missiles ignes.* *Miserabilis pereuntium species.*

cædentium cadentiumque voces ingentem victoribus etiam trepidationem intulissent, ni stare animo cunctos, immotosque iussisset Mommorancius, felicitatem suam è terrestribus pugnis, vbi semper victor exstiterat, ad maritimas auspice terræ marisque Numine traducturus, ille enim in prora spectabilis omnibus, radiantibus armis conspicuus, nunc vultu ad humanitatem porrecto, nunc ad terrorem crispato, nunc intentandis minis, nunc amicis hortatibus, nunc illustribus bellicæ fortitudinis exemplis coram militibus edendis, totum facilè certaminis decus sustinuit. Occupata tunc à regiis hostium nauigia nouem, inter quæ Admiralii nauis, infausto sanè nomine Virgo nuncupari solita, quasi tuta integraque futura ab hostili regiorum incursu, quorum è parte naues ternæ incensæ, octoginta necati, quos inter Valuiridus nobilissimus adolescens, de quo pauca hæc referam.

Valuiridus, necatur.

Is Mommorancii ex sorore nepos, martium auunculi genium planè induerat, periculorum contemptor, gloriæ verò inter ancipites martis casus colligendæ plus iusto appetens, vir multarum haud dubiè palmarum futurus, si virilem tandem ætatem attigisset. Lodouensis Præsul designatus erat Ecclesiæ, verùm consentaneam sacro huic Ordini quietem ægrè admodum patiebatur eius indoles ad bellica munera nata. Festiuum huius responsum hîc attexere placet. Cùm à Societatis IESV Sacerdote in aula Turnonensis Collegii ad Episcopalem hanc retinendam amplitudinem, quâ se mox exuere festinabat, blandis inuitaretur alloquiis, prostantes vidit in pariete Diuorum Petri & Pauli sacras imagines, postremum hunc sic in tabella depictum obseruauit, vt excalceatus, nullo vestis ornatu insiggnis, ensem manu prætenderet, cùm ex altera parte Diuus Petrus Pontificali trabea gemmis vndique radiante cum binis supremi Apostolatus sui clauibus colluceret. Tum conuersus ad Patrem, eo (inquit) omnis tua spectat oratio, vt Ecclesiasticum hoc munus à consanguineis meis mihi procuratum admittam; vt autem planum fiat tibi, quantum ab Episcopalibus infulis abhorream, intuere, quæso has Diuorum Petri & Pauli effigies, certumque id habe, optatius mihi longè nunc esse, futurumque semper pauperem incultamque, vitam cum Paulo profiteri, dum præsto mihi sit ad manum gladius, quàm Pontificali cum Petro gaza, clauibusque [illegible] potiri. Hæc eloquutus militiæ animum adiecit, sed non diu strinxit gladium Episcopali pedo suffectum. Nimirum haud gnara est satis mens homi-

Iocosum eius responsum.

num fortis aliquandò futuræ. Bellatori, bellantique iuueni diutius fortaſſe victuro ſi pacificum egiſſet Pontificem, properata mors fuit, non inhonora tamen quia pro religione, pro Rege, pro communi Galliæ ſalute conſtanter oppetita, quæ maximè res cognatorum mœrorem luctumque demulſit.

Interea Sammartinianam arcem Regi tradidit Parc-Archiacus eiuſdem gubernator, annitente Foreſto Toyraſii fratre, qui poſt nauatam egregiè in Fuxenſi tractu, aliiſque in locis Regi, Religionique operam hoſtium in poteſtatem venerat, captiuuſque attinebatur vir peracri ingenio, viridique ſenectute iam pollens. Hic, dum hæc ſcribo, Monſpelii Seneſcallus, militaribus iam diu miſſis laboribus, quia Deiparam in terris ambit patronam, eidem vt veteri hoſpitæ Vrbiſque Tutelari baſilicam ſuis, Canonicorum, Vrbiſque ſumptibus extrui curauit, opus ſanè ingens & magnificum, tametſi paucos intra annos abſolutum; id nempè vrgebat viri tanti præſentia, inſtantis ſemper, increpantiſque ſegniores operas, cuius peruigilibus curis grande ſanè munus repoſuit immaculata Numinis Parens, dum hunc è templi tabulato ſubiectum in ſolum delapſum ſoſpitem illæſumque conſeruauit. Agnouit ille ſingulare hoc Magnæ Matris beneficium, hodieque prædicat, quod ſibi vitæ reliquum eſt, vni poſt Deum Virgini referendum. Poſt Ream Inſulam à Regijs occupatam Olarionenſis debellanda reſtabat, quam ſine certamine Mommorancio tradidit. Toparcha à Sancto Ioanne, qui eidem præerat, quique cum ſeptingentis bellatoribus exire permiſſus Rupellam cum Subizianis reliquis adijt, quo tempore partas Mommorancio eidem victorias gratulatus eſt Vrbanus VIII. Romanus Pontifex miſſo breui Apoſtolico, quod hîc ex parte deſcribam.

Arx Sammart. Regi traditur ſuu aſu Foreſti Toyraſii fratris.

Qui promotor fuit baſilica Mariane Monſp.

Hunc prolapſum ſeruauit Deipara.

Olarionenſis Inſula Regi reddita.

Oceani fluctus loquuntur hoc tempore gloriam nobilitatis tuę ipſis vocibus aquarum multarum: Colluuiem perditorum militum Gallico regno cladem minitantium in pelagi indignantis abyſſum propulisti, maritimas hareſis ferocientis artes exterres domitor ſcelerum: nec minùs Cęli vindex, quàm regni. Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: Illuxerunt in hoc certamine (Dilecte Fili) coruſcationes tua Orbi terrrarum, & nomini tuo conciliantes plauſum Chriſtianitatis. Tibi immortalitatem famà, & hiſtoriarum encomia pollicemur. Te, cuius dexteram bellator Omnipotens eſſe hoc tempore voluit, proditionis, ac impietatis flagellum, Apoſtolica vocis lau-

Mommorancius laudatur à Rom. Pontifice.

datione volumus decorare. Datum apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. *Decembris* : MDCXXV. *Pontificatus nostri Anno, tertio.*

A Rupellanis.

Eidem Mommorancio, quòd Insulanos vrbanè admodum, comiterque habuisset, legatione perhonorifica gratias quàm maximas Rupellani egerunt; iucunda semper id muneris memoria prosequuturi, vtque meritis tantis par reponerent aliquid; eiusdem rogatu Ascanium Picolomineum, quem in custodia attinebant, libertate donarunt. Erat is Cardinali Barberino percarus, quod ex eodem Apostolico breui colligitur, in quo hæc legas. *Iam verò non parum ad voluntatem nostram demerenda valuerunt, ea officia, quibus dilectus Filius Ascanius Picolomineus se vitam, & libertatem debere profitetur, non solum enim huius viri liberatione obstrinxisti tibi Cardinalem Barberinum, cui illum esse charissimum scimus, sed nos etiam mirificè consolatus es qui eum generis claritudine: & meritorum suffragatione commendatum nimis ægrè ferebamus contra ius fasque heretico carcere detineri &c.* Supremi Antistitis voci consonabat, tum Regis tum populi vox, Regis quidem, cùm frequentiùs nihil in ore haberet; quàm heroicam Mommorancii fortitudinem cum felicitate coniunctam; populi, cùm eidem tanquam Galliæ restauratori, tranquillitatis assertori certatim applauderet, Monspelienses, ne asymboli forent, eiusdem, quippe Proregis sui victorias lætis cantibus, festisque ignibus celebrarunt, & quia munus quodcunque mortalibus datum à bonorum omnium fonte defluit, prosperorum huiusmodi euentuum largitori Deo solennis gratiarum decantatus est hymnus.

A Rege.

A Monspeliensibus.

Rebelles pacem petunt.

Lamentabantur interea perduelles, afflictisque rebus suis pacem à violato sæpiùs Rege per delegatos effictim deprecabantur, haud sine magna eiusdem obtinendæ spe, cùm regiam toties aliàs experti forent clementiam, Aquitani præsertim, Occitani, ac Fuxenses bellorum cladibus sæpiùs attriti, professi sunt tandem dissimulari non posse, quin nocentes essent eorum plerique, sed crimini, si quod esset, iustam hanc obtendi excusationem, quòd peccassent ignari. Deinde enixè Regi supplicarunt, vt Catholicas acies ab armis discedere, arcesque in certam reformatorum perniciem exstructas deturbari iuberet, quippè funestas importuni belli reliquias, veraque indignationis regiæ simulachra; meminisse dignaretur quod ignorare non poterat, vnis reformatorum armis protectum stetisse, vici-

Friuola eorum rebellionis causæ.

se, perque singulas Europæ prouincias mirabilem nominis sui famam dissipasse Henricum Regem huius nominis quartum; & quia in parentum vita posita est procreandorum liberorum spes; cum asserta Henrico vita infinitis olim periculis obiecta, Ludouici eius filii vitam esse procuratam. Exin sumptâ fiduciâ codicillos obtulerunt aliquot iniquis de more postulatis refertos, quibus rebellionis comperti, perinde quasi patrocinandum sceleri foret, hæc indulgeri sibi rogabant, quæ fortibus viris de vniuerso Gallici regni statu benè meritis vix à Rege concedi poterant absque regiæ maiestatis dispendio. *Postulata iniqua*

Ad hæc Rex, pacem quidem Occitanis, aliisque per Galliam rebellibus sparsis annuere se significauit, Rupellanis autem, qui toties in amicitiam recepti, toties tamen impositum sibi iugum excusserant, prospecturum se diligentiùs, quid potissimùm indulgeri fas esset. Verùm restrictam seu truncatam hanc pacem quæ sectarios non omnes comprehenderet, periculosam arbitrati sectæ proceres, regiam iterum pertentaruut clementiam, etiam atque etiam deprecantes, vt quod vnis beneficium collatum esse volebat, pro sua benignitate, quæ præcipua Regum est tessera, in subditos omnes extenderet, quorum ille precibus delinitus communem omnibus pacem esse declarauit, veniam insuper Rupellanis pollicitus, dum obsequuturos se pacis legibus sanctè iurarent, ab Haligrio Cancellario suo proponendis. Hæ autem potissimum erant. Vt tota vrbis administrandæ ratio, potestasque in fidos vrbis ipsius Consiliarios deinceps incumberet; vt præpositum rei iudiciariæ aliquem ad auertendas, consopiendasque lites admitterent; vt arces vrbis omnes, cunctaque propugnacula deturbarent; vt Regem, quoties vrbem suam visere adluberet, regiâ, vti decet, pompâ exciperent; ne in portubus suis armata collocarent nauigia, aut insalutato maris Præfecto, maritimo se sodarent itineri: vt adscriptos Ecclesiasticis viris prouentus restituerent &c. Acceptæ gratè admodum conditiones huiusmodi, atque ad Rupellanos, Castrenses, ac Montalbanenses transmissæ, dilaudata ab omnibus Regis Clementia, ac ne qua veterum tumultuum extarent vestigia, Themimius Praslino Marescallo subiectus exercitus regii contra Rupellanos ductori, copias Gallicas è Rupellanensi tractu reduxit, stationariis in arce Ludouicæa ad excubandum relictis, ne perduelles nouam rebellionem coptarent. *Pax indulgetur.* *Pacis leges*

Promulgata vbique pax perquam iucundè accepta fuit, non tamen ab Occitanis perduellibus, à quibus priores redintegrati fuere

Turbatur in Occitania. tumultus atrocis belli prænuncii. Quamobrem Portesius Marchio Prorex Gabalitanus acceptis Regis literis cum expeditis legionibus aliquot Nemausensem in agrum aduolat, vagis perduellium grassationibus finem impositurus, aut modum; quo tempore Annoneæ cohortes Bellicadrum missæ, Belgardii, qui Nemauso vicinus est locus, appetentibus noctis tenebris, contra subitaneam hostium non procul dissitorum vim, munitiones aliquot opere tumultuario præstruxerunt, quas dum illucescente die perrumpere molirentur Monbruniæ, Liquesiæ, nec non Sancosmianæ legiones, ab Annonæis semel iterumque fractæ dissipatæque sunt. *Hostes ab Annonæis profligantur.* Cæsi è sectariorum primoribus octodecim, amplius octoginta sauciati. Sancosmius haud ita multo post ex vulneribus periit; festinabat Portesius Mommorancæis iunctus auxilium, cùm insignis huius victoriæ à Catholicis reportatæ felix dissipatus est rumor, de cuius gaudio non parum *Necantur aut vulnerantur.* imminuit Possinium à Brissonio captum Priuatii Præfecto; pleraque in Delphinatu ab hæreticis capta, expugnataque sunt loca. *Posinium captum à Brissonio.* Possinium & Priuatium regiam in potestatem redierunt, Brissonio, ne quid deinceps turbare cœptaret, data centum ac viginti turonicarum librarum millia. Grandi quoque pecuniâ redempta Memouillionensis arx in Delphinatu constructa, & aduersus fortissimos quosque oppugnantium conatus strenuè communita. *Regi redditur. vt & memouill. arx.*

Lesdiguierius moritur Eius virtutes Lesdiguierius Comestabilis extremo conflictatus morbo, ac effœta iam ætate fatiscens deditionis huius autor fuit, consulturus patriæ suæ tranquillitati, dum armorum ab ea terrorem abigeret. Vir fuit fortissimis antiquitatis Heroïbus par, in quo singulare hoc à plerisque notatum, quòd Regibus quatuor incorrupta semper famulatus sit fide; &, quanquàm disparem religionem coleret, nunquam à recto deerrarit, regiâ semper insistens viâ, tametsi multis constrata periculis. Ad militaris dignitatis fastigium gradatim euectus; quia fidei bellicæque prudentiæ præclarus altum hoc culmen promeruerat, ab eo perodendo abstinuit liuor, nihil omnino deprehendens in quod dentem infigeret. Caluinianis erroribus à tenerioribus annis imbutus fuerat; calamitosi nempe temporis labes hæc fuit, vt complures ad oblatam illam opinionum prauitatem proruerent, vnde licentia maior immigrabat in mores, vilissi noque pretio addicebatur Cœlitum felicitas, dum sublata ieiuniorum seueritate, rescissisque corporis cruciamentis leges heterodoxi conderent blandâ quidem, vt videbatur, sed crudeli admodum amœnitate refertas; respuit tamen

senex, Romanamque Sedem agnouit, per Ecclesiæ veras, ac nunquam aberrantes semitas ad æternæ felicitatis portum appulsus. Non omittendum id est quod à plerisque Scriptoribus traditur, Maphæum Barberinum, cum in Gallia Pontificiam legationem obiret, in Lesdiguicrium aliquando incidisse, magnoperéque institisse, vt missis Caluinianæ nouitatis erroribus Romanam Ecclesiam matrem agnosceret, debitoque prosequeretur affectu; ad quæ ille subridens, *Ego*, inquit, *supremam illam sedem agniturum me spondeo, vbi te primùm ad eam promotum fuisse intellexero.* Exin Barberinus in purpuratorum Pattum Collegium adlectus, ac denique sumpto Vrbani VIII nomine supremum Ecclesiæ Pontificatum adeptus, Lesdiguierium Apostolico Breui transmisso ad exoluendam datam sibi fidem inuitat; cui ille tam proficua, tamque vrbanè monenti obsequuturus eiurato Caluino Catholicorum sacra lætus arripit, in iisque ad mortem vsque perseuerat.

Eius conuersionem pro-monuit Vrbanus VIII.

Hoc ipso tempore quo inductæ fuerant armorum feriæ, tanta erat mutui sanguinis per gladiatorias pugnas exprimendi libido, vt non excelsæ satis indolis esse crederentur, qui ad execrandā hanc aleam corporum, animorumque peremptricem non accurrerent. Positus hic Galliæ potissimum nobilitati scopulus fuit; hinc exhaustæ nobilissimis adolescentibus procerum domus, orbatum fortissimis heroibus regnum, quos vmbratile futilis honoris simulachrum hanc in lanienam induxit. Concionatores sacris è suggestibus; Supremarum curiarum tribunalia variis, minacibusque decretis; Rex capitali sancitā in gladiatores huiusmodi pœnā; Romani Pontifices Ecclesiasticis diris agreste hoc mutuum in iugulum sæuiendi genus damnarant, dirisque deuouerant, eadem tamen perdurabat, imò & augescebat lymphatorum hominum rabies, Rex, ne hic cum maiori Nobilitatis exitio serperet furor, aut insania, captos hoc in singulari certamine nobiles aliquot securi percuti iussit, atque vtinā pestis illius tanta feritate grassatæ capita impia, pari felicitate exsecuisset. Hæc autem huic operi attexo, quia cum hæreticis congruum habent aliquid gladiatores, non enim rectè satis de Deo sentire videntur, quem si iustum criminum vindicem certò crederent, non continuò tam iustam ei vlciscendi materiam suppeditarent, neque per suum paterentur scelus, iracunda ab eodem sumi aptarique fulmina, quæ in sui, legumque suarum contemptores immittat.

Duella prohibita.

Gladiatores supplicio affecti.



HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB EODEM LVDOVICO XIII. REGE.



LIBER NONVS

Ab anno Christi 1625. *ad annum* 1643.



INITO pacis fœdere, regiique matrimonij pactionibus roborato, in arctissimam coaluisse videbantur amicitiam Gallia & Britãnia maior, siue Anglia, Henricæa quippe Christianissimi Regis soror Carolo Angliæ Regi nupserat, nuptiarumque hilaria in vtroque regno regiâ (vti assolet) magnificentiâ peracta iam erant. Sed quia rara plerumque est Principes inter concordia, aut si aliquando hæc fuerit, diuturnam esse non sinit aut occulta quædam politi- *Rara inter Principes concordia.*

carum rerum ratio, aut priuata cuiusque vtilitas, aut dissonæ religionis obtentus, aut quod frequentiùs euenit, effrænis ambitio omnia consanguinitatis iura proculcans, dissoluta mox pax fuit, firmis, vti videbatur, compagibus coagmentata. Præcipuum huius abrumpendæ Buxinghamum autorem extitisse certum habetur varijs è scriptorum nostratium monumentis; hic enim ob antiquam cum Britannis Regibus consuetudinem ingentibus elatus animis, perinde quasi arctior, parumque generosis conatibus edendis idonea videretur Anglia, foras erumpere gestiit, ampliora virtuti suæ, aut ambitioni potiùs spatia quæsiturus. Et quidem, cùm turbarum nihil admodum existeret, cum dignitate aliqua intra Insulæ suæ terminos vixerat; restare videbatur ei id vnum, vt bellicis expeditionibus ad martium decus aliquod, tuendæ, aut amplificandæ causa nobilitatis assurgeret, probaturus hoc pacto & togati, & sagati hominis implere se posse virtutes, vtque id præstare posset, multas à natura dotes acceperat; commendabat enim hominem tum decora facies, tum vrbana morum comitas, tum facta institutaque ad eximia quæque tentanda indoles, sermo prætereà omni lepore & venustate affluens; vnde non immeritò inter præstantissimos ætatis suæ viros adnumerandus videbatur, nisi nimius cum sectæ prædicantibus vsus perpulchra hæc naturæ decora corrupisset spesque eius omnes interuertisset ambitio.

Buxinghamus contra Galliam mouet.

Eius dotes.

Et ambitio.

Paci etiam magnopere aduersata est Rupellensium rebellio, nouæ iam diu reipublicæ inhiantium, quæ gubernandi ratio vni sibi & imperare, & obsequi gnara, cuncta Principum iussa, iuraque respuit, Sacræque eorum Maiestati insultat. Sed præcipuam ad atrocissima, quæ iam memorabo, bella facem Subizius incendit. Hic terra, marique prostratus atritusque à regiis, haud satis sciens vbi tuto sibi esse liceret, ad eluendam hanc ocyùs infamiæ notam, quas in patrio solo aggregare sibi non potuit, externorum vires ambiuit; in Angliam quippe (vti iam memoraui) magnis profectus est itineribus, Regem ad suas suorumque partes tracturus, idque vt euinceret, molliusque in eius animum irreperet versutus orator, memoranda Britannorum gesta fastis antiquitatis inscripta cōptis sermonibus, suadaque ipsa, diffluente euoluebat; quasi futurorum prænuncia, refricabat præsertim præteritorum bellorum memoriam, quibus Gallicas acies Angli profligarant non semel, Gallorum autem de iisdem sæpius Anglis reportatas victorias, aut contemptim eleuabat, aut vafro certè premebat silentio; vix enim vnquam cum Gallicis copiis congressi sunt Angli, quin crebris bellatorum suorum

Subizius pacem abrumpit.

Opem à Rege Angliæ petit.

ſtragibus non terram modò, ſed & Oceanum ipſum cruentarint. Porrò ad feſtinandam Rupellenſibus opem, Regis in aurem inſuſurrabat, extremum iam eſſe, quod reformatæ religioni imminebat periculum, quæ ſplendido caſtigandæ rebellionis obtentu & impetita ſemper fuerat, ac mox poſt dierum aliquot inducias à Chriſtianiſſimo Rege impetenda videbatur acerbiùs, perduellionis autem nomen iniuſtè omnino religioni affingi, nec enim tam in illam, cùm nulla ſit, quam in iſtam impiorum hominum tela diſtringi, certum in ſcopum deſtinari peruicaciam ſectæ, in ſectam verò ipſam ſacroſque eius ritus abolendos à regijs collimari, quo quis promptiùs caſtiùſque obſequitur Deo, hunc perinde quaſi Galliæ Regi iniurius, infeſtuſque ſit, eo potiſſimum nomine diuexari, diſcruciarique ſolere, Regis hoſtem eſſe, qui verum ſupremi Numinis cultum intentiore ſtudio profitetur.

Hæc Subizius, cuius verbis fidem aſſerturus Sanblancardus aderat, à quo Buxinghamus identidem admonebatur, audendi iam tempus aduenisse, edendique iam antè ſeriò meditati facinoris, quod ventura miraretur poſteritas. Ille ad ea minimè ſurdus quæ famæ perpetuitatē ſponderent, vtque intentatam, aut intentandam ſibi proximè de peculatu quaſtionem eluderet, quòd in diſpenſando Regis ærario non caſtè ſatis integréque verſatus videretur, cùm bellicarum rerum imperitus & rudis omnino eſſet, vix enim vnquam militiæ tyrocinium poſuerat, arma tamen in Galliam bellatricem admodum gentem corripuit, tentaturus quotidie, num illuſtribus factis aliquot aut obiectum, aut obiicendum ſibi mox crimen refellere penitus aut expiare quoquomodo poſſet. Nam ſi Aquitaniam frugum optimarum feracem peramœnamque prouinciam, quam à Regum ſuorum ditione diſtractam querebatur immiſſis in eam copiis recuperare poſſet, ſi Ream ſubigere Inſulam, ſi Ludouicæam arcem poſtremum religioni fatum minitantem euertere, ſi Rupellanos hoſtilibus ab armis tutos integroſque præſtare, enimuerò premenda confeſtim maleuolorum ora cenſebat, qui ſibi Britannicæ gloriæ propagatori præcipuo tam infame ſcelus affingerent! Quod Buxinghamo, hoc & Carolo Regi cœpta omnia ſua eius conſiliis attemperanti facilè perſuaſum eſt; regiæ autem inchoandi contra Gallos belli voluntati, tametſi fœderati iam illi eſſent, vniuerſa propemodum aſſenſa eſt, applauſitque Britannia, ſiue propter innatum auctumque variis certaminibus odium, ſiue quòd

Buxinghamus crimen ſibi obiectum purgare conatur.

Carolus Rex ei aſſentitur.

Magnificus Anglica claſſis inſtructus.

conceptas pinguioris assequendæ fortunæ spes, latiùs explicare ambiret, ac præsertim in Galliæ regno naturæ, solique muneribus abundanti. Instructa itaque est classis Anglica, eaque maxima; nam si nauium, militumque numerum species, si commeatum, si classiarium, castrensèque instrumentum, si culinariam, vestiariamque supellectilem, si equitatum, si armorum genus omne, tota profectò è sedibus suis auulsa videbatur insula, superstrato nauibus Oceano, non Gallis tantùm, sed & Neptuno ipsi (vt ita loquar) haud leues metus incussura; hanc orbis vniuersi spoliis inhiare iurasses, cuius vastitatem infinita terrarum spatia complectentem anguli sui terminis coarctaret.

Antequam ingens hæc classis è portu solueret, quantus quámque exquisitus esset eius instructus, per finitima regna passim edi hostes vulgarique curarunt, rati eâ denunciatione latè sparsum iri terrorem in portus omnes Gallicos, neminemque vnum tum è prouinciarum Gubernatoribus fore, tum è supremis bellicarum rerum præsidibus qui vires tantas eluctari aggrederetur, arbitrati prætereà Toyrasium è Rea insula, ex arce Ludouicæa præsidiarios, portubusque Santonicis confusis statim ordinibus digressuros. Anglicus fastus, hæresisque futuri nunquam satis prudens inanem hanc alebat fiduciam, eandemque augebant naues centum, quibus composita classis erat, prætercentena vicenaque minora, aliaque conuehendis ingentibus doliis, grauioribusque bellatorum sarcinis comparata nauigia, non sine gemitu maris, quod de Actiacis nauibus dictum, laboreque ventorum. Nusquam aliàs classis ad ostentationem visa instructior; tormentorum bellicorum numerum, & magnitudinem nemo satis æstimet, nisi qui hæc propiùs inspexit: aderant omnis generis rhedæ, phalerati pereleganter equi, Attalicæ vestes, tapetes opere Phrygio filis aureis intertexti, seiuges currus equis suis ad pompam instructi; puppes, antennæque auro illusæ; vela serico textu hinc & inde vndantia, odorati Cilicum nimbi, ceruisiariæ, aut vinariæ cellulæ multæ, arma denique variis descripta symbolis conspiciebantur. Quare non tam ad prælium quàm ad nundinas itare videbantur Angli, non tam arma quàm merces conuehere, non tam bellatorum, quam propolarum speciem præ se ferre; non tam hostes ad ineundam pugnam quærere, quàm emptores ad locupletem hanc supellectilem diuendendam, *Nec enim auro bella geruntur, sed ferro.* Atque ex hoc certum à Gallis vincendi captum est omen, & ad reportandam victoriam acriùs exarsere milites, quam gaza duplici, honore scilicet,

Iunctus cum armis, & deliciis luxus.

Bukingaquitanie a-mo ampra-dicat.

qui nunquam à victoria abest, & auro, quod rarò contingit, cumulandam esse sperabant.

Ne quid autem temerè susceptum à se Buxinghamus ostenderet auspicatò enim bellum gerere quisq; appetit, priuatis in congressibus contestatus est palam, edito q; insuper scripto vulgauit æquitatis plenum esse quod arripuerat armorum consilium, verùm id profiteri, quàm allatis rationum momentis stabilire longè proclinius erat homini in oppugnanda iustitia, iustitiæ nomen, aut inuolucrum aliquod obtendenti. Non refero quæ prælicenter ille aduersus Christianissimum Regem dequestus fuerit, *querula namque semper est hæresis, & congestis in se beneficiis exasperatur magis, quàm delinitur.* His ante belli tentamenta præmissis: quasi securus conscientiæ Berkerium statim ad Rupellanos delegauit, vt vrbem ad partes suas pertraheret, & ad commune (quod minimè cogitabat) exitium. Ille simul ac eò deuenit, dilaudata prolixè Caroli Angliæ Regis cùm in reformatos omnes, tum præsertim erga Francos beneuolentia, postulauit enixè vt si Principis tanti votis in religionis vnius tutelam conspirantibus obsecundare in animum inducerent, vrbis suæ portas reserari iuberent militibus Anglis, ac cibaria iisdem necessaria iusto pretio diuendenda curarent, atque vt id faciliùs extorqueret, vanis eorum spem pollicitationibus sustentare, ludificare potius occœpit, si Rupellana cum Anglicis viribus consociarent auxilia, postremam Papistis illatum iri perniciem certo denuncians; vnam eamque reformatam per potentissima duo regna propagandam fidem, distractos inter se animos vno eorundem rituum vinculo colligaturam, non geminam inter se digladiaturam gentem; vtra vtri præhabenda sit: in vnum eundemque populum sacrorum eorundem tractatione coalituram.

Opem à Rupellanis petit.

Rupellani quæ tam vasto Berkerius, vt cum vate loquar: edisserebat hiatu, nec refellebant, nec aspernabantur omnino, experiendum rati quò se tandem ineundi proximè belli fortuna converteret, eò pariter vela sua cursumque directuri. Et quidem fortunatum aliquid è prioribus Anglorum expeditionibus, lætosque admodum augurabantur euentus, haud satis intelligentes humanis in rebus, bellicis præsertim ludibundam ferè ac volatilem inerrare fortunam. Interea progrediebatur Anglica classis, & anno 1627. 20. die Iulii ad Ollonia sabuleta ab Reæ præsidiariis conspici cœpit, hæsitque hæc omnibus suspicio veri aliquid præ se ferens, Dunkerquensium hæc esse nauigia in insidijs collocata, vt Batauorum parones interci-

Anglica classis apparet.

peret; quod vt exploratius fieret, missæ sunt illico speculatoriæ cymbæ, quæ Britannos hostes mox adfuturos esse nuntiarunt. Nec mora tumenti vehementiùs per æstum Oceano proximè Ream classis accessit, quâ nihil per id temporis contra regios moliri ausâ; reliquum diei, quæque proximè sequuta nox est, in præstolandis maioris minorisque formæ nauibus, ac in stationem eandem cogendis exacta. His ex voto dispositis, è minoribus cymbis exscensionem faciunt, non impunè tamen abijt festinatus ille hostium processus; aderat quippe Toyrasius Reæ gubernator turpe nihil passurus, Regique, cui strenuè militabat, non honorificum; in aduerso itaque stās littore, hostem propellere adunatis suorum viribus connitebatur; stimulabat omnes inflammatus congredientis ardor, & quanquam longè inferior numero foret, audebat tamen heros maximus, haud ignarus potiorem esse virtutem, quæ in arcto posita ad magna sæpius operæ pretia semetipsam hortatur & erigit; quin & licet Anglia tota in aduersum fremeret, ventos omnes ac maria obarmaret, adfuturam sibi sperabat præpotentis Numinis vim, cuius in manu tanquam in munitissima quadam arce cor Regum habitat, piorum præsertim, iusta contra heterodoxos principes arma tractantium.

Opponit se Toyrasius

Arces Pratens & Sammartin. nondum munitæ

Pratensis, & Sammartiniana recens arces extructæ validæ nondum satis erant aduersus imminentes Anglorum conatus, quibus magis ac magis firmandis vnum obfuerat tempus, nimiaque Gallorum credulitas, antiquum ingenui populi vitium, reliquos ex se metiri assueti, fœdus enim Galliam inter & Angliam regij matrimonij occasione contractum, vtriusque nationis animos arctiùs colligaturum haud ita facilè dissolui posse credebant. Rupto itaque fœdere ad Pratense castellum hostis exscendit, illud occupaturus haud dubiè sine magno certamine, si obsidionem cœptasset; adeò ab rebus omnibus ad hostiles repellendos insultus imparatum hactenus fuerat; verùm ad altiora semper Buxinghamus assurgens totius prætor exercitus Sammartinianā priùs arcem expugnandam esse censuit, ratus minora loca, illius aut sponte sibi deditæ, aut certè vi occupatæ sortem continuò sequutura. Tranquillus per id temporis Oceanus erat, & tormentorum, quæ plurima secum hostes, aduexerant, displosionibus aptus, quorum pars plus terroris militibus Gallis, quàm cladis intulerat, Toyrasius enim suas hunc in modum cohortes disposuerat, vt rari distractique essent ordines, atque ita excipiendis hostilium globorum ictibus parùm obnoxij. Alarios non plures ducentis cùm octingentis peditibus opponebat ille octonis

Angli contra Sammartin. mouent.

Toyrasius militum numero inferior

armatorum millibus, quos præter classiariorum turbam maximam Anglicus secum adduxerat Prætor; quamobrem temerarium omnino visum esset hosti tantò non cedere, nisi Gallorum paucitatem bellica pensasset, erexissetque virtus; nisi exsomnis Toyrasij vigilantia deprehensis hostium consilijs, elusisque eorum fraudibus maximum ad aggerandas Christianissimi Regis laureas momentum attulisset; atque vt is staret animo semper, diuinum identidem hcrrabatur oraculum, quo exploratum fiebat, promptissimum Numini esse *saluare vel in paucis, vel in multis.*

Virtute m tor-

Cùm igitur Bukinghamus binis bellatorum millibus comitatus aduenisset, priusquam in ordinem digereretur acies, Toyrasius militari conuocato Senatu, collectisque procerum arbitriis, omni cunctatione sublata aduersis in hostem signis concurrere statuit: & quia verba virtutem interdùm adiiciunt, augetúrque Imperatoris voce militum robur, centuriones hortatus est omnes, meminissent primos Gallorum impetus, quo fortiores reliquis sunt, eo & fortunatiores haberi; irent itaque auderentque omnes, & in hostem nullis adhuc martis laboribus exercitum, elegantiore corporis cultu, quàm militari laude insignem infestis armis proruerent, docerentque munditias mulieribus, viris autem conuenire laborem, quantò magis bellatoribus cunctis, armorum tractatione, non aurea supellectili bella esse gerenda. Toyrasium præter alarios nobiles ferè omnes vna tantùm gloriæ mercede accitos, sequebantur proceres multi sub tam caro capite aut insignem reportaturi victoriam, aut illustres cum eo pariter animas sanguinemque profusuri; eminebant inter omnes tum corporis tum animi dotibus Monferrerius & Restinclerus germani Toyrasij fratres, Chantalius item, Naualliu, Ambleuillius, Sobrarius, Sansurinus, Marenius, Tibaudierius, Bossantius, &c. Quibus ex omnibus octonæ conflatæ sunt turmæ, ex iis autem senæ primum in hostes impetum facere iussæ; incitatum equitum procursum excipiebat peditum agmen, quæ verò supererant turmæ, ad subsidiariam à tergo præstandam confligentibus opem ductoris nutum præstolabantur; omnibus oppugnandorum hostium modum præscribebat Toyrasius, Imperatoris fungens officio, gregariorum etiam militum partes, id si res exigeret, subiturus.

Hortatu suos.

Pugnax Monferrerius & Restinclerus Toyrasij fratres.

Pruriebant nouum in certamen bellatores Galli omnes, effusisque quod aiunt, habenis ferebantur in hostem, sed flagrantiores reprimebat impetus, ac irrumpentium equitum ordines dissipabat missa continuò ab Anglis maiorum minorumque globorum procella, à qua

Repellunt Regii.

quæ immersa fuit equitum turma, tantam hostibus postmodum trepidationem intulit, eos vt ad repetendum confestim Oceanum, tutioremque nauibus stationem iudicandam compulerit. Verùm quia ad tegenda equitatus Gallici terga lateraque subsidiarij nondum aduenerant milites, inde factum est, vt erectis animis, audacius aliquid aggrediendum hostes censuerint, regiorum infirmitatem ex eorum paucitate interpretati, quasi verò in bellatoribus paucis non efflorescat interdum virtus adeò vegeta, vt infinitam armatorum multitudinem non æquet modò, sed & multis partibus vincat; & efflornit sanè mirificè, adeoque in Gallis militibus exarsit, vt hostes ad luctuosam, quam detrectare videbantur pugnam adegerit. Pulchrum omnino, tametsi triste satis spectaculum hoc in conflictu à Gallis exhibitum, dum inter impeditiores sabuletorum vias, iterque lubricum, poplitum tenus aquis immersi certamen inirent atrocissimum, hostilesque cuneos sclopis eminus, cominus stricto mucrone transfigerent. Inter nobiles mediis ex aquis aduersus hostes iaculantes, insigniores extitere Tibautius, & Boissonerius; fortiùs tamen, quàm feliciùs certamen inierunt, expectato frustra equestrium turmarum auxilio, dum interea fulminarent ex aduerso campestres Anglorum machinæ; cùm itaque subsidiariæ desperarentur copiæ, Gallica turma receptui canere occœpit, exors victoriæ, non laudis, compluribus editis fortitudinis exemplis comparatæ. Cæsi sunt è nostris hac in dimicatione proceres aliquot Restinclerus Toytasij frater in prætoria cohorte centuriæ præfectus, Chantalius Baro militaris ingenij vir, operumque præclarus, Fremioti Bituricensis olim Archiepiscopi nepos, Caussæus, Nauaillius, Lalandæus, Tablierius, Montaigneus, Nueillius, Sauignius, Ortobius, Lucinetus, Bauuæus, alijque ad sexagenos.

Constanti animo.

Aquis immersi pugnant.

Caduntur nonnulli.

Illustres hos viros pro asserenda Christi religione nec tos condignis laudibus prosequuti sunt regni proceres; Rex ipse, quorum immaturum fatum ægrè admodum tulerat, horum decora virtutesque amplissimis verbis extulit. Cæterùm haud multò felicior Anglorum sors extitit, nam præter cohortium præfectos, vexillarios, centuriones magno numero interfectos. Sanblancardus nobilis Occitanus, quem Rohanij iussu legatione ad Britannum Regem functum esse diximus, hoc etiam in prælio cecidit, debitas rebellioni suæ pœnas daturus, patriæ proditor infamis, aduersus quam non Gallicas modò, sed externas etiam vires conciuerat. Hunc Rohanij emissarium rebellionis promotorem non segnem, multis prosequiuta est lacrymis secti,

Laudantur à Rege.

cta, vt & rebelles cum eo quingentos aut necatos, aut vndis absorptos, quorum cadauera ad continentis oram enatantia, Gallis, qui in Insulam transmittere nondum potuerant horrendo spectaculo fuerunt, certóque indicio in repellendis hostium conatibus haud inertem fuisse Toyrasii manum, & quia læso aut truncato capite fatiscunt illico, pereuntque reliqua corporis membra, ita & Sanblancardo necato concidere propemodum Anglorum vires, & cum viribus animi, tractumque inde est ferale augurium, certum ijs omnibus imminere exitium, quorum in ipsis pugnæ primordiis tam forte conquassatum columen esset. Subizius huic dimicationi non modo non præfuit, sed ne interfuit quidem; cũ enim aduersæ multa vtrinq; cæde concurrerent acies, opportunum illud adeundæ Rupellæ, visendæque matris tempus iudicauit, solitis eam obseruantiæ, comitatisque officiis prosequuturus, quod cùm Gastoni Borbonio Christianissimi Regis fratri perlatum esset; *Eia* (inquit ille) *quàm commodum Subizius tempus adeundæ matris sepòsuit sibi, quam religiosè diuinis ille mandatis obsequitur, quàm piè quàmque reuerenter matrem habet, quo enim tempore martiis acriter instandum erat laboribus, periculaque fortiter subeunda, ad eam etiam itare sustinuit. Haud sua frustrabitur mercede pietas tanta, è diuino siquidem oraculo longæuum hunc super terram fore pranuncio.* Hæc Gasto non sine acumine multo, vrbanos nempe sales à patre suo traxerat Henrico Magno solertissimum ad festiuos huiusmodi iocos ingenium nacto.

Subizius dũ pugnatur matrem visit. Le idũ Gastonis super ea re dictum.

Postridie huius diei, quia iubet pietas illustribus viris etiam mortuis honores rependi, Toyrasius præmisso tubicine cæsorum corpora petit Catholico ritu sepulturæ mandanda, Buxinghamus nihil cunctatus, dari hæc imperat, & qua erat, aut videri cupiebat etiam in hostes comitate, honorario puero, qui cum tubicine venerat, iacobæos vicenos, tubicini verò denos confestim numerari iubet, Toyrasius, ne in inchoato hoc humanitatis certamine ab hoste vinci se sineret, qui reliquis corporis animique dotibus homini longè præstabat, Anglos quinos iure belli captos, quosque habebat in vinculis, liberos ad eum remittit Hispanicis quinquaginta duplionibus antè donatos. Dum mutuis inter vtrumque Imperatorem certatur officiis Angli cladis recens acceptæ memores, trepidique in extremo littore statiua collocauerant, æquo patentique se campo dare veriti, donec intellectum est regios in vnis tantùm tuendis arcibus, propulsandoque ab iis hoste studium omne, ac militares vigilias collocaturos;

Regiorum cadauera ab Anglo missa. Mutua inter Toyras, & Buk. comitas.

Angli Sammartini arcem festinat. tum enim, quasi liberiorem nacti, tutioremque à regio milite campum, fidentioribus animis Sammartinianam in arcem, relicto castello Pratensi, terrestri progressi sunt via.

Toyrasius hostes prouocat. Toyrasius persolutis fratri suo reliquisque heroibus funebribus iustis, appropinquantibus Anglicis copiis regias legiones opponit, pertæsusque longam armorum cessationem crebris hostes velitationibus iustum ad certamen elicere tentat; illi quasi eius consilium elusuri, nunc obnixi stare in vestigio, nunc quasi torpedine victi incedere lentius, nunc retentare agmina, nunc collocatis in itinere castris ineundæ mox pugnæ speciem, spemque aliquam exhibere, nunquam tamen ad aggressionem, ictusque ingerendos laxare ordines. Fabii denique Romani cunctationem æmulari, rem Anglicam (vt falsò sibi persuaserant) restauraturi, vt ille Romanam restituit. Cùm itaque propugnantibus quàm oppugnantibus propiores, obsidionales accessus ad Sammartinianam arcem proueherent, Toyrasius hanc cum expedita bellatorum manu ingreditur, certus aut eam ab infestis hostium armis seruare incolumem, aut in ea tuenda honestâ morte defungi, militibus autem Sammartinianum pagum inuadentibus minimè obstitit, tum quia amplior longè erat, quàm vt militari eum custodia circumsepire posset, tum quia certum imminebat periculum, ne si violentior ipse in hostes insurgeret, illi quam in se tanti nominis, tantæque fortitudinis virum minimè poterant, in pagum ipsum vindictam effunderent.

Sammartin, arcem defendit.
Pagum hosti reliquit.

Hoc occupato Buking, triumphat. Hoc igitur occupato Bukinghamus cum scenico tragici vatis Principe altiùs se terris efferens, æqualisque deinceps astris progressurus, quasi de occupata insula tota triumphare occœpit, regiorumque increpare segnitiem, qui tantum sibi nemine resistente bolum eripi paterentur; tum ad anteriora, qui arrogantium hominum genius est, mentem cogitationemque erigens, præteriti temporis refricauit, regustauitque memoriam, quo Britannicæ nationis homines, in intima vsque Galliæ viscera infestis armis penetrantes cuncta sibi opposita nullo ferè nisu peruastarant, incenderantque, antiquam illam in nepotibus non obsolescere, sed perennare virtutem; quæ veteres illi heroes tanta cum nominis sui existimatione gesserant, ea pari aut maiori forte gloria præstari à posteris; superesse id vnum vt pago feliciter hostibus erepto totam belli molem in arcem conuerterent; cessuram haud dubiè Britannici Regis fortunæ, ac Toyrasium deditionem continuò facturum, si congenitas sibi vires Angli exererent.

Carolum Regem admonet.

Erectus hac spe Buxinghamus dromonibus illico in Angliam missis, deploratum iam esse totius Sammartinianæ Insulæ statum admonet, captum iam fortunatis auspiciis oppidum, defectam viribus arcem, nec iusto satis commeatu instructam vix per octidui spatium in Christianissimi Regis fide obsequioque mansuram. Lætis his nuntiis exhilaratus Carolus Rex edictum statim condidit, quo vniuersa è Britannia priuilegiis maximis, ac immunitatibus inuitabantur populi ad nouas in Ream insulam transcribendas colonias. Nec mora, datum Buxinghamo negotium, vt agrorum diuisiones viritim describeret, lætisque camporum æquoribus in arationes, vineta, ac viridaria compositis pretium apponeret aliquod, infelix profectò in hoc Annibal, non inuenturus emptorem; sicut nec ille reperit; dum argentarias Romæ tabernas hastæ subiiceret. Hæ tunc, quod satyricus habet Vates, spargebantur ad populum phaleræ, frustra itaque à Carolo Rege expectatũ, vt Bukinghamus pareret, quod tanto cum boatu parturierat, compertum siquidem fuit plus in eo inanitatis esse, quàm roboris; prouiderat enim Toyrasius diligẽter, ne arx Sammartiniana tametsi nec valida satis, nec idoneis præmunita propugnaculis, hostilibus armis cederet; & quia ex omni parte tegi non potuerat; ideoque noxiis cœli tempestatibus peruia erat, haud diu præsidiarios moratura videbatur milites, nisi multo antè tempore ne quid inde damni emergeret, prospexisset arcis Præfectus, compluriumque mentes editis tolerantiæ militaris exemplis firmasset. Angebantur omnes præsertim salubris aquæ penuriâ, quam venenatis succis in puteum iniectis corruperant Angli, pessimum id facinus ausi, quod gentibus nonnullis probro datum fuit ex Liuio; cúmque quindenis assibus æstimaretur frigidæ scyphus, de Insula prorsus deserenda, belloque alias in oras transferendo cogitabant non pauci, cum iis centuriones nutabant aliqui, legionumque ductores, verùm ne despondérent animum hortabatur Toyrasius inediæ, vigiliarum, reliquorum belli laborum supra quàm credi potest tolerans; præterea spargendis quotidie beneficiis aut veteres colebat amicitias, aut parabat recentes; nec tamen vsque adeò à commeatu, instructúque bellico imparatus erat, vt alendo militi non suppeterent plurima; abundabat quippe re frumentaria, vino, butyro, salsamentis, aliisque eiusmodi militaribus escis complures in dies suffecturis. Ad hæc igniarij funiculi, plumbi, glandium, nitrati pulueris, bombardarum ex Hollandia conuectarum ingens aderat copia, suppetebant & ple-

Ille Colonias eo destinat.

Cassa eius spes.

Angli puteale arcis aquam veneno inficiũt.

nutantes regios firmat Toyrasius tolerantia mirabili, exemplis & muneribus.

raque alia, quæ milites metu laboribusque fractos ad ardua quæque cœptanda inducerent.

Angli fulminant contra moletrinas.

Septimum iam diem Simmartinianum pagum Angli tenuerant, cum tormenta sena eius collocarunt in portu, illinc aduersus oppositas arci moletrinas fulminaturi, vtque è canteriis suis deiecta ad cœptandas proximè displosiones aptarentur, ternos aut binos consumpserant dies. Dum per id temporis à tormentariis emissionibus quies foret, frumentariis molis subitaneus oppositus est agger, contra quem quanquam irrito conatu hostilis exercitus viribus totis incubuit, Toyrasius enim tanta celeritate vetera restaurabat munimina, tamque indefesso studio construebat recentia, vt damnis propemodum suis crescere videretur, quoque plura Britanni euertere conniterentur, hic aut adiiceret plura, aut casui ruinæque proxima meliorem, tutioremque in formam reduceret. Præcipuus Bukinghami conatus in expugnando semilunari vallo positus fuit; cùm enim hoc munimento prætenderetur salubris aquæ puteus, qui vnicus obsessis supererat; pretium se facturum putauit, eò si machinarum vim omnem conuerteret. Procedebat ex obsidentium votis agggressio, iamque ferreorum globorum ingruentibus vndique nimbis euerberata fatiscebat valli pars maxima, cùm extemplo per patentem hiatu satis amplo labem furibundus hostis emicuit, ratus videlicet, si aquæ vsus obsessis eriperetur, eos continuò deditionem esse facturos. At Toyrasius, arcisque præsidiarii bipennibus hastis, enitentem, iamque prensantem valli fastigium detrudunt, vehementiùs irruentem alacriùs exturbant, atque in subiectam fossam deiiciunt. Angli ad centum quinquaginta necati. Acta hæc feliciter ab obsessis, horum enim interempti admodum pauci, desideratus præsertim Toyrasij alarius. Quidquid autem decoris armis Gallicis hac in velitatione partum est, Montautus inter Campaniæ legionarios strenuè fortiterque congressus totum ferè sibi deposcit, quanquam minimè defuerint alii complures, qui solertissimas in retundendis hostium conatibus operas multa cum laude collocarint.

Cæduntur.

BuKin, inualidos in arcem retrudere nititur.

Bukinghamus, quia certus obsessos cuncta deficere pertulerat rumor, ad augendam cibariorum inopiam, deditionemque citiùs exprimendam, quidquid inualidū erat, mulieres scilicet, infantes, senesq; militarem iam ætatem prætergressos insula tota palantes in castra primùm sua per emissarios aliquot adduci, mox impactis magna crudelitate fustibus mulctatum lacrymosum hoc agmen in arcem re-

trudi iubet. Mariti agnatique è sublimioribus mœnium speculis lamentantes vxores, eiulantesque liberos eminus intuentes, cùm sperat um ab iis præ commeatus inopia subsidium impertiri non possent, fusis vbertim prosequebantur lacrymis; erantque hæ ad leniendum calamitosi gregis mœrorem vtiles satis, ad leuandam verò famem inertes. Impium sanè immaneque facinus ab Anglis excogitatum, dum Catholicos ad arcis tuitionem destinatos, impios in vxores liberosque suos esse cogerent, dum quorum saluti, quoad fieri poterat, prospicere tenerentur, iis arcis fores iuberentur occludere. Quamobrem dum hostilia inter castra, & Sammartinianam arcem ærumnosa diu oberraret turba, hinc inde pulsa, repulsaque, destinatis in eam postmodum sclopis Angli collimant, sic ingens promiscuè fœminarum, & infantium multorum editur strages. Memorabile est & ad eliciendas cuique lacrymas potens, quod de vna aliqua collineantium telis cæsa muliere referunt Scriptores nonnulli. Hæc cùm lethali accepto vulnere in terram corruisset, de infante, quem vlnis gestabat, quàm de vita sua sollicitior, vbera ei postremum in solatium vagienti admouit, hæc aut similia multo cum eiulatu prolocuta *Fœmina vulnerata sollicitudo pro infante.* *Habes, mi fili, quod in matre reliquum est, tenuem lactis alimoniam; pinguem satis transmittendam tibi hæreditatem rapuit hæreticus prædo. In communi hac Catholicorum calamitate felix hoc nomine appellari possum, quod extremum est istud, quod patior: dolet mihi tamen magnopere, quòd te carissimum pignus, si viuere sineris, multas in clades duraturum relinquo. Vale, mi fili, & si crescentibus annis qui sis, & cuius fueris innotuerit tibi, amabis illam quæ te peperit, & moritura lac dedit, quam mox positura vitam erat, producturα in filio.*

Visus est sanè Buckinghamus in imbellem sexum, teneramque ætatem immanior, crudelitatis genus amplexus à barbaris rarò gentibus vsurpatum. In ardentioribus enim præliorum æstibus, homines si cum hominibus congrediantur, eluceat oportet aliqua humanitatis scintilla; cum moderatione sæuiendum est aliqua, vt homines inter, certantesque inter se feras intersit; & hanc Buckinghamus sæuitiæ, quam auersari se contestabatur, infamiam postmodum conatus est eluere, dum regios, si quos nactus fuisset, omnibus prosequeretur humanitatis officiis, militesque suos crebris sibi largitionibus deuinciret, prolectaretque. Hæc inter comitatis indicia nihilo segnius bellicis instabat laboribus, cùm enim rem cibariam parcè *Buking. crudelitatis suspicionem vitare conatur.*

admodum obsessos inter distribui accepisset, intellexit illico defectu-ros eos animis, si annona deficeret; igitur vt quod cibariorum superi-erat, actutum corrumperet, glandes, ignitaque generis omnis missilia in amonarias obsessorum apothecas continuata diu iaculatione intorsit; verùm insanos eius impetus repellebant facilè regii, vtinam de mentis ægritudinibus, quæ grauiùs longè, quàm hostium tela fatigabant, parem victoriam retulissent; cum enim sub dio propter tectorum penuriam quotidie pernoctare, fœdasque per id temporis tempestates nudatis ferè corporibus excipere cogerentur, cùm aduersus subitam imbrium tempestatumque vim, nebulosumque cœlum obfirmanda esset animorum constantia, ex affectis iam corporibus gliscebant facilè variorum generum morbi, quotidianisque augebantur incrementis, maximè cùm idonea ad eorum curationem fomenta deficerent; & ad hæc, aut grauiora etiam toleranda regius obduruisset exercitus, si commeatus in Insulam deuehendi spes affulsisset vel exigua, at quæ postremis in damnis vltima restare perhibetur, in regiis penè tota defluxerat, præsidiariis ad extremam desperationem adactis, nisi Toyrasius labantes eorum animos ad maiora etiam viribus tentanda iniectis gloriæ stimulis erexisset.

Nutant regii ob penuriā & morbos.

Cùm vix suppeteret omnibus panis etiam iuxta medicinalem (quod aiunt) parsimoniam milites inter diuidendus, ad tabidas statim equorum carnes procursum, atque hinc palabundus per exercitum totum proserpens morbus Toyrasium ipsum lecto affixit cum plerisque aliis haud dubiè periturum, ni sospitem hunc præstitisset aut sua, aut Galliæ potius vniuersæ felicitas; & quia improspera Magnatum valetudo in eorum quibus dominantur mores, nescio qua contagione illabitur. Toyrasij ægrotantis occasione licentiùs à militibus actum, sopita inter eos recruduerunt odia, excitatæ frequentiùs rixæ, per patentes arcis ruinas tentatum à volonibus effugium, aut mixta ab iisdem de arce dedenda colloquia, quod postremum Toyrasium grauiùs perculit famæ longè appetentiorem, quàm vitæ; occurrebat enim quod apud Romanarum rerum scriptorem legitur, propè defecisse illos, qui de defectione deliberant; quamobrem his circumseptus angustiis adiutricem aduocauit & suam, & pristinam Maiorum suorum virtutem, cuius ipse ad incredibilem hostium etiam admirationem luculenta plerisque in locis documenta defixerat, tum vt parem copiarum ductoribus virtutem inderet, paræneticam hanc ad eos orationem habuit.

Equorū carnibus vescūtur.

Toyrasio ægrotante licentiùs agunt milites.

Ampla satis fortissimorum virorum merces est, strenuè operata & perfecta in bellicis expeditionibus virtus; si quid aliud extra se pretium ambiret, fortitudo non esset; hanc tamen perinde quasi umbra sequitur gloria, tamque arctè illi cohæret, nihil ut arduum unquam & generosum edatur quod multo cum præconio ad posteritatem non eat. In huius gloriæ culmen cùm armati milites, tum nobiles præsertim enituntur, quæ, cùm luxa & mortalitatis obnoxia fere sint omnia, sola sibi suisque superstes est semper, fortiumque virorum, vitam iuxtà comitatur & funus. Arcis huius expugnatio, quia difficultatis plena est, ita plurimum inuectura est laudis. Cùm apud me attentiùs reputo stare nos in Galliæ amantissimæ patriæ confinio, ad tuendam regni famam consistere iussos: ac delectos præ infinitis bellatoribus unos, quos infensis Gallico nomini hostibus Rex opponeret, æstimare satis non possum, quantum ob id tributum nobis decus, tam benefico erga suos Principi rependi oporteat, qui cùm quietus nunc agat, regiasque aliò cogitationes verterit, danda nobis diligenter est opera, ut in nobis ad tutandos regni fines designandis non temerè, sed prudenter egisse videatur. Quod si per socordiam nostram aditum hosti patefecerimus, ac infregerimus regiam hanc spem tam amanter de nobis conceptam, credi vix potest, quantam inusturi simus nomini nostro maculam, quanta conflagraturi apud Gallos omnes inuidia. An non rei Maiestatis erimus, si Ream insulam Anglo Regi tradiderimus, cum hæc traditio non necessitatis, sed inertiæ, ne dicam proditionis futura sit haud obscura confessio. Certè quia nemo nisi fortè ignauus æternitati famæ vitam variis casibus expositam, perque ipsa dierum annorumque incrementa defluentem præhabuit: certum mihi est millies emori, quàm superesse dedecori tanto. Quamobrem in perferendis obsidii difficultatibus, aliisque deuorandis ærumnis perdurabo immotus, vos omnes, si ex ante actis, quæ futura supersunt, coniectare fas est, haud dissimilia facturos auguror. parem quippe ad gloriam enitentes, quæ præcipua est nobilitatis pro religione, proque Rege pugnantis illecebra. *Hortatur milites.*

Quæ Toyrasius ad cohortium ductores militari perorauit facundia, ipse suo sanciuit exemplo, hic enim famis sitisque patientissimus sustinendis inediæ difficultatibus militem assuefecit; nec durum Ducibus, Centurionibusque fuit, quod vniuersi præses exercitus sedatè perferret; atque vt nouos etiam gregarijs stimulos adderet, Anglorum virtutem eleuauit, quippe Gallicis sustinendis ar- *Quæ dixit exemplo confirmat.*

Præmia militi pollicetur

mis imparem, & quia honoraria munera acuendæ militum virtutis cotem esse compertum habebat, hæc quoque minimè defutura spopondit, constarent taatummodo sibi, & ab editis iam multa cum laude fortitudinis exemplis non deficerent, non exsortem præmij militem illum futurum, qui Regi solerti factorum illustrium arbitro, largoque muneratori strenuè militaret. Interea si quis Britannicis viribus exterritus, diuturnique obsidii tædio fatiscens animo concideret, accederet ille propiùs, seque coram commilitonibus sisteret, non moraturum illum in castris diutiùs, tutam illi confestim ad effugium apertum iri viam Steterunt omnes animis, & longè alacriores, quasi nouo quodam sacramento deuincti; probrum erat, si quis missionem peteret, etiam cum validiùs instaret & pertinaciùs hostis; & opportunè tunc accidit, vt ad Toyrasium præclarum suorum hortatorem hortatoriæ à Rege venerint literæ, quibus obsessorum edi nomina iubebat, ne post toleratos diutissimè obsidionis labores, compulsosque in angulum suum hostes indonati recederent, adfuturum deinde mox auxilium pollicebatur; sed hoc sperare, quàm consequi promptius erat, intercluso à Britãnica classe transitu in attinendos procursores maritimos diu noctuque pertinaci propemodum vigilantia excubante.

Hortatoriæ Regis ad eũ literæ.

Toyrasium, stantesque in præsidio milites cuncta præter animos deficiebant; sed nec hi sine corporum, nec hæc quoque absque commeatus adiumentis instantium acriter hostium armis obniti diutius poterant; quamobrem cum è terra nihil admodum opis speraretur; per milites ternos nandi peritos quæsitum est à mari præsidium, iis enim datæ ad Regem literæ minutis inclusæ tubulis promissiori, dum natarent, capillamento implexis. Nec mora pleni spei, animorumque plicatis, triplicatisque circum caput indusiis mare subeunt, ac brachiis manibusque certatim remigando, varia in littora vndarum, fluctuumque vim eluctantes applicant; At qui pares animis principio videbantur, discrepantes postmodum fortiti sunt exitus, difficile quippe est in arduo consistere semper, præsertim cùm variæ inter agendum difficultates obortæ humana moderentur, sæpiusque interuertant consilia, è nauigantibus vnus aquis præfocatus interijt; alter longa maris iactatione fatigatus deficientibus viribus vitam prope depositam sui deditione redemit; temerarium quid ausos fuisse iuuenes inualescebat rumor, nisi hanc temeritatis notam amolitus fuisset tertius, validior reliquis longéque felicior, qui superatis periculis

Natatores terni literas ad Regem perferunt

periculis omnibus ad portum, hoc est ad Rupellensem ferè oram enatauit incolumis. Hunc gente Vasconem, Petræum cognomine sine præconio minimè prætéribo, rem enim Gallicam in Rea Insula postremum in discrimen adductam ijsdem brachijs sustentauit, quibus ad remigium tam fortiter, tamque opportunè est vsus; laudes eius haud mediocriter auxit itineris tanti emetiendi difficultas & cum irato luctandi Oceano constantia tanta. Hunc insequuta diu hostium fuère nauigia, cúmque natanti propiora manus aut harpagones iniicerent, horum conatum elusurus, vrinanti similis quasi marina pistrix imum se se demittebat in mare: eidemque quoque dum progrederetur patulis inhiabant rostris vegrandia cete, totius corporis lacerationem minitantia, perinde quasi effrænem militis audaciam castigatura, qui hominem se obliuisceretur, omninóque dediseeret, vt piscium naturam indueret, aut eos æmularetur mirabili natandi peritia. Tot tamque grauibus defunctum periculis, totis exhaustum viribus ad Leucam vsque molendinam vno milliari à Ludouicæo castro distantem pepulit fluctuum procellarúmque vis ingens, indéque ad Inculisinæum Ducem deductus frustra tentauit in pedes insistere, adeò fractus & eneruis, vt non nisi reptando progredi posset, natatumque prono in terram corpore conaretur. Huic ad Regem adducto certatim gratulati sunt Principes, Rex verò centenos ei quotannis aureos ex officinis salinariis pendendos in iustam superati periculi mercedem attribuit. Interea nihildum auxilij ab Ludouicæa arce aduenerat, tametsi Toyrasius omnes eius conquirendi vias solertissimè indagaret, cuius rei Bukinghamus haud quaquam inscius, potiundæ mox Insulæ certiorem venit in spem, maximè quod molestus per id temporis de afflicta Christianissimi Regis valetudine increbresceret rumor. &quidem æstuabat ille acutissimis febris ardoribus, sed inter hæc corporis malè affecti cruciamenta peruigil & vere regius perdurabat animus, nihil tunc curarum prætermittens, quæ ad componendum regni statum, bellaque cum laude gerenda spectarent, quod cùm Buxinghamum lateret, Toyrasium datis ad eum literis ad arcis deditionem in hæc ferè verba inuitat.

Vnus tantũ appellit.

Ab hostibus & piscibus inuaditur.

Beneuolè à Rege accipitur.

Et debitam mercedẽ refert.

Solenne id habui semper, vt apertè, cunctisque missis ambagibus profiterer quàm decoro apud me sint loco, numeroque præstantissimi heroës quos generis claritudo, rerumque gestarum gloria humanæ, quæ nunc est, infirmitati subductos penè immortales effecit; atque id erga te satis superque testatum à me esse dissimulare non potes, nullum

Litera Bukin. ad Toyrasium.

quippe officii erga te tuosque quoad per armorum iura legésque licuit à me prætermissum est genus; sed quia diuturnior armorum tractatio, ac tempus ipsum in noua nos consilia deducere posset, quæ insperatam tibi obsessisque cladem allatura forent, etiam atque etiam rogatum velim te, vt puncto temporis quantis vndique premaris angustiis reputare non pudeat; id si effectum dederis, metieris te deinceps non pristinâ, quam florentem hactenus habuisti, fortunâ, sed præsenti, quam afflictam, prostratamque ignorare non potes: & tametsi hanc pertinaci penè patientiâ pertuleris, inani appellendi quamprimum auxilii expectatione sustentatus: hoc in animum inducas velim, non eodem te semper corporis animique robore fore, quo nunc es; aut si fortis, aut contumax potiùs esse perseueraueris, non eosdem erga te futuros nos esse, qui fuimus; nam qui hactenus haud indiligentes fortitudinis, & constantia tuæ præcones esse perseuerauimus, contumacia postmodum tua vltores esse cogemur, quod ne malum eueniat, è re nostra fore duximus: si datis ad te literis con moneremus, temerè fieri à fortibus & illustribus viris, dum flanti ex aduerso fortunæ pertinaciùs obluctari conantur. Hactenus Bukinghamus, cui Toyrasius id literarum reposuit.

Respondet ille.

Innata tibi comitatis nullibi non flatuis perillustre documentum: fortes & generosos à te coli, & amari viros non dissimulas: nec profectò amares te satis, nisi complecteris similes tui. Itaque, si quod habes in votis, arcem hanc dederem, indignus planè forem, in quẽ vel tenuem amoris tui particulam deriuares; excederem enim antiqua illa fortitudinis laude, quæ vna in hoste ab hoste etiam diligitur, aut meritò diligi debet. Hanc ne ego virtutem in me consenescere patiar, quæ primarium semper apud heroas omnes locum obtinuit; certum mihi est, de arcis, quam postulas, deditione nunquam pacisci, nam quascunque mihi conditiones obtuleris, potior mihi semper erit Christianissimi Regis, cui milito, gloria, quàm exaggerata illa sponsiones tuæ, si votis tuis obsequutus fuero, aut acerba comminationes, si restitero. Quid enim optatius forti constantique viro, quàm vitam infinitis penè casibus obnoxiam, debitamque naturę, Regis obsequio, religionisque tuitioni mancipatam habere. Macte igitur, quidquid in te, tuisque virium erit, in me, præsidiariosque meos effundere propera, sic tua pariterque mea gloria inclarescet, quo enim fortiùs, & constantiùs egeris, hoc ampliorem mihi in frangendis conatibus tuis laudis cumulum adiicies, radiabitur magis ac magis virtus mea iis quæ illi oppones eluctandis aduersis.

Nec epistolari tantùm stylo, sed priuatis etiam congressionibus, muneribusque vltro citroque mittendis mutuam inter se testabantur amicitiam; cùm enim Toyrasius æstiuis mitigandis caloribus intentus quæsiisset è suis, num quid peponum aliqua Insulæ parte nasceretur? Anglus qui non procul aderat, audieratque festinus id Buxinghamo denuntiare perrexit: mox ille, qua erat humanitate, pepones duodenos multa cum salute donum Toyrasio misit, à quo viceni statim coronati, famulo qui munus attulerat, numerari sunt iussi; & ne vrbanitate à Buxinghamo vinceretur, quem bellorum peritia, militarique virtute longè superabat, senas ei citreæ aquæ lagenas, cyprinique pulueris pyxides duodenas locuples sanè donum reposuit, datique sunt ei qui hæc tulerat Iacobæi viceni; atque hoc pacto Gallica comitas Anglicâ vrbanitate pensata. Verùm post præclaras huiusmodi munerum prouocationes, hostiles extemplo resumebantur animi, acriorque longè instaurabatur dimicatio, quasi è mutuis illis humanitatis inuitamentis maior vtraque ex parte sæuiendi colligeretur audacia, veterisque dicti stabiliretur veritas, *quæ hostes inter mutua sparguntur dona, non ea vtique dona, sed damna potiùs esse censenda.*

Mutuis certant muneribus.

Ne nimiùs in narrando sim, quod obsidionis eius reliquum est à variis scriptoribus fusius explicatæ, breue in compendium mittam. Post crebros Anglorum conatus insilientibus ferè semper infestos post intromissas tandem in insulam à Cardinale Richelio vnà cum commeatu auxiliares copias, Buxinghamus, qui irritis hactenus velitationibus operam, tempus, famamque suam contriuerat, Toyrasii se virtuti cedere per humanissimas ad eum datas literas abundè testatus, in Angliam suam cum paucis fracti elumbisque exercitus sui reliquiis, quas velut è naufragio collegerat, remigrauit. Tutiore iam transitu facto penetrarunt in Insulam legionarij mille sexcenti, ducibus Canaplio & Plessipralino. Post paulò Schombergus tria peditum millia, ducentosque intromisit alarios; sic tandem quæ desperata videbatur, asserta est Insulæ Salus, Toyrasio immortalis parta est gloria, cui hoc nomine gratulatus est Romanus Antistes.

Cedit Buking. Toyrasio.

VRBANVS PAPA VIII.

Dilecto Filio Domino de Toyras.

Gratulatur Rom. Pontifex.

DILECTE fili salutem & Apostolicam Benedictionem. Digna est, ad quam pontificia gratulationis epistola perueniat, dextera fortitudinis tua, in qua nuper trepidante in triumphis Religionis Inferno cœlestis hasta coruscationes illuxerunt. Audiuimus qua constantia, & gloriosam fratrum mortem pertuleris, & sacrilegam hostium audaciam perfregeris. Plaudens tui nominis laudibus Ecclesia audet te militante, & tam pio Rege dominante augurari in florentissimo isto regno sempiternum exilium impietati. Nos orabimus Omnipotentem, vt sollicitudinis nostræ vota secundet. Tibi, cui patrocinium nostrum pollicemur, Apostolicam Benedictionẽ impartimur. Datum Romę apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die tertia Decembris, anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Pontificatus nostri anno quinto.

IOANNES CIAMPOLVS

Et Cardin. Barberinus.

Eidem etiam haud absque ingenti præconio gratulatus est Cardinalis Barberinus, aulaque Pontificia tota, sed in Gallia nobilissimo quippe heroicarum eius virtutum theatro, plures ei accumulatæ sunt laudes; in æternanda viri tanti memoria strenuè laborarunt tum Oratores, tum Vates; atque vt insigne ingeniorum artiumque suarum specimen darent, amplum certé momentum attulit eius quod ante oculos erat argumenti magnitudo, tantus enim erat Toyrasius, cum vt ne hostium incitata vis, nec sponsiones honorificæ, nec bel

lici commeatus inopia, nec coniuratæ quodammodo tempeſtates ab inuicta mentis conſtantia, incorruptaque in Regem fide dimouere vnquam potuerint; cùm ab hoſtibus variis oppugnatus fuerit, grauiùs tamen & periculoſiùs eum aggreſſus eſt liuor, contra quem tamen deficientibus reliquis, ſola virtute nixus fortiter dimicauit, tolerandoque glorioſiùs quàm vim repellendo deuicit. Sæpius quippe à maleuolis contra præſtantiſſimi viri allatratum eſt famam, comperitque hic Gallicus Hercules inuidiam infeſtiorem eſſe laborem, aut hoſtem, quem poſtremo conatu protereret; atque hanc paribus cum Hydra faucibus ſibilantem tanta mentis conſtantia perdomuit, vt pudore ſuffuſi abſcedere cogerentur liuidi, nihil in ſpectatiſſimo fidiſſimoque Regi Heroe deprehendentes, quod perederent, præter inuidiæ fomites, ſiue ſemina, virtutes ſcilicet, quibus mordax hæc Harpya tenaciter adhæreſcit, eas aut omnino extinguere, aut ingeſtis contumeliarũ ſordibus temerare cõnitens. Vtinã ſingulos ſæcula ſingula Toyraſios, aut Toyraſio pares progignerent, euerſores hæreſeos, Catholicæ fidei propugnatores, fidos Regis adminiſtros, Italicæ libertatis aſſertores. Hac in expeditione præter hoſtes bis mille ferro necatos, aut fluctibus hauſtos, captæ ſunt obſidionales machinæ aliquot, vexilla quatuor ſupra quadraginta, Angli pariter Magnates capti, & à Rege ad Reginam ſororẽ ſine pretio dimiſſi: feſtis ignibus in Rupellenſibus caſtris publicum regni gaudium conteſtati ſunt proceres aulici; hoſtium vexilla ad Reginas Lutetiam Pariſiorum delata, & in principe Deiparæ Virginis templo in æternum memorandæ huius victoriæ monumentum appenſa; ſpolia reliqua Numinis hoſtibus erepta, vni duntaxat Numini conſecrari Rex voluit, non minùs pius quam iuſtus, dum huic adſcribendam huius victoriæ gloriam cenſuit, à quo tota, vt rebatur, diffluxerat.

Inuidiam comprimit.

Cæſorum Anglorum numerus.

Vexilla Dei Matri appenſa.

Enarrandum iam ſequitur variis inſignitum triumphis Condæi Principis iter; quidquid enim, dum Narbonenſem Galliam cum armatis peragraret, diſtractum à Rege reperit, eidem incredibili celeritate, parique felicitate aſſeruit; quin & feriantibus armis vel conſpectus ipſe, vel expectatus tantùm peruicaciores etiam animos profligauit; adeo verum eſt terrore aliquos citiùs expugnari quàm armis. Soyonum munitiſſima rebellium arx nullis adhuc tentata viribus Principi ceſſit, præſidiarii qui nocturnis tenebris tecti Bellocaſtrum aufugerant, illinc vel ipſo aduentantis Principis nuncio territi repelluntur. Briſonius Caluinianis imbutus erroribus, quia timi-

Condæi victoris iter.

Soyonum expugnatur.

Briſonius fugit

dum semper est scelus terga vertit illico, insequente scilicet mortis terrore, imò & ad citatiorem cursum alas quodammodo suppeditante. Hic indultam sibi crebrò Regis clementiam aliis atque aliis cœptandis consummandisque flagitiis propemodũ fatigarat, vltorem iam experturus eundem, ni confestim è Condæi Principis armis proripuisset se se, illatas Regi iniurias seuerè, vti par erat, vindicaturi.

Occiditur. Verùm haud diu superstitem hunc agere in terris passus est vltor scelerum Deus, à gregalium enim vno, dum lustrandis animandisque copiis suis intentus esset, plumbeo globo appetitus occubuit. Exin Condæus Sancti Albani arcem institoribus merces secundo Rhodano deuehentibus valde infestam regiam in potestatem redegit, tum alia atque alia rebellionis propugnacula Cæsarea planè festinatione felicitateque deuicit, Appamias ineunte Martio iisdẽ fretus Regis auspiciis aggressurus.

Condæus Appamias aggreditur. Vrbs est Episcopali sede inclyta ac Fuxẽsis prouinciæ totius metropolis, clementibus vndique cliuis frugũ variarum feracibus circumsepta, Aurigera fluuio, ramentis aureis interniteni alluitur, ager autem fontibus multis irriguus est, salubre admodum cœlum; quare nemo mirabitur, si hoc in solum tot naturæ donis locupletatum Caluiniana irrepserit hæresis, votorum suorum summa

Belfortius Vrbi præest. solâ terræ vbertate definiens. Aderat illic Belfortius Condæanis viribus à Rohanio oppositus, sectarios inter bellorum duces nominis non exigui, quod in suppetiis Montalbano, cùm obsideretur, ferendis non mediocriter auxit; aderant & qui præsidium agerent in ampla satis vrbe delecti viri non pauci, pulsis iam antè à Rohanio, qui restabant, Catholicis.

Vrbs quatitur. Vix quartus ab inita oppugnatione præterierat dies, cùm regium progredi militem, collapsoque ex parte muro succedere gestientem, ne vltra tenderet, & nox, & superueniens Principis mandatum inhibuit. Postridie cùm obiecta rebellium castra, aggeresque perrum-

Deditur. pere miles instaret, misso ab obsessis tympanista impetratum colloquium, iisque nihil præter vitæ vsuram postulare ausis, vt liberè deinceps viuerent ab eodem Principe datum. Interea Belfortius, & Aurosius Mazeriæ, quod Fuxense est oppidum, gubernator, iustam victoris indignationem veriti, salutem certum in discrimen adductam præcipiti fuga expedire conantur; hos stimulante pœnarum metu longo agmine sequuntur præsidiarij, oppidanique non pauci. Condæus nihil huiusmodi suspicatus, alarios suos in palantes immittit à quibus quadringenti ex hostibus cæsi, capti totidem, atque horum

complures in patibulum acti, nonnulli ad triremes amandati, cæteri post numeratam pecuniam, præsenti mortis periculo exempti. Pratæo, qui primarius tum erat vrbis Consul, ac præcipuus rebellionis incentor, ob contumaces animos, corroboratamque multis nequiter actis audaciam fracta est gula in ædis suæ fenestra suspenso. Capti Belfortius & Aurosius, Tolosamque perducti, Supremæ Curiæ sententia capite ambo cum hoc discrimine imminuti, vt Belfortius contumax in errore perstiterit, Aurosius verò tantò felicior, quantò sapientior Caluinianam nouitatem, antequam securi feriretur eiurarit hortatore Donaudo Mirapicensi Episcopo, cuius pastoralis in diœcesanum suum eluxit charitas, paternaque sollicitudo, cauit enim ille, ne cui corpore pereundum mox erat, animâ quoque miserandum in modum interiret.

Pratæus Consul suspendio necatur.

Belfortius & Aurosius Tolosæ capite luunt.

Stetit hæc victoria regiorum procerum aliquot interitu, Fiemarcus Marchio fortuita glande vulneratus interiit; præter nobiles alios paucos, vix centeni necati, gregarii plerique nulliusque nominis viri. Interea quia impotens sui plerumque solet esse victoria, quique hostem generosè deuicit, ab internis sæpè mentis hostibus, hoc est effrænis cupiditatibus superatur, Condæanus in vrbem miles furibundus irrumpit, deprædatur obuia quæque, matronarum, virginumque pudori turpiter & flagitiosè illudit. Memorabile est quod scriptorum nonnullorum monumentis insertum legitur, Henricum Auberium Societatis IESV Sacerdotem, qui tum Condæo Principi à sacris Confessionibus erat, quique hoc obsidium perquam eleganti carmine scripsit, mulierum famæ, pudicitiæ patronum, defensoremque extitisse, imminensque iis à militibus probrum datâ largiter redemisse pecunia. Diceres vatem hunc Gallia tota percelebrem alienæ tuendæ castitatis genium non à Diuo tantùm Ignatio, cuius sub signis militabat, simile quid olim operato, sed à castis etiam innocentibusque Musis traxisse. Post actas de more victori Numini grates reuocata in vrbem Catholicorum sunt sacra, hæreticorum templum in Cathedralem Ecclesiam mutatum, malè omnino materiatum & inconcinnum opus, rurestre potiùs tugurium, pastoritia mandra: sed nunc, vt accepi, qui Ecclesiasticis bonis circumfluunt, in hoc diligenter incumbunt, vt apud ipsos habitet dignè Deus, per quem factum est, vt eleganter & commodè habitent ipsi. Religiosi prætera in vrbem reducti sunt Ordines, quos inter Societatis IESV Sodales, qui præterquam quod iuuentutem literis, & Catholicis ri-

Regii aliquot necati.

Auberius Virginum pudori consulit

Reuocata in in vrbem sacra.

Et cænobita

tè præceptis informant, per diœcesim totam haud indiligentes operarii sparsere sacri Euangelii sementem, retulereque pares laboribus fructus.

Perdomita Appamiensium rebellione, continuandum erat Principis victoris iter, vt aliæ atque aliæ accumularentur victoriæ. Realmontium Castrenses inter & Albienses situm est oppidum, quod quia Catholicis partibus infestissimum erat, eo victricia Principis arma conciuit Alphonsus Delbene Albiensium Præsul. Ad sustinendam, imò & ad propulsandam Condæanorum vim firmissimo præsidio instructa videbatur vrbs esse, vallo, fossis, aggeribus, reliquisque munitionum formis vix Montalbano inferior. Curules illuc tamen machinæ finitimis ex vrbibus vectæ, sena legionariorum millia, trecenti & quinquaginta alarii, cohortes item Normannica, Falciburgica, Lescuria, aliæque contra rebellantes admotæ, à quibus primus in Castellum Occidenti obuersum impetus factus, quod in arcis formam perduelles extruxerant, quo feliciter occupato, cæsisque præsidiariis omnibus, alternantes etiã fortis vices passi sunt regii aliquot: interfectus quippe Brullius in legione Normannica centuriæ Præfectus, cæsus Vergerius in Falciburgica eodem munere functus.

Delben' Præsul Principis opẽ contra Realm imploras.

Regiorum numerus.

Triplici cœpit vrbs oppugnatione vallari, displosisque indefinenter curulibus machinis, aliquot sunt munimenta disiecta, tum breues ab armis indultæ sunt feriæ: quo tempore Condæus ordinatam ritè aciem lustrare quotidie, tum Albiam appetente nocte remigrare solebat, postridie rediturus ad castra. Vixdum octaua ab inchoata obsidione illuxerat dies, cum vallis ad fossam vsque productis regius muro successerat miles, iamque ad imminentem vrbis ruinam aptabantur cuniculi, cùm obsessi desperatis, quas Rohanius pollicitus fuerat, auxiliaribus copiis, in deditionem inclinant, cuius eæ concessæ sunt leges, vt vita, religionis libertas, bonorumque vsus integer staret, & ne vllus cœptandæ postmodum rebellionis titillaret pruritus, quæ recens perduelles extruxerant, in planum munimenta deiici placuit. At quæ in tradenda Regiis vrbe pactæ conditiones fuerant, haud integra sunt fide seruatæ, Principis enim imperiis atrocibusque minis, ipsis etiam humani iuris legibus præpotuit immoderata prædabundi militis licentia, euastatur siquidem vrbs, incenditur, diripitur, adeo importuna rapiendi cupiditas debitam Principi tanto reuerentiam excusserat; sed quia culpam sequitur interdum pœna pede non claudo, sed citatissimo gressu; milites nonnulli, qui, facem

Oppugnatio triplex.

Deditur vrbs.

facem aliis ad hoc latrocinandi genus prætulerant, vltimo mulctati ſunt ſupplicio. Condæi Principis victoriam nulli feſtiuiùs illuſtrarunt ignes, quàm ex hæreticorum librorum cumulis excitatum incendium. Accurrebant ad ſpectaculum multi, & inſolita quadam voluptate geſtiebant, dum lucubrationes huiuſmodi Caluinianis erroribus ſparſas, flammis iiſdem deflagrare conſpicerent, quibus earum torquentur autores. Quæ integra ab huiuſmodi errorũ cõtagio ſupererãt ſcripta, piis admodum & Religioſis Cœnobitis Albienſibus tradita, reſtaurata in vrbe Romana religio multis abhinc annis eiecta, victori Principi ob rebellionem proſtratam gratulata eſt Albia; Albienſes item Societatis IESV Muſæ poeticis ſchematis & leporibus hanc ornauere victoriam, datus eſt in theatrum Apollo, qui ad iuuenum ſaltantium motus concinnis citharæ numeris eleganter aptatos papilionum alas forficibus decurtaret, aut admotis flammis exureret, & poſt bellicum tubarum, tympanorumque fremitum ſæpiùs auditum, eruditis religioſorum Vatum cantibus eruditas altiſſimus Princeps aures accommodauit. Inter capta de perduellibus, Albiamque deuecta vexilla, horum vni grandioribus inſcriptum erat literis, *Pro Deo, & Rege Ludouico*, magnifica profectò, niſi friuola, mendaxque extitiſſet epigraphe.

Cremantur hæreticorũ libri.

Victori Principi Albienſes gratulantur Muſæ.

Vexilla Albiam delata.

Deditionem certatim fecere alia atque alia oppida; Cæſarea Rupes, Balnæa, Caſtrum Francum impoſito ſibi iugo ceruicem flexerunt Sancti Seueri oppidum, cui Linaſſius magna cum autoritate præerat, reſiſtere principio auſum, tum poſt exploratas attentiùs vires ſuas oppidani pœnarum imminentium atrocitatem veriti, correptas illico faces ædibus ſuis iniiciunt, ignibus priùs ſuis deflagrare obſirmari, quàm tradi laceſſitæ Principis iræ. Linaſſius clàm intempeſta nocte dilapſus imminens ſibi exitium feliciùs, quàm fortiùs deuitauit. Sub id Condæanus miles vacuum ciuibus oppidum lætus, ac ſi quid in eo reliqui foret prædaturus ingreditur. Caſtronouum, quia difficilis nimium videbatur bellicarum machinarum ſupra montium iuga tranſuectio, Principi parere detrectans, ſeriùs, quàm ſua ſuorumque intereſſet, didicit, arduum nihil eſſe fortibus & conſtantibus viris; primo ſiquidem impetu captum, incenſumque eſt caſtrum, cæſi omnes quicum armis erant, compluribus vltimum irrogatum ſupplicium; atque id à Principe datum aut vltionis, aut ſeueritatis exemplum, vt qui deinceps rebellium contumaciam imitarentur, fatales eorundem exitus perhorreſcerent; profuit & Briſſaco, quòd

Alia quædam oppida deditionem faciunt.

Sanſeuerianj oppidum ſuum incendunt.

Caſtronouenſes ſupplicio affecti.

Brissacum capitur. à suis desertus sine cuiusquam cæde Regis in potestatem redierit. Procedebant secundo semper marte Principis pugnæ, has pone sequebantur victoriæ, quas paulisper remoratum est Sanctafricanum in Ruthenis oppidum; præerat huic Vacaressius, haud omnino militiæ rudis, tametsi pauca iuuenis adhuc numeraret stipendia. *Resistunt Sanctafricani.* Vicarias eius partes implebat Bimartius; vtrique verò militabat Bastidæus turpi notatus infamia, quòd Sacerdotio inauguratus, Agni Cœlestis nuptias & innocentes delicias obscœnæ libidini post habuisset, cui vt se impunè, imò & cum aliquapiam apud corruptos homines laude manciparet, ad hæreticorum partes transfugit, à quibus ministerij vices obire permissus, non tam pastorem egit, quàm lupum, cùm rabidis morsibus commissum sibi gregem dilaniaret, editisque passim licentioris vitæ documentis ad miserandum impelleret animarum suarum exitium.

Quatitur oppidum. Septenis obsidionalibus machinis oppugnata vrbs, continentique verberatione quassata nonnullis in mœnium partibus fatiscere cœpit; quare regio ad insiliendum exardescente milite inchoata est statim irruptio obsidentibus sanè infesta, fatalisque, periere siquidem Passæus & Magdalenus Normannicarum cohortium & Picardicarum præfecti; *Cæduntur Regii.* cæsi & nobiles quadrageni, legionarij trecenti; post insperatam hanc regiorum stragem secessit inde Condæus reuocatus à Rege, Castrensium agros perpopulaturus, qui post Realmontium recens captum, *Soluitur obsidio.* direptúmque nouam rebellionem cœptarant, alienis damnis, contra quàm fieri decuit, tumidiores effecti. Interea nihil ab agendis prædis, expugnandisque castellis remittebat Rohanius; incursabat & Viuariensem tractum, iamque Meruechum & Pulsinium vi ceperat, institores inde Catholicos, dum per Rhodani ripam merces suas varia in loca conueherent, aggressurus. *Meruechum & Pulsiniū capiuntur.* Verùm haud diu Pulsinium in potestate habuit, Mommorancio siquidem, qui cum armatis eò venerat coactus est cedere, dum Chameracum ab Annonæo Marchione *Pul. Mommorancio cedit.* feliciter expugnaretur, gladióque cæderentur, aut in patibulum agerentur præsidiarij milites, Montalbanensis item agri Espernonius, *Chameracū capitur ab Annō. Marcb.* Nemausensis Mommorancius, Castrensis Condæus vastitatem cœptarent. Dum hi variis tentandis machinis ad debilitandam sectariorum vim omni conatu insisterent, Rupellam Rex oppugnandam aggreditur, adeò Principi suo infestam rebellemque, vt præter classium multitudinem, vegrandes propugnaculorum moles, miracula ignium, externorum opes, Oceanum, quin & inferorum arma in societatem, au-

xiliúmque contra diuinam, Regiamque maiestatem deuocarit: eius vrbis cladem scriptorum complurium monumentis prolixiùs enarratam compendiario stylo edisseram, quanquam haud satis apposite cladem appellaui, cùm è casibus suis tantò gloriosior assurrexerit, quãtò illustrioris clementiorisque, quàm cui subiacere ambiret, Domini iugum accepit.

Oppugnatur Rupella.

Eius arrogãtia.

Hæc priusquam à Ludouico XIII. Rege obsideretur, ad immensam propemodum extollentiũ se se in Oceano fluctuum altitudinem vesanæ mentis tumorem erexerat. Hæc bustum legum omnium, iuris diuini humanique prædonũ receptaculum, insanis clausa substructionibus, vallis, fossis, aggeribusque circunsepta, Regiis passim obtrectare viribus ausa, piosque eius conatus cachinnis incessere, altiùs vribus reliquis efferebat se se, tanquam secura sui, & ab omni periculo tuta; perinde quasi Rex aduersus turbidos maris fluctus procellasque moliri bellum aggrederetur, aliud nihil cum Caligula nequissimo Romanorum Imperatore præter conchas aliquot, aliaque Oceani spolia aut eiectamenta potiùs relaturus. Pleráque alia in impositum sibi à Deo Principem conuitia iaciebant rebelles, mordacissimosque sales, quem iam diu penitus animis eiurarant, cùm aut Anglico subiacere imperio, aut reipublicæ simulacrum aliquod cudere affectarent, quam gubernandi formam inuehere satagit non infrequenter hæresis, nullius fere regiminis patiens, cùm diuinum excusserit.

Munimenta.

Conuitia in Regem.

Perdomanda erat tam impiè tamque ferociter insultantis vrbis audacia, sed captum à Rege, bellorumque præfectis aliquot eius obsidendæ consilium carpebant non pauci rei militaris apprimè gnari; verebantur quippe, ne regium in dedecus, maiestatisque imminutionem hæc expeditio tam ardua, tamque periculosa verteret; quæ enim vrbs Carolo IX. Regi, Henricoque III. tam superbè, proteruéque illuserat; quidni, si denuò pertentaretur consimiliter faceret, præsertim cùm vnà cùm viribus in immensum excreuisset eius ambitio cùm prædicantium Ministrorum grex longè numerosior rabidis vociferationibus populum ad continuandam rebellionem acueret; addebant insuper non eam iam esse, quæ olim fuerat, sed longè potentiorem Rupellam, noua huic tutandæ propugnacula, nouos extructos aggeres esse. Quantæ tandem molis futurum erat persurenti de more Oceano frenum imponere, fluctuum tempestatumque vim eluctari, Anglo suppetias Rupellensibus allaturo maritimum omni

Dissuadetur obsidio.

Resistit Rex, & vrbem expugnat.

ex parte præcludere iter. Hæc à prudentibus rerum æstimatoribus obijciebantur identidem, vixque refelli poterant, nisi Rex secretiore quodam afflatu impulsus audendum esse pronuntiasset, Regisque nutu obtemperandum edixisset Cardinalis Richelius.

At ne quid inauspicatò Rex aggrederetur, quam in aliis perduellium expugnandis vrbibus, haud difficulter impetrarat, eandem se Cœlitum opem experturum esse confidens, ad proximam intemeratæ Virginis, Deique Genitricis Aram confugit, fauerat illa semper ritè inuocata in contundendis hæreseos minoribus membris, restare iam proculcandum vnà cum Rupella teterrimum eiusdem hæresis caput, non aliis quam Marianis subigendum auspiciis, haud incassum Deiparam hæreseon interemptricem haberi, appellarique ab Ecclesia, quot enim post imploratum eius auxilium debellati Religionis & supremi Numinis hostes? quot prostrati fanaticorum exercitus? quot disiecta rebellium ciuitatum mœnia, prorutæque scelerum arces? Et audierat Rex sæpiùs, aut legendo didicerat Marianorum triumphorum plenos esse annales; fusis ergo ad illam ingeminatisque votis, nihil de futuro eius patrocinio addubitans. Ibo, inquit, contra Rupellam gloriosus, gloriosior inde rediturus; festinabo propediem non tam in pugnantium castra, quàm in campum palmarum à me reportandarum feracem; & quia necdum inchoatâ pugna præcipitur victoria animis, Regis vox oraculi loco ab aulicis habita fuit; qui enim in æstimandis viribus suis parcus admodum fuerat, nunquam de se magnificentiùs sentire visus est, quàm dum certam sibi de vrbe munitissima, expugnatúque difficili victoriam prænunciauit.

Dei Genitricis opem implorat.

Et certè nemini dubium erat, quin in regiæ mentis intima præcipua quædam vis cœlitùs immissa fuisset, quæ ad maius aliquid humanis viribus moliendum secretiore quodam monitu sollicitaret. Asserebatur à multis absque vllo inanitatis periculo regis tandem armis cessuram famosissimam Rupem illam, quæ contra turbulentas bellorum veterum tempestates pertinax immotaque constiterat, agniturum potentissimam Regis manum, viresque ineluctabiles, quippe auxiliaribus Cœlitum manipulis auctas. Contumacis huius vrbis capiendæ omen aliquod Rex ceperat; cum enim eius destinaret obsidium, allatum est ei à Barone quodam numisma Henrici III. temporibus cusum, cuius pars altera expressam graphicè Rupellæ speciem referebat; in altera inscriptum id erat. *Vrbs sub diuino oculo.*, quibus

In numismate vrbs descripta & Regiæ victoriæ omen

in literis felici plane anagrammatismo reperitur *Ludouicus Borbonius*; excubabat nempe peruigil præpotentis Numinis oculus pro Rupella Regis viribus, obsequioque submittenda. His fretus auspiciis Rex ipse Rupellam aduolat, nihil quippe contra Tyrum alteram moueri magnoperè poterat, nisi coràm esset Alexander, aut Alexandro magno maior Ludouicus Galliæ Rex. Non hic enumerabo varias variis ductoribus adscriptas legiones, nec Præfectorum, Centurionumque nomina referam, quos propagatæ religionis decus Rupellæque perdomitæ fama immortales effecit, totenim scriptorum voluminibus consignati habentur, nihil vt eorum gloriæ, qui deinceps res Gallicas stylo prosequentur, adiicere possint. Quòd si adducendi mihi sint aliqui, non excitabo nisi admodum paucos alto iam decoræ mortis somno demersos, nec multos etiam recensebo ex iis qui fortasse superstites agunt, quique suauissima præteritorum laborum recordatione pascuntur.

Rex Rupellā proficiscitur.

In conciso æstuariis loco, cùm opportunior nullus superesset, castra collocari Rex iussit; fœdum ibi cœlum erat, palustris terra, lubricaque, in qua miles vix vnquam firmo hæreret vestigio; hæc autem opposita ab ipso loci genio impedimenta eluctari prius Rex debuit, quàm quæ rebellio longè robustiora præstruxerat. Excitata deinde per continentem totam propugnacula, valla cæteraque huiusmodi munimenta, tum ad hostiles reprimendos insultus, tum in securam militum stationem extructa. Operarum in his promouendis celeritas pro miraculo fuit, dum ad Regis nutum edita nondum voce testatum festinarent proceres simul ac milites, dum illustrium familiarum penè obliti, dignitatem suam iugi labore metirentur; tantoque nobilior quis putaretur, quantò reliquis esset operosior; itaque certatim omnes nunc terram ligonibus moliri, nunc cæmenta, nunc glebas, nunc virgulta conuehere; nunc palos defigere, nunc aliis atque aliis aggrediendis operibus desudare. Et hos omnes vultu ad serenitatem inflexo, vt auderent, vt porrò pergerent accendebat Rex maximus, instar erat mercedis vel vnus approbantis Principis nutus, aut demissum ab eo leniter Maiestatis supercilium, dum gregarios inter familiariter ageret, quemque suo compellaret nomine, dum aggestis laudibus, crebrisque dignitatum pollicitationibus strenuè laborantium onera, tædiumque alleuaret, quin & vix faciendum quid imperabat, nisi edito priùs à se iniuncti laboris experimento, Cæsar alter non tam iubentis, quàm se suosque adhortantis personam indutus.

Castra Locari iubet.

Operum festinatio.

Promiscuus Procerum & Gregariorū labor.

Deliberatur de claudendo Gallis Oceano.

Arcibus per interualla stata dispositis atque inter se fossâ commissis circunsepta vrbs erat, munienda supererat ea pars, quam Anglorum classibus aperiebat Oceanus, cùmque ad frangendos æstuantis maris fluctus ingens quædam moles iacienda necessariò foret, vix fieri poterat, vt eius magnitudinis arbores, saxaque reperirentur, quæ immensæ propemodum aquarum altitudini superstarent; difficultatem intendebat exæstuans alueus, quo arctiore spatio constringebatur, hoc vehementiùs furens. Vicit tamen has, ac complures alias, siue à rerum peritis, siue à genio loci difficultates obiectas Richelij Cardinalis solertia, qui frementibus maris fluctibus compedes iniici posse iudicauit; & quia nusquam er are conspiciebatur viri tanti prouida mens, quæ futura tantùm era it, tanquam præsentia & ante oculos posita, incredibili sagacitate o spiciens, quod prudenter arbitratus fuerat aggrediendum confestim edixit, certò affirmans terram & mare, quin & ipsas maris procellas regio auscultaturas imperio: solida igitur è robore tigna, vegrandésque lapides cum arboribus virgultisque iaciuntur in mare inculcatâ subinde glebâ, omnisque generis saburrâ, quæ omnia absque vllo operæ pretio prælatus solita statim voracitate absorbebat Oceanus.

Extruitur moles.

Absorbetur.

Desperant Regij.

Ingens sanè militum animos incessebat desperatio, quasi quod à multis quidem, sed à Rupellanis præsertim non absque mordaci dicacitate iactabatur, contra Neptunum ipsum arma capesserent, maris ei imperium abrogaturi. Verùm spem alacritatemque augebat continuata diu Regis felicitas; & Richelii adhortantis oratio, cuius cœptis consiliisque vix vllæ hactenus obstiterant vires, Exscinduntur itaque Syluæ, in profundum iaciuntur glebæ saxis ingentibus, densisque ramalibus mixtæ; tumultuariam hanc ponderum variorum congeriem illigant conuectantes vliginem aquæ, dum in varias se se pedetentim nouæ substructionis rimas insinuant. Post nauatas à regiis omnibus operas crescebat in designatam magnitudinem opus, & vastissima moles in porticus speciem, hinc atque hinc supra extollentium se vndarum eminebat fastigium, quasi triumphato dominatura Oceano. In aluei medio liber aquis transitus erat; & ne quid furtiuo illapsu se se insinuaret in vrbem, peruigiles agebant excubias in concatenatis nauibus Regij, dum interea eorũ in castra tum ab Rupella, tum ab Anglica classe generis omnis missilia ingererentur, incendiariæ præsertim ollæ, quas fatuos ignes nemo non rectè dixerit, adeò obsidentium nemini noxios, vt hilararent potiùs,

Benè sperare iubentur.

Moles supra fluctus assurgit.

Tela iaciuntur ab hostibus varia.

quàm terrerent, aut læderent, interque festas Regij amœnitates censerent; traxerat videlicet Angliam Rupella non tam in pugnæ societatem, quàm infamię; ardebant ignibus suis hostes, quibus splendidior clarescebat Catholicorum victoria, in Insulam itaque suam remigrarunt nullo alio commissi cum Gallis certaminis, præter infinita quæ accepere vulnera, testimonio relicto; adeò namque opportunè libratæ sunt in eos machinæ, tamque collimatum feliciter est vt ingruentes vndique glandium nimbos patentibus in plagas corporibus nunquã non exceperint. Hæc Bukinghamo commissa primùm fuerat expeditio, sed à Feltone centuriæ legato necatus, quod in Rea Insula dedecus acceperat, Rupellæ sarcire non valuit, & certè inustam nomini suo maculam eluere vix poterat, cùm eædem Gallorum vires expugnandæ restarent, eademque, peruincenda Regis auspicia.

Sine Regiorum damno.

Angli insulam suam repetunt.

Bukin. necatur.

Suffecti Bukinghamo Linsersius, Mortoniusque Comites, & Milordus Montioyus, à quibus infeliciter actum. Fugatis itaque & retrusis in angulum suum hostibus, tota postmodum Regij exercitus moles in Rupellam incubuit, quam internus longè grauiùs, quàm hostis fatigabat externus, tametsi eadem rebellium in ore incessuque perstaret ferocia, & in tabidis macidisque corporibus veterem peruicaces animi crudelitatem spirarent; ad id ventum erat inopię, vt noxiarum herbarum esu famem potiùs irritarent, quàm pellerent: detractæ fœdis animalibus pelles, mures, canes, feles indelicatissima fercula, cupediasque censitæ, quin & elixæ frixæque atro iure soleæ, ocreæque ab annonarijs propolis venum expositæ, panis mucidi buccæ, computrescentes carnes, quas ne canes quidem esse voluerant, in famis allenamentum assumptæ, Inuenti, (nefas) qui carnibus vescerentur humanis, adeò efferauerat omnes necessitas vrgens.

Pelluntur qui huic suffecti fuerant Angli.

Obscœna Rupellensiũ fames.

Crescente quotidie fame, crescebant etiam esurientium questus; atque hinc orta seditio, discrepantesque sententiæ, consultiusne foret vrbem Regis arbitrio permittere, quàm quotidianas hostis huius domestici furias sustinere diutiùs; & dedendam vrbem esse affirmabant non pauci; contra quos incondito trucique clamore inuehebantur prædicantes sectæ ministri, abundè siquidem in oppidanis virium esse dicebant; addebant hyemantis cœli procellis disturbandum esse propediem impositum Oceano frænum, quasi verò perdiu mansurum sit opus non tam hominũ quàm Dæmonum arte compactum; memoria repeterent quid peruicacissimo Pharaoni contigerit, vnà

Hinc orta seditio.

Ministri hortantur sectarios ad tolerandam inediam.

cũ aulicis suis maris fluctibus hausto, dũ currũ, equorũque numero ni-xus fidum Deo populum adunatis Ægyptiorum viribus insequeretur, eum vt fœdis & illiberalibus omnino ministeriis attereret; non abii-ciendam temerè, sed in futuro proximè Numinis auxilio reponen-dam spem esse; qui Isaëlitico populo per medios maris fluctus sic-cis pedibus inambulanti fidam olim opem præstitit, qui eundem per vastas eremi solitudines inerrantem cibo è Cœlo delapso tam indul-genter habuit, aluitque; qui ob aquarum inopiam deficienti purissi-mos latices vel è pumicibus expressit; qui per corui ministerium de quotidiana panis annona Prophetæ suo tam liberaliter amicéque prouidit, nunquam defuturum verâ sibi religione deuinctis munifi-cum illum bonorum omnium largitorem, ac dispensatorem æquissi-mum, Tum ad Guitonem vrbis Præfectum conuersus è prædicanti-bus vnus, Quid tandem est causæ (inquit) quamobrem animos des-pondeatis, vrbem adgubernante Guitone, Moysis hunc loco per-uelim haberi ab omnibus; quidquid ille sanxerit, lex esto, aut ora-culum è Cœlo depromptum, quod violari sine sacrilegio minimè possit.

Guito vrbis Maior idem suadet.

Guito tam honorifica sui commendatione elatus, arrogantium hominum more, quidquid sibi laudis tribuebatur respuere visus est, quod flagrantissimis tamen votis ambierat; tum reformatorum haud ita depositas res esse ostendit, vt à potentissimo Angliæ Rege copias auxiliares sæpè pollicito meliorem in statum erigi non possint, non eodem semper vultu bellicam constare fortunam, nullo magnarum rerum effectricem, corruptricemque affixam hærere in loco, quippe versatili semper in rota, variis ambiguisque orbibus voluendam; ad-debat & id in quo magnum ad rebellionem rebatur esse momentum, aut fame, aut suspendio pereundum esse obsessis, probrosum hoc supplicii genus omnium imminere capitibus, si vrbem Regis arbitrio dederent, quantò præstabilius toleratæ famis incommodis sensim cum laude tabescere, quàm inserto carnificis laqueo præfocari, Hæc ferè Guito, sed non facilè auscultabant homini famis cruciamenta nondum satis experto, ieiuni horrendumque quiritantes ciuium ven-tres; aderant tum macilenti homines multi, exanguia veriùs spectra; aderant & diuturna inedia luctuque perditæ mulieres, inter quas iram non tenuit haud ignobilis vna, his ferè verbis importunum hunc hortatorem adorta.

Non auscultant famelici.

Indignatur fœmina.

Facesse procul à nobis Guito cum meditata hac oratione, ad hoc vi-

in-

in insania nostra perduremus, composita tota; fundis verba frustra ingeris, cùm inanis aures non habeat venter; intempestiuis his monitis promoueres aliquid hæc si pollentis facis olim mihi, nostræ subleuarent inopiam; quotus quisque est, qui deducto sibi cibo verbis solis pascatur? Decimum iam quintum diem absque vllo panis frustulo lacrymantes exegimus; & ad viles, quibus porci saginari solent, escas abiici nos pateremur diutius, nisi qui nobis superest infans siccus iam & iunceus crebris vagitibus lac nutricis exposceret, quam scelerata ex longo fames exhausit; malis artibus ad inanem futilemque gloriam grassaris, hoc est cladibus nostris; inuictæ patientiæ famam fame nostra parare conniteris; viues tu in posterorum memoria, nos inediâ ante destinatum nobis fatum absumpti tenebris sempiternis obruemur; siccine tumulos nostros in trophæa tua conuertes; & in densatis corporum nostrorum aceruis æterna statues militaris constantiæ monumenta; An non mouet te taxatus quodammodo quadringentorum in singulos dies fame pereuntium obitus; non tot perimeret irati iustè Principis gladius, cuius tu aciem nimium quantum reformidas, scelerum nostrorum punitorem vereris, & Regem verum sui nominis Iustum; at qui iustus est, constat pariter clementem hunc esse, sibique subiectis ignoscere, rebelles verò profligare.

Hæc non sine lacrymis vbertim manantibus præfata matrona, ab insurgente furia potiùs quàm muliere grandi colapho percutitur, quasi malè loquuta, quod tempori congruentia protulisset; hinc inter vtriusque cognatos orta seditio in mutuas haud dubiè strages erupisset, nisi à Guitone, qui huius autor extiterat, compressus fuisset repentinus ille animorum æstus. Absumpta iam erant ciborum penuriâ ciuium, aut præsidiariorum millia tredecim, flaccentibusque reliquorũ viribus elanguescere quoq; visa rebellio Regis imploratura clemẽtiã, cùm eam nouis insultibus violare non posset. Obsessi tot circumuallati angustiis Guitonis in ædes agminatim irrumpunt, trucibusque ac minacibus verbis, eis (inquiunt) aut vrbem Regi tradere festina, aut crudi aliquid & molesti deuorandum tibi expecta. Ille enim verò vrbem dediturum se negat, repugnare id euangelio, ne quid simile fieret seuerè prohibenti, pessum omnino religionem ituram, si eius cultores, Regis, qui in eius coniurarat exitium, dederentur arbitrio; falsò, vt & infinita alia Papistarum in cœtu iactari, vnam Rupellanorum contumaciam plecti, cum sola impetatur tot sapientissimorum virorum laboribus, vigiliisque castigata religio, quæ si demutetur à

Numerus fame absumptorum.

Superstites dedere se volunt

Resistit Guitone.

nobis, in quod Rex iram suam effundat, nihil reliquum erit. Quòd si vrbis huius regiam in potestatem tradendæ captum à vobis consilium est, cum qua reformata simul tradetur religio, hanc ipsimet conflate vobis inuidiam dedecusque nomini vestro nunquam non inhæsurum; ego quantum absum, absfuique semper à prauis huiusmodi consiliis, tantum abhorreo ab hac infamia meipsum posterosque meos, si vobis assentirer, etiam post tumulum comitatura.

Resistunt & prædicantes. Idem & Caluinianorum errorum præcones Rohaniique mater & soror vrgebant; sed præpotuit communis obsessorum calamitas; missi itaque qui de pace oratores agerent quatuor, continuóque repulsi, quòd pacisci se cum Rege velle dicerent; nam quos fames, quos *Mittuntur oratores.* inopia, quos bellicæ clades perdomuerant, par erat omnino legem à Rege & victore accipere; si supplices delegati aduenerant, cur non supplicum more rogabant, Regios abiecti ad pedes? horum itaque siue affectatam inscitiam, siue innatam rebellioni arrogantiam iure coarguit Cardinalis Richelius. *An non* (inquit) *venit vobis in mentem, cùm de pace petenda deliberastis, de commoda eiusdem postulanda ratione consultare tantisper; pacisci vos velle dicitis? at nonne Regi turpe fore putastis, si cum subditis suis, quasi cum æqualibus transigat; si rebellioni vestra ignosci petitis, faxo, vt votorum vestrorum compotes sitis, atque id quàm ocyssimè curandum est vobis, sperato enim solatio caret vt plurimùm serior præteritorum criminum pœnitudo.* Dimissis Oratoribus primis, duodeni delegantur ad Regem, quem prouolutus in genua, reliquis pariter in terram abiectis sic affatus est Daniel Lagoutius causarum patronus.

Lagoutius Regem affatur. *Qui cæcis diu tenebris inuoluti fuerunt, ad subitum orientis solis appulsum, demittunt oculorum aciem, cùm luminis tanti vim sustinere non possint: nos quandiu rebellionem fouimus, quæque eam comitari solent flagitia cæcis hæsimus erroribus implicati, quod diffiteri vt maximè velimus, minimè possumus. Hinc mirari desine potentissime Rex, si coram te, quem auspicatissimum Galliæ* Solem *veneramur, deiiciamus in terram oculos, ne fulgor eos Regiæ tuæ maiestatis perstingat. Cùm autem in te hinc vltrix coruscare videatur iustitia, illinc sereniores lucis radios euibret innata tibi clemētia, in eam duntaxat partem oculos & ora conuertimus, quę renidere videtur amœniùs, quaque speratā diu pacem & salutē allatura est nobis. Hanc si felicitatem per te consequuti erimus, nemo vnus erit, qui iussis tuis non obtemperet. Rupellanos habebis omnes & debita, & si hęc non de-*

beretur, spontanea certè deuotione tuos.

Oratoris postulatis, benignè Rex annuit, vitam, libertatemque cunctis vt & alia multa largè pollicitus, quam ob indulgentiam increscente fiducia, aut audacia veriùs sectarii, oblato Regi per Cardinalem libello id potissimum extorquere conati sunt, vt eosdē quos antea, magistratus creare integrum sibi foret semper, iisdemque immunitatibus frui, cum quibus ad hanc vsque diem pacatissimè vixerant; quod cum vrbis magnates plerique, tum Guitonus præsertim acriùs vrgere conspiciebatur, qui in reguli potestatem excreuerat, Regi ipsi penè inuidiosam. Hic quòd Regem ad Ludouicæam arcem non non adiret, excusare satagebat allatâ magistratus sui prærogatiuâ, quæ Regibus Rupellam ingredientibus obuium se sistere extra vrbis pomœria prohiberet, quin & Vrbano hoc magistratu deiectus, vix pro exauctorato se gessit, tanta inerat homini ambitio tantaque repetendæ dignitatis cupiditas, Quanto sapientiùs Caduceatores fecerunt, aliique publicæ libertatis fautores, dum accepto condonatæ rebellionis diplomate, læti suas in ædes remigrarunt, sed non ante longam inediam instructa delicatioribus cibis mensa regiis in castris, astante procerum corona depulsam: & quia vetus admonet dictum, vt dum floret pabulum, largiter, non auarè viuatur, diuturnæque ciborum appetentiæ magna parari debet annona, à ieiunis his abdominibus tantum eduliorum absumptum esse memorant, quantum pascendis numerosis cohortibus satis fuisset, hæ tametsi dapsiles ad huiusmodi apparatus integram famem attulissent. Et perquam iucundum id certè fuit, cùm quos acerbiùs olim oderant, eorum inter coronata pocula, merumque largiùs haustum nomina certatim inclamarent, obsequiorum perpetuitatem spondentes.

Rex vitam & libertatē Rupell. indulget.

Guitonis superbia.

Caduceatores Regiis in Castris conuiuio excepti.

Postridie huius diei prætorianæ legionis ordines quatuordecim, ex Heluetica verò phalange pauciores regiis Proceribus vrbem ineuntibus comites dati, è Nobilibus qui diligentiorem in vrbis oppugnatione nauarant operam ingressi feruntur Inculismensis Dux, Schombergus, Vignolius, Halierus, Marilacius, aliique Francicorum Scriptorum Annalibus inscripti; at ne quid miles in introitu auderet, ageretue licentiùs; cauit diligenter Schombergus, incussoque mortis terrore inhibuit, ne quis quocunque obtentu in vllas ciuium ædes infestus irrumperet; tum occupatis vrbis regionibus, qui Regis designatione lecti fuerant, excubias egere præsidiarii. Rex verò quo maiori cum plausu, ciuiumque gaudio admitteretur in vrbem,

Regia cohortes vrbem ingressæ.

Nobiles contra Rupell. fortiter. congressi.

Deuehuntur in ii generis cibaria. famem ex ea per tot editas hominum strages debacchatam submissa denorum millium panum annona procul exegit, accessere vehicula multa re cibaria omnis generis referta, ingens præterea pecudum numerus, quæ omnia nihilo auctioribus pretiis venalia habuerunt annonarii propolæ, quàm cùm venderentur in castris. Ad hanc esculentorum copiam aduolarunt illico macilentorum, exanguiumque hominum greges, & quia stimulante inedia in paratas huiusmodi dapes irruerunt auidijs, obruit potius quam refecit vires intemperantia præceps, dum perexiguus, qui supererat calor, ingestam affatim escarum copiam non properè satis excoqueret.

Repurgantur Ecclesiæ. Congruum erat vt victori rebellantis populi Deo salutaris, triumphatrixque offerretur hostia; quamobrem Ecclesiæ, quæ aut profanis hostium vsibus, aut fortuitis horum cædibus pollutæ fuerant, solennibus vt cæremoniis initiarentur, procuratum est primò; tum ritè sacris operatus est Cardinalis Richelius, quo faciente proceres aliquot, suauissimo redeuntis in vrbem religionis sensu delibuti augustissima Corporis Christi percepere mysteria. Post Richelium alii atque alii tum Præsules, tum Cœnobitæ rem Diuinam pariter multis astantibus peregerunt; atque hæc ad primam vsque post meridiem horam extracta est religiosa pietas, quam exemplo suo promoturus Rex Christianissimus, triumphantium Imperatorum in morem lætus vrbem ingreditur, hunc mille saltem prosecuti sunt primariæ nobilitatis viri, quos inter eminebant Cardinalis Richelius, Bassompetra, Harcurtius, Alesius Comes, aliique supra recensiti Magnates. Incedentem cum illustri comitatu Principem suum lætis acclamationibus consalutarunt procidentes in genua ciues, hunc fortissimum calamitatis suæ depulsorem, assertorem felicitatis, pium mansuetumque congeminatis vocibus acclamarunt, cuius perfectum esset clementiâ, ne ciuium quemquam vlla in re læderet, ingens quæ in vrbem irrepserat cacularum, gregariorumque colluuies; mirabantur omnes tam locupletem annonam insigni Regis liberalitate suppeditatam iis omnibus, quos inflicta pœnarum seueritate mulctare iure potuerat, ni præcipuarum regiorum virtutum decus in misericordia statuendum esse duxisset, saluteque hominibus danda.

Rex triumphans vrbē ingreditur.

Faustæ ciuiū acclamationes.

Regis clemētia & liberalitas. Ieiunam hanc exanimemque turbam contuitus Rex, blando ac renidenti ore cunctos pedibus suis affusos salutauit, amplissima quæque si de cætero saperent, benignè pollicitus, quibus extremam horum solaretur inopiam. Exin ad Diuæ Margaritæ templum

hæretiæ prauitatis ſordibus per ſtatas cæremonias repurgatum contendit, ductuſque adprincipem aram, inſtitutum agendis Numini gratiis carmen hilari cum cantoribus voce ad finem vſque proſequutus eſt; ſpiritualem in aſtantium omnium mentes infundentem ſe ſe lætitiam adauxit magnopere P. Ioannes Suffrenus Societatis Ieſu Sacerdos, qui tum Regi à ſacris Confeſſionibus erat, eiuſdemque Eccleſiaſtes non minùs pius, quàm eloquens; ſacro namque ſuggeſtu conſcenſo ſcitè admodum, eleganterque in hæc Vatis Regij verba ſiue oracula perorauit. *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non reuertar, donec deficiant.* Quam viri ſanctiſſimi præſagitionem amotis procul ambagibus in Chriſtianiſſimum Regem mirificè cadere multis argumentis oſtendit; hunc nempe Gallicum eſſe, veréque appellandum Dauidem, quod deterrimos Numinis, religionis, ſuoſque pariter hoſtes continuatis tot præliis magnificè deuiciſſet, ideoque in beatorum conſortium, quorum Calendis Nouembribus anniuerſarius agebatur dies, poſt Galliam, quin & Europam totam alis atque aliis illuſtratam triumphis, poſtque expletam feliciter viuendi ſatietatem meritò cooptandum.

Solatur exanimē turbā.

D. Margaritæ templum adit.

P. Suffrenus concionatur.

Reſtare videbatur id vnum, vt primario perduellium victori Chriſto iuſtus decerneretur triumphus, qui vt quàm citiſſimè regali luxu appararetur, accurauit diligenter Religioſus admodum Rex, quidquid partum ſibi gloriæ fuerat, in verum eius autorem refuſurus; Quamobrem per præcipua vrbis compita magna cum reuerentia conuectum eſt Auguſtiſſimum Chriſti Corpus, proſequutus eſt Rex ipſe cum accenſo funali, hunc illuſtris comitata eſt Principum, Procerúmque corona, iterato maiorum tormentorum ſonitu læta ſpargebatur fama Rupellæ Deo, religionique reſtitutæ; certatim omnes, etiam Caluinianis erroribus implicati in conueſtitos attalicis tapetibus parietes erectaque paſſim trophæa contentam oculorum aciem intorquebant, ſed curioſiùs longè in ſingularem incedentis cum maieſtate Regis pietatem, eius ex oculis, vultu, totóque corporis habitu promicantem. Certè tam illuſtri Regiæ virtutis exemplo concitati peſtiferum ſectæ virus eiurarunt hæretici nonnulli. Dum pium ſupplicantium agmen piè religioséque procederet, delecti qui conopeum Euchariſticum humeris ſuis ſuſtentarent Inculiſmenſis Dux, Comes Aleſius, Baſſompetra & Schombergus, tum erecta ſolenni pompa Crux fuit, cui trophæum affixum cum hac epigraphe.

Solennis ſupplicatio.

Regis modeſtiam auguſtum Chriſti corpus comitantis mirātur hæretici.

Hinc conuertuntur ad ſaniora nōnulli.

Affixum Cruci trophæum.

Anglis terra marique deletis, prostratâ hæreticorum peruicaciâ, restaurato præpotentis Numinis cultu, Oceano in vincula dato, Regijsque nutibus obsequi iusso, Rupellâ sub iugum missâ, dissflatis coniuratorum Principum externorum consilijs, victor exercitus hoc trophæum in perpetuum insignis reportatæ victoriæ monumentum Ludouico XIII. Galliarum Nauarræque Regi inuictissimo, pio Iustoque triumphatori sacrauit.

Grates Deo vbique actæ.

Accepto Rupellæ Regiis viribus debellatæ nuncio, Gallia vniuersa totam se se in gestientis lætitiæ genus omne statim effudit; Grates victori rebellium exercituum Deo singulis in ciuitatibus actæ; Monspelii solennis per vrbanos vicos ducta supplicatio, atque eò lubentiùs Deo Cælitibusque Galliæ patronis gratulati sunt quotquot erant Catholici, quò fortius Caluinianæ prauitatis propugnaculum euersum fuisse fortunatus attulerat rumor, vni hoc accepto ingemuere sectarii; sed Rohanium, qui promovendæ rebellionis princeps hactenus fuerat, grauior ex eius inclinatione mœror incessit quem vt mentis intima depascentem faciliùs premeret: per dies aliquot latuit; tum Nemausum profectus, excubitores nonnullos pro templi foribus collocauit, iussitque, vt simul ac perorasset Minister, præstolaretur tantisper cœtus omnis, dum ipse adueniret. Vix in astantium conspectum prodierat, cùm vbertim eius ex oculis erupere lacrymæ, aut spontaneæ, aut fortasse coactæ, in quas natiuum habere dicebatur imperium; dein multis interruptam singultibus de Rupellanorum cladibus orationem instituit, & quia magnum ferè est in fletibus robur, flectebant audientium animos querulæ lamentantis hominis voces, facilem his lachrymis assensum dabant, obsequii genus omne pollicebantur; quamobrem hoc tempore multæ contra Regem à fœderatis vrbibus decretæ sunt machinæ, re-

Rohanii mœror.

Renouata inter hæreticos vnio.

nouatum vnionis cum Anglo, Subisio, Rohanioque initæ Sacramentum.

Postremi hi erant deficientis rebellionis conatus, euanidi post attritum eius in Rupella caput futuri, maximè cùm per id temporis Rex edicto publico sectarios arma deponere, & quintum decimum intra diem, ad fidem, obsequiumque redire iuberet; quòd vt facilius assequeretur, regiam iis omnibus, qui parere minimè cunctarentur, gratiam, conscientiæ libertatem, & pleraque alia de more pollicebatur; quæ Regis indulgentia, ne complures à rebellando distraheret, Rohanius Albigensi è tractu in inferiorem Occitaniam præfestinat, conuocatisque Nemausum sectæ proceribus. *Rex varijs indultis rebelles ad fidē sollicitat.*

En (inquit) *quod circunfertur à Rege cusum recens edictum, quo pium reformatorum gregem armis exuere satagit, propositâ iis, qui morē sibi gesserint prœteritorum criminum veniâ, en cassses, quibus Deo fidos irretire connititur; peramanter in speciem, blandeque compellat nos omnes, vt iracundiæ suę victimas destinet, crudeliterque mactet, obsequutos. Compertum satis est omnibus, nunquam non insidiari Principum blandimenta, pauca Reges ex animo, atque ex intimis sensibus deprompta polliceri; incerta magnarum spe rerum cacaquę nos expectatione futuri prolectare Rex pergit, in pollicendo, quàm in indulgendo longè profusior, cunctos ad se tutò, fidenterque accedere iubet, quò in vnum quasi caput coeuntes vno facilius ictu contrucidet? arma deponi praecepit, cui si fuerimus obsequuti mandato, ecquos tandem in posterum propugnatores habitura est religio, inter arma feliciter nata, & educata feliciùs? hanc ego impune labefactari non finam, cuius in cultu vertitur omnium salus.* *Eius promissa videt Rohanius.*

Hæc dum largo cum fletu quereretur Rohanius, Lunasium aggressus est Mommorancius, cœptæque oppidi oppugnationi Baronem Puiolium, & Annibalem nothum præfecit, quorum cohortes quanquam in speciem validæ, ab obsessis tamen sine vlla trepidatione conspectæ; tenuit quartum & quadragesimum diem obsidio, quo euoluto temporis spatio, non tam vrgentibus hostium armis, quàm adhortante fame loco cesserunt, cuius deditione Biterrensibus, Agathensibus, Luteuensibus, aliisque circùm sparsis vrbibus ab rebellium incursibus tutis esse licuit, qui latè patentem hunc tractum cædibus, incendiis, latrociniisque compleuerant. Despondebat animum suis exhausta viribus secta, cumque è fœderatis vrbibus nihil *Lunasium à Mommor. expugnatur.*

spei reliquum foret, opem ab externis Galliæ populis emendicat quod non poterat ipsa, Gallicum regnum laceratura per alios; non caruit iusta mercede qui à rebellibus ad Angliæ Regem delegatus est nuntius, is enim cum memorialibus codicillis suis Monspelii ab excubitoribus interceptus, & ad furcam damnatus miserè periit; hunc sequutus est proximè Zelandus nescio quis; vtque is accelerata morte conficeretur: occasionem Rohanius, vt mox referam, attulit; qui post Rupellam captam, aliaque sectariorum loca regiam in potestatem redacta Clausellum Monspeliensem magni Caluinianos inter nominis virum auxiliares copias à Rege Catholico petiturum in Hispaniam mittit; pollicitus est ille magnam pecuniarum vim, quid autem à Rohanio vicissim exigeret complures narrant historici; aduntque sic ab eo purgatam rei, quam spoponderat, noxam, vt diceret multa sibi à Deo tradita regna, omni sibi quacunque demum posset ope, contra hostiles incursus esse tuenda, quod si culpæ affine foret, quod aduersus Christianissimum Regem pollicitus erat auxilium, vnà cum Principibus multis & cum ipso etiam Francorum Rege peccaturum se, qui Batauicis Ordinibus contra ius fasque atrox in Principem suum bellum molientibus suppetias ferre non dubitet: præterea vt id non denegaret subsidii, eorum se consiliis inductum, quos conscientiæ suæ præsides legerat probos sanè eruditosque viros, qui non modò tutò & absque vllo peccandi periculo fieri id posse, imò & ad tutandum Hispanicum decus expedire censuerant. Porro Zelandus ille, cuius supra memini, ab Hispano missus cum pactis aliquot Rohanii manu obsignandis, posteaquam diu multùmque per stagna Magalonæ locorum ignarus deerrasset, iuxta Lunellum vetus pro Catholici Regis exploratore acceptus, Tolosamque deductus, quod serendis inter Principes discordiis operam daret: capitali est affectus supplicio, quod ille mortis genus infracta planè constantia tulit.

Tabellarius, & Zelandus supplicio affecti.

Hispanus rebellibus opē pollicetur.

Promissa excusat.

Priuatensis obsidio.

Superest iam vt de Priuatensi expeditione pauca dicamus, quod ferè postremum fuit ab Ludouico Rege contra perduelles bellum susceptum, quorum audacia tanta, prædandique rabies per id temporis extitit, vt ad Valentiæ vsque portas, perque adiacentem circà tractum quotidianis grassarentur latrociniis, vt in captos quoscunque Catholicos, in Sacerdotes præsertim, aut sacris religiosorum votorum nexibus Deo propiùs adhærentes viros barbara planè feritate sæuirent. Cùm enim Capucinum eorum qui tum in Valentino cœnobio

bio diuersabantur, præsidem nacti essent, non doctrina minus, quàm pietate conspicuum, extemplo dominante ferocia, maloque instigante dæmone cachinnis mordacibusque dictis appetunt, sacrum habitum cauillis incessunt, tum stimulante vehementiùs rabie in venerandam eius faciem inuolant, euellunt oculos, obcæcatumque arboris trunco illigant, collimant denique in eum catapultarii tanquam propositum scopum; sed quia rariùs patenti etiam in vulnera corpori destinatas in ictum glandes ingerebant, quasi suam in ferali hoc ludo imperitiam vindicaturi semianimem, Numinique in extremo hoc agone supplicantem ritè virum impactis cominus gladiis minutatim concidunt. Huius pallium Iustus Henricus Turnonius à Capucinis Patribus sibi datum in Turnonensi castro suo asseruari voluit, nec dubium est, quin cœleste robur quoddam ex hoc herois religiosi tot inter cruciamenta victoris exemplo in se deriuarit, cùm reliquo vitæ suæ spatio, tum præsertim in decretorio mortis agone, quam Ecclesiasticis procuratus ritè Sacramentis piè admodum & religiosè obiit, hoc enim tempore mentem ab inanibus sæculi curis abstractam in propitiando sibi Deo, semitaque ad Beatorum consortium breui securaque sternenda defixit.

Priuatensiũ audacia, & crudelitas.

Turnonii toparcha pietas.

Regem grauiter perculit qui tam indignæ tamque crudelis cædis percrebruit rumor, cui dum ex Italia victor rediret festis cum plausibus obuiam prodiere pleræque Galliæ ciuitates, portas tamen suas occlusit Priuatium, quasi partæ recens ab eo gloriæ temperamentum aliquod allaturum. Verùm quæ per prærupta Alpium iuga comitata Regem erat, haud facilè Viuariensibus in collibus eundem desertura videbatur felicitas. In decliui montis iugo posita vrbs, media sui parte montium vallo tegitur. Hanc Tolonæum fossâ in longum porrectâ iungebat, firmabatque propugnaculum, cuius in medio cespititius eminebat tumulus, qui Regiis conspectum vrbis, eiusdemque curulibus machinis impetendæ spem omnem adimeret. In altera parte Turnonensis arx erat. Binis his vrbs arcibus fulta eò præfidentiæ, aut audaciæ potiùs venerat, vt quasi ab hostium conatibus tuta, eorumque iam vires supergressa, felicem hactenus regiarum virtutum cursum inhibituram se, aut moraturam saltem iactantiùs affirmaret, haud gnara satis eius se Principis imperiis audere obniti, cui elementa ipsa paruerant. Cœpta est oppugnatio ab octonis bellatorum millibus, milléque alariis; submissæ deinde à Cardinale Richelio subsidiariæ copiæ; Oppidanos aduersus Regem tuebatur Sanctan,

Priuatii situs, & munimenta.

San-Tan-dreanus Vrbis præfectus. dreanus è Mombrunæa apud Delphinates familia. Prima impressio à Gallicis & Helueticis cohortibus facta, perque inuios & abruptos calles cum hostium stupore terroréque non leui, Fiatij hortatu, succollantibus militibus vegrandes quatiendis vrbis mœnibus asportatæ sunt machinæ, quæ vigesima prima Maij die an. 1629. horribili boatu perstrepentes, coràm Regem adesse, Regique excussa rebellione parendum esse nunciarunt. *Aduehuntur tormēta*

Vxellius occiditur. In obsidionalibus promouendis accessibus Vxellius Marchio catapultæ globo traiectus occubuit, vir non natalium magis, quàm virtutum splendore illustris. Prona tum erat ad spontaneam deditionem vrbs hortatore Cabrilio Brisonij fratre; hic enim indignè ferens commissam Sanctandreano regiminis curam, victori Regi parendum potiùs, quàm malè pereundum succlamabat continuò; obstabat tamen alter mille & ducentis legionariis fretus, titillabatque hominem immoderatus gloriæ pruritus, è tanto, cui resistere parabat, Principe colligendæ. Interea quadruplici verberatione aperta per hiantes muros irrupturo militi via deditionem suadere videbatur, cùm pertinaciùs obluctati sunt hostes, nam è semilunari, quod inuadebant Regij, vallo pulsi validè, repulsique sunt ab obsessis; & sanè periclitabatur eorum fama, incessissetque animos pudor, nisi nobilium turma, quæ ad trecenta capita excreuerat, cum Aletzio, & Harcurtio, quos ductores habuerant, festinatis itineribus eò commodùm aduenisset, hostium complures è propugnaculis suis eiectos funditus deletura. *Euerberatur vrbs.* *Regii vallū inuadunt & repelluntur.* *Animantur ab Aletzio & Harcurtio*

Cæsi proceres aliquot Regii Stetit hæc victoria multorum pro Rege militantium cæde, quos inter numerati Comes Perrerius, Valancæus Baro, & Marcilhacus in præsidiaria cohorte centuriæ præfectus. Vulnerati post datum sæpius bellicæ fortitudinis specimen Contenantius eques, Fontenayus & Senetetrei fratres, patre geniti Christianis, politicisque virtutibus inter paucos illustri. Quingentis è suis hoc in prælio cæsis, non tam pompæ splendore, quàm persoluto lacrymarum tributo parentabant Regij, cùm grauius iis, diuturnioribusque fletibus prosequendum inflictum est vulnus, Marchione Portæo fortuita glande necato. Creuit itaque omnium mœror, Mommorancij præsertim, præcox agnati sui fatum extemplo vindicaturi, nisi calentiores iuuenis impetus compressissent tum ductores, tum milites; neque enim fas esse putabant in apertum vitæ periculum mitti nepotem, cùm graue satis damnum accepisset Gallia in auunculi nece; erat enim is animo ingens, consilio prouidus, experientiâ summus. Indoluit Rex ad viri tanti funestissimum casū, *Et Marchio Portaus* *Eius Laudes.*

gnarus apprimè præcipuas regni vires in fortissimorum huiusmodi herouin incolumitate positas, parum arma valere absque Imperatoris prudentia, non tam manus pugnare, quàm capita, fortissimis etiam bellatoribus catos, sapientesque Nestores præhabendos.

Eodem quo Portęus occubuit die, rebelles vrbis diutius propugnandæ repens desperatio corripuit, turmatim itaque ex vrbe ac propugnaculis suis exeunt, tutas in cæcis rupium suarum speccubus latebras quæsituri, sed nihil tutum satis perduellibus in Deo Principes suos, & in Principibus suis oppugnantibus Deum, capti enim ex iis, suspendióque necati nonnulli. Tolonense castellum vrbi contiguum ab oppidanis reliquis infessum, à Regiis illico circumuallatum, & haud magno certamine captum; exin desertam ferè vrbem inuadunt, ac stimulante iracundia, occursante Procerum extinctorum memoria, obuios sibi factos quoscunque nullo ætatis, sexusque discrimine contrucidant. Sanctandreanus rebellium Dux cùm pares, aut grauiores pœnas extimesceret, qui patia, aut grauiora peccarat, quam tot flagitiis inflammarat in se Regis iracundiam, interposita nonnullorum autoritate mitigare adnititur; verùm à Rege repulsus, serius didicit, non continuò offerre se se læsi Principis gratiam, semel aut iterum à nocentibus pertinaci mente reiectam; quamobrem rerum capitalium cognitoribus cum rebellibus aliis traditur legum seueritate mulctandus, sed vltra incussum sibi metum graue nihil admodum pertulit, tametsi, vt è tragico vate colligitur, pœnâ interdum ipsâ grauior sit imminentis eiusdem formido. Reliqui arcis præsidiarij colloquio frustra petito victoris se se tandem Regis permisere arbitrio, quem cùm supplices adeunt scelerum conscientia debilitati, consilio, aut casu factum est, vt ignis scintilla è catapultario fune in subiectum nitrati pulueris aceruum delapsa, latiúsque inde serpens, è Regiis nonnullos corriperet; hi cuniculos in cladem suam actos, erumpentemque inde flammam interpretati, conceptis extemplo subitanei furoris æstibus in deditios rebelles certatim irrumpunt, ac tanquam occultæ fraudis architectos magna ex parte interficiunt. Qui repentinæ cladi superstites fuerunt, hos longè grauior perculit turbo, elisis enim laqueo faucibus in arborum ramis suspensi iustas rebellionis pœnas dependerunt.

Imposito sibi iugo ceruicem Priuatenses inflexerant, rebellare tamen audebat Alesium, instigante Mirabello præsidiariorum o ihtum duce, qui a Rege per tubicinem de reddenda sibi vrbe commo-

Rebelles in furcam acti.

Sanctand. in custodiã datur.

Comburuntur è Regiis aliquot.

Trunt deditii.

Alesium Regi resistit.

nitus, imperium sic ludificatus est, vt minimè consentaneum esse affirmaret, quam à Rohanio propugnandam vrbem acceperat, eius iniussu postulanti Regi restituere: experiendum prius armis esse sibi, quippe duobus bellatorum millibus freto, indecorè facturũ se, si absque vllis armorũ tentamentis quod commissum habebat oppidũ, traderet, proderet potius. Inculismensis Dux, idemque Alesianus Comes ad inurbanum, agresteque Mirabelli responsum vehementer excanduit, quasi verò intra comitatus sui limites minori, quàm Rohanius auctoritate polleret. Exarsit Rex ipse vehementiùs, quare festinatis obsidionis apparatibus rebellium contumaciam vlturus propiùs accesserat, cum præsentia Maiestatis exterriti, annitente Mommorancio Occitaniæ Protege, ad Regiæ clementiæ asylum nemini hactenus, qui sapere se velle diceret, obseratum confugiunt, gratiamque ac prætetirorum flagitiorum veniam extorquent. Intromittuntur in vrbem vnà cum Rege Ecclesiastici, cuius iussu solennis est instituta supplicatio, in qua Deum Eucharistico velo contectum dum per vicos sub vmbella cum maiestate ferretur, comitatus est ipse cum aulicis, quas hactenus adeptus erat, fortissimo huic Gedeonis Pani gratulaturus victorias.

Deditur.

Sacra in vrbem reducũtur.

Postrema hæc ferè Christianissimi Regis fuit aduersus Caluinianos rebelles expeditio, Rohanius enim, cũ terra marique se suosque à Rege fortiter expugnatos attritosque lugeret, cladibus suis sapientior factus, nunquam his impunè fieri, futurumque didicit, qui scelerata concontra iustum Principem arma tractarent: Salmoneos eos esse, aut Salmoneis pares, quod in Numen ipsum, aut germanam Numinis imaginem petulantiùs insurgerent, intortis ab eo fulminibus proterendos, longas Regibus à vate nescio quo manus affingi, sed non minùs potentes, quàm longas: consultius itaque esse Principis gratiam emereri, quàm ob læsam eius toties patientiam, iustam in se prouocare vindictam. Nec mora conuocato procerum cœtu inanes hactenus sectæ conatus fuisse ostendit, profusum toties fortium virorum pro religione sanguinem absque vllo religionis ipsius compendio, pacem itaque sæpius à Rege oblatam iunctis omnium votis precibusque petendam, sique enixè postularetur, ab optimo clementissimoque Rege impetrandam. Caluinianis haud magno molimine persuasum est istud, tutum post tot ciuilium bellorum tempestates optantibus portum.

Rohanius pacem optat.

Quamobrem Rohanii cæterorumque rebellium vota, quodque iis

acceptius fuit, pronæ ad obsequendum omnium voluntates ad Regem perferuntur, si modò in animum induceret præteritorum motuum obliterare memoriam, quæ pia supplicum animorum inclinatio tanta Regem voluptate perfudit, suorum enim pœnitentiam quàm pœnam cupidiùs appetunt Principes, vt redeuntes in frugem paterno statim affectu exceperit, promulgatisque nouis edictis, ne cuiquam horum noceretur cautum esse voluerit, immunitates his integras restituerit. Attamen quia prospicit in futurum prudentia, & ex præteritis quæ sunt euentura colligit, aptéque disponit, ne nouam perduelles iterandæ rebellionis ansam arriperent, erectas ab iis recens munitiones deturbati iussit; Caluinianis autem causantibus magnum in iis ad inopinas hostium exterorum maximè retundendas vires positum esse momentum, Rex frustra hæc esse respondit ad præsidium munimenta parata, cùm in promptu regia foret tutela quouis propugnaculo fortior. Communibus itaque tum Catholicorum, tum sectariorum votis promulgata pax est, eiusque conditiones duobus supra viginti capitibus comprehensæ. Sancitam feliciter pacem ne Rohanius interturbaret deinceps, centena ei aureorum millia numerari Rex iussit, & quia sæpius rebellionem aluerat, externasque aduersus Regnum conciuerat vires, indignus habitus est qui coram Rege prodiret, quin & intra Galliæ fines commorari prohibitus, Venetias ad vxorem iter intendit. Sic extinctæ rebellionis, ciuiliumque motuum faces, eo procul amoto, qui eas nouis quotidie seditionibus violentiùs accendebat.

Indulgetur à Rege.

Rebellium munimenta destruuntur.

Rohanius accepta pecunia extra Regni fines ire iubetur.

Rebus in Occitania compositis, Rex Lutetiam Parisiorum adiit, addictissimi sibi populi plausus gratulationesque ob prostratam hæresim, rebellionemque excepturus; at ne quid noui molirentur sectarii, rerum omnium summam Cardinali Richelio tradit in eadem prouincia subsistere iusso. Is dum Monspelium venit, arcem contuitus aduersus rebellium insultus haud ita pridem extructam, laudauit sanè magnificum opus; verùm ad internos compescendos hostes, errantiumque dogmata profliganda, in arcis alterius molitionem animum vertit, tantò saxeâ præstantioris, quantò laboriosius est animarum salutem accurare, quàm corporum: nempe Societatem IESV ardentissimo flagrantem promouendæ religionis studio eandem in vrbem inuexit, quæ à Catholicis omnibus magnis accepta est plausibus, à Fenollieto præsertim vrbis Episcopo, fidos in profligandis hæresibus, diffla ndisque malè de Deo sentientium erroribus adiuto-

Rex Lutetiã redit.

Cardin. Richelius Collegium Monsp. Societ. IESV Patribus tradit.

Beneuolè à Fenillieto Præsule admittuntur.

res habituro. Et quantis pollerent illi viribus in prouehendo præpotentis Numinis cultu, confutandisque religionis hostibus iampridem nouerat ille, Societatis enim scholas adolescens frequentarat, illustraratque mirabili ingenii præstantia, singularique eruditione, quibus animi dotibus vix vllum Gallia tota nactus est parem; ita enim disciplinis omnibus excelluit, vt singularis propemodum videretur in singulis. Pastorale autem pedum non inerti manu tractauit Præsul; sæpiùs enim sectæ Prædicantium insaniam repressit, contudit audaciam, complures è Caluinianorum dogmatum colluuie, magnates præsertim Catholicorum partibus aggregauit, venerabile Dominicæ Crucis simulachrum his in Monspeliensibus vicis defixit, vbi paulo antè in Crucis eiusdem opprobrium, cruentasque Numinis cultorum neces erecta prostabant patibula. Vir fuit tot in dicendo leporibus affluens, huic vt ambrosianæ insedisse creditæ fuerint apes, aut gratiæ potius. Amauit & decoras hilarioris Palladis amœnitates; Musas coluit, sed verecundas. Extant apud me cultissima quædam eius opera, seu postremæ, vti appellabat, cogitationes, in quibus stylū poeticum acriter stringit in licentiorem hominum vitam; tum in vna piè Catholicéque moriendi scientia conquiescere se sanctè iurat, hancque vnam disciplinarum omnium cumulo anteponit. Et repetita identidem huius vltimæ necessitatis memoria, vt hominem abstrahebat à vitiis, ita & ut ad pastoralium virtutum culmen eniteretur iuges stimulos admouebat. Charitas erga Deum in eo eluxit maxima, dignus fuit auspicato Petri nomine, quod eius exemplo commissum sibi gregem magna sollicitudine curaret, afflictis solatium, inopibus victum, Cœnobitis quo diligentiùs in animarum curam intenderent abundantem suppeditauit annonam. Parum grati essemus Pontifici tanto, nisi fundati hac in vrbe Collegii patronum hunc agnosceremus & patrem; indotatam enim tunc, & prouentibus cassam familiam hanc nostram tandiu sustentauit de suo, dum idoneos ei ad obeunda Societatis ministeria reditus impetraret à Rege, quin & præter opes egentibus profusè sparsas, semetipsum peste contactis impertiit, pro commisso sibi grege vitam haud inuitè profusurus.

Præsulis dotes.

Eruditio.

Animi magnitudo.

Eloquentia.

Poëseos studium.

Charitas in Christi gregem & liberalitas.

Amatus à Regibus parisiis moritur

Regibus nostris, Henrico præsertim Magno charus vnicè fuit, amabilis omnibus, vnis duntaxat exceptis hæreticis, quos non minùs exaggeratæ doctrinæ, quàm autoritatis, qua pollebat, armis perdomuit, in sæcula multa vitam protrahere dignus, nisi mortalibus

omnibus exuenda restaret mortalitas. Parisijs Episcopatus sui insignia obitâ piè morte deposuit, vbi eadem iuuenis sumpserat, quasi descripto Pontificiæ vitæ circulo ad punctum idem, vnde primùm exierat, rediturus; quo autem in templo, dum sacras haberet conciones incredibilem Regiis aulicis, regique ipsi stuporem olim conciuerat, commiserationem mutus iam cinis efficit, concionatorio in feralem tumulum mutato suggestu. Præsulis cor Monspelium translatum, ac post lugubres Canonicorum cantus, orationem funebrem, diuinamque immolatam hostiam in Visitantis Deiparæ templo conditum est, piumque Monialibus, quas paterno semper prosequutus erat affectu, relictum est pignus. Hæc de Antistite tanto præteriri minimè oportuit, hæreseon (vt alias dixi) profligatore, cum errorum præconibus, sæpius arma veritatis experto, nunquam sine suo, Catholicæque religionis transmittendo posteritati triumpho. *Eius cor in Visitationis templo conditum.*

Panegyricis laudibus immaturum Ludouici XIII. funus celebrarat, multa se Regi tanto debere professus, qui Regum omnium maximus aliquot antè annis è viuis excesserat, Princeps integerrimæ vitæ, eximiæ pietatis, regiarumque virtutum omnium splendore conspicuus. Eius fortitudo in adeundis periculis, frangendisque difficultatibus mirificè semper eluxit, ingentibus enim cœptis, quod in Principe rarum, perennem addidit magnarum rerum effectricem constantiam, exsomnis, prouidens, illustrium, tum pacatis, tum turbulentis belli temporibus gestorum magnitudine, Galliæ, imò & Orbis vniuersi locupletauit annales. Iustitiam coluit rectè factorum in subditis suis remuneratricem; & hanc præ flagitiorum vltrice adamauit vehementiùs; postremam hanc interdum adhibere coactus, nunquam mulctaturus scelera, ni periculum aliquod fuisset, ne iis clementiùs habitis, faceret sua, ne intempestiuè misericors, ne dissolutior, quàm indulgentior haberetur. Ad nihil vnquam est aggressus quod æquitati dissonum foret, natalis diei non immemor, omnia dicta, factaque sua ad libram exegit, ratus semper priùs conscientiæ consulendum esse, quàm famæ. *Pius Ludouici XIII. Regis obitus.* *Regiæ eius virtutes.* *Fortitudo.* *Constantia.* *Iustitia.*

Quod ad corporis munditiem pertinet, nihil de eodem affirmare prohibet, quod de Traiano Plinius olim asseruit. Affectata aliis castitas, Ludouico ingenita fuit, & ne vlla turpitudinis aura candidissimum pectus afflaret, ab aulicis vt plurimùm iocis, laxamentisq; semotus, nemoribus venator inerrabat, non tam feras venabulo con- *Castitas.*

fixurus, quàm Cupidinum monstra; perinde quasi antiquæ fidem asserturus fabulæ de Diana idcirco Virgine semper habita, quia venatrice; sic continuatis laboribus corpus fatigabat, tantò castior futurus, quantò imbecillior, cùm iuuenis quondam Tolosam adiisset interessetque de more augustissimo cælestis agni sacrificio, comptarum illicò, cerussatarúmque mulierum grex adfuit, Regios ad se pellecturus oculos, quos tamen Rex nunquam à Sacerdote sacris operante dimouit, dedignatus impudentem illum venerum, Cupidinumque chorum, patentem obscœnitati scenam exosus, Scipio alter ne oculis quidem obiectarum sibi specierum pudorem delibare sustinuit, quin & accersitam putidiùs iuuencularum elegantiam carpsit. En (inquit) fucati blandimenta coloris, imbutæ purpurisso facies, ad conuelandum natiuæ formæ dehonestamentum emendicata pigmenta; en laruatæ, pictæ, diuitesque Helenæ, quia non satis formosæ

Sic ille voluptatum vicit illecebras vt corpus in spiritualem propemodum mentis naturam adegerit. Reliqua maximi, optimique Regis decora non attingo; vnum tantùm id adiiciam tot naturæ donis cælestibusque muneribus cumulatum Principem, domitorem hæresis, Romanæ libertatis assertorem, sociorum vindicem, vitæ curriculum quasi Circense spatium palmari laude dimensum, tot expugnatorem vrbium, totque victorem certaminum, omnium ferè ante se Principum gloriam prætergressum, in virtutum omnium exempla

Modestia. genitum, institutum, nunquam se supra hominem extulisse, mortalitatis & modestiæ nunquam non memorem; tantæ felicitatis, quãta in Regem optimum cadere potest, capacem absque vllo mentis tumore, non tamen sine hostium liuore extitisse. Tanto principi tamque benefico sibi erepto lacrymarum tributum rependerunt Societatis I E S V sodales, Galliæque fletibus addidere suos, quæ tota

Semetipsum reliquit in liberis. in eiulatus adhuc & lamenta deflueret, nisi Rex germanam sui speciem in binis à se susceptis liberis impressisset, nisi primogenito suo Regnum, vtrique verò regias virtutes, tanquam hæreditarias, imò & semetipsum quodammodo in liberis reliquisset.

HISTORIA



HISTORIA HÆRESIS IN GALLIA OPPVGNATÆ.

SVB LVDOVICO XIV. REGE.



LIBER DECIMVS

Ab anno Christi 1643. ad annum 1664.



VALIS quantuſque ſit Ludouicus XIV. etſi vbique terrarum pulcherrimis factis ſemetipſum non proderet, ſatis tamen de-elararent paternæ in eum cum hæreditario regno tranſmiſſæ virtutes. Hunc non tam naturæ, quàm Supremi Numinis partum affirmare non dubito, veréque Adeodatum, quippe nobis cælitus miſſum. Quanquam ſi non tam gratis indultum, quàm emptum eundem aſſeruero, in nullam propterea reprehenſionem incurram; quot enim lacry-

Ludouicus XIV. Adeodatus.

Galliæ vota pro eo impetrando.

mæ, totâ Galliâ, fusæ, quot nuncupata sunt vota? vt inchoatam prouectamque sub Ludouico XIII. Galliæ felicitatem, per concessum ei filium, stabiliret æterna Bonitas, pacisque diuturnitatem longa posterorum serie ex ipso progignendorum sanciret. Magnum hunc mirabilemque Regem futurum naturæ mora satis ostendit in eo parturiendo tricenos plus annos cunctatę. Nempe vt vniones, sic & Principes ad magna & excelsa Numinis destinatione prodituri, auaro, vt ita dicam, Cœlo singuli lentè sudantur. In regio siquidem hoc partu parabatur asylum pietati, iustitiæ columen, religioni aduersus hæresim patrocinium, Orbi miraculum, Henrico Magno nepos, Ludouico XIII. dignus, qui eius in locum sufficeretur filius. Quid quod ante regiæ prolis huius exortum, quia futuram eius magnitudinem præsagierat Rex, amplissimam ei hæreditatem parare institit; exterorum enim Principum vrbes, Prouincias integras transportatis eo Gallicis armis iure belli regno suo adiunxit, ratus dilatanda esse regni spatia, vt nasciturus Adeodatus suus quasi hospes magnus in magnum induceretur hospitium; vt non solùm Delphinus Gallicus, sed & Germanicus, Hispanicus, Italicus, Belgicus vocaretur, & foret.

Singulari Deiparæ in Regem amore concessus.

Hoc Cœlestis munificentiæ pignus Christiparæ precibus impetratum à Deo fuit; cùm enim Sacris Magnæ Matris huius pedibus sceptrum Gallicum, cæteraque regni insignia substrauisset Ludouicus XIII. Rex, cùm ei & suam, & subditorum suorum mentes solenni ritu cæremoniaque deuouisset; congruum profectò erat, vt magnum aliquid à prodiga tantorum munerum remuneratrice Deipara reportaret; prole itaque auctus est, vt cara Parentibus, ita & toti necessaria regno. Non decuit magnificis Virginis matris pollicitationibus Annam Reginam, Delphini Genitricem, speque data excidere, hoc etiam nomine Deiparæ gratam, quia maternæ nomenclaturæ nunquam immemori.

Quo tempore natus?

Communis Galliæ lætitia.

Ortus autem est Delphinus Nonis Septembribus inter festos Nascentis, Assumptæque Christiparæ dies, vt illinc læta felicis ortus primordia sumeret, illinc fortunatum olim exitum post expletam viuendi satietatem sperare iuberetur. Fortunatus profectò September, quòd in celsissimorum Principum exortum delectus præ reliquis fuerit; quòd regium hunc infantem tulerit, vel ipsa vultus maiestate Gallico dignum imperio. Hoc in lucem edito vniuersa in omne plausuum gaudiorumque genus effusa est Gallia, collucebant festis igni-

bus ciuitates, Prouinciæ, læti passim tubarum clangores, tormentorumque maiorum audiebantur strepitus. Cùm in omnibus ferè Galliæ locis, tùm illustria præsertim fuerunt, quæ sumptu non modico Carcassonenses Delphinia celebrarunt. Vidi ego ligneam, vegrandémque molem in castrensem figuram & altitudinem erectam, emblématis, hieroglyphicisque picturis vndique insignitam, quæ autem in ea visebantur Regiarum virtutum monumenta versibus expressa, Patrum Societatis IESV studio concinnata hæc fuerant: prostabant & variis in locis vota, seu Oracula, quæ Regij sanguinis æternitatem, Galliæ pacem, Ecclesiæ tranquillitatem, perpetuam Europæ à bellicis tumultibus securitatem spondèrent; maximè verò cùm Rex infantem paternis nondum libatum osculis regales velut primitias Numini consecraturus è structuræ mirabilis culmine prominerèt, quod hac sententia vates expresserant. *Delphino simul aura videtur & ara.*

Delphinia scitè Carcassona celebrata.

Apparatus hic omnis iniectis ab Episcopo, & Annæo de Roux Maiore tum Iudice, necnon Primario Curiæ Carcassonensis Præside facibus, in honorem nati recens infantis deflagrauit; plaudente circùm populo, nec non vegetam paruulo indolem, Herculeum iuueni robur, longum denique eidem viro quondam effecto vitæ huius vsuram apprecante. Communibus noctis huius oblectamentis symbolam suam contulere, Societatis IESV Religiosi, nam præter varia Poëtarum acumina, laudata passim ab omnibus, præter prospera fata Adeodato Regis filio prænuntiata; in sacra campanarum turri lucernas supra, infraque in hexagonam figuram compositas hunc in modum concinnarant, vt quæ inferiores erant, angulos maiores efficerent, superiores verò minoribus definitæ spatiis, altiúsque semper assurgentes, in acumen pene desinerent. Pulchra sanè iucundaque visu erat pensilis hæc facularum machina, cùm præsertim densis nox obducta tenebris prospectum turris eriperet, solique viderentur ignes quasi de cœlo suspensi. Haud diu post ab eloquentissimo Societatis IESV Sacerdote in parœciali Diui Michaëlis templo perelegans habita est concio, cuius argumentum è sacra hac Dauidis vaticinatione petitum. *Nunc cognoui, quoniam saluum fecit Dominus Christum suum*; quibus ex verbis copiosam cœlestium donorum vbertatem in Regem, Regiamque familiam largè dimanaturam auguratus est, & vates fuit.

Et à Patribus Societatis IESV.

Regni felicitas.

Quod enim pacatius, feliciusque regnum extitit, cùm extinctis ci-

uilibus dissidiis, in exteras prouincias transportata belli moles fuerit, latéque regni sui fines, aut de nouo captis, aut recuperatis ciuitatibus multis Rex protulerit. Quintum iam annum victorem Patrem triumphantemque viderat puer, infantilesque complexus è susceptis expeditionibus redeunti iunxerat, cùm mortales inter viuere desiit parens optimus; nempe humanis satis armis communito filio parandum erat de Cœlo præsidium maius; itaque cùm amantissimum patris nomen erga illum exuisset, potentissimi patroni nomen, & amorem assumpsit.

Ludouici Iusti obitus.

Pugnat adhuc pro Gallia.

Et certè nisi commentitia planè Galli scriptores tradiderint, expertus est Rex, qui tum puer erat in Rocroensi præsertim pugna victoriaque antiquum Patris sui robur, amoresque superstites, hostilis verò exercitus eiusdem cælo recepti vim, acremque vindictam pertulit, qui viuentis arma prouocarat. Perstingebat contuentium Hispanorum oculos eiusdem facies in aere visa humanâ longè maiestate augustior: atrox aliquid minabantur scintillantes Regis oculi, nisi ab armis contra Gallicum regnum ferendis hostes abstisterent; quamobrem confusis ingeminabant desperabundi vocibus. *Vidimus Dominum, & moriemur.* Sequebatur oraculum fatalis necessitas; tunc enim repentinis hostes perculsi terroribus labi præcipites, multiplices audiri querentium gemitus, non Hispaniæ tantùm vni, sed suos etiam de cœlesti specula inuigilare patronos; excubare Iacobos Hispanis, suos Galliæ studere Ludouicos. Verùm in externis istis aduersus religionis eiusdem Principes expeditionibus immorari nos diutiùs minimè patitur arreptum de præliis in hæreticos tantùm conflatis dicendi propositum, quæ bella ante supremum Regis fatum extincta propemodum erant, vnde paucissima sub Ludouico XIV. moliti sunt Hugonotti, vltricem Patris dexteram extimescentes in filio; hic certè non minus autoritatis fortitudinisque in contundendis hæreseos monstris exhibuisset, quàm in nouitiis Gallia ferè tota pullulantibus errorum fœtibus comprimendis ostendit, de quibus pauca quædam edisseram. Vnde autem nouellæ istæ circa fidem opiniones statis temporibus emergere soleant, attentiùs inquirere superuacaneum puto; si qui sint homines, quantulæ intelligentiæ, quantæ verò inconstantiæ, quàm procliues ad lapsum, paulò solertiùs indagemus. A mutatis in deterius moribus alternantur plerumque hominum sententiæ, nec in humanis tantùm rebus æstimandis, sed in diuinis etiam arbitrandis mysterijs scindunt se se inquieta plerorum-

Nouitios errores comprimit.

Errorum origo.

que ingenia; displicet iis longa Matris Ecclesiæ tranquillitas; in eam quasi longiore torpentem otio, ac diuturniore perfruentem felicitate intemperantiùs elatrant, solis sibi sapiunt, sed cui sapere deberent, non sapiunt; imò potiùs desipiunt Deo, cùm eius sapientiam eleuent, Christianamque veritatem Pontificis ore prolatam impugnent. Subtiliorum ingeniorum famam Nouatoribus aucupari mos est; nec inditos multis ad capessendum omne scientiarum genus igniculos denegarim, celeresque ad comprehendendum animi motus; habeant, per me licet, quod cupidiùs ambiunt; reconditum multiplicis doctrinæ instructum in triuiis venditent, in circulis, in scriptis palam ostentent, verùm quàm vilis habendus sit magnificus hic eruditionis multis partæ vigiliis apparatus, si ad pompam tantùm conquisitus fuerit, non ad communem audientium vsum, imò & contra audientium vsum, viderint ipsi, de quibus institutus est sermo. Theologicis præsertim imbutos se esse præceptionibus, Sanctorum Patrum codices diligentiùs euoluisse, reconditiorem illic sapientiæ medullam auidè petedisse identidem iactant; verum in iis (vt cum Diuo Bernardo loquar) redolentes sacram hanc satietatem deficiunt ructus. Vix vlla est horum in commentariis pagina, cuius in margine defensores non extent appositi, aut excubent Augustini, Chrysostomi, Irenæi cum reliquo Doctorum agmine, si quid vulgatæ ipsorum doctrinæ inurbaniùs obstrepebat, repulsuri; sed plerumque fit, vt quorum laudant nomina, & tanquam patrocinatura sibi venditant, sanam eorum doctrinam falsa malignaque interpretatione corrumpant; sæpius etiam contingit, vt prauo sacrorum huiusmodi codicum intellectu non tam dogmata sua stabiliant, quàm nostra confirment. Consulerent illi sibi aliisque, si pietatis, Ecclesiasticæque tranquillitatis cupidiores, quàm literarum existerent; admonet sanè vetus dictum, longè felicius esse laudabiliter egere doctrina, quam ea periculosè affluere, & in res animæ nocituras abuti.

Errorū autores docti audire ambiunt.

malè sanctos Patres interpretātur.

Atque vt antiquatas iam, aut antiquandas breui opiniones haud ita multis ab hinc annis exortas, Galliamque ferè totam peruagatas in medium proferam, vidimus haud ita pridem, nec sine stupore maximo vnum aliquod prodiisse volumen, cui speciosus de vsurpanda sæpius sacra Synaxi titulus inerat, cùm tamen frequentiorem cœlestis huius panis vsum ablegaret; ad sacrum hoc epulum accersere se Christianos omnes, hortari vehementer; quin & vt in augustam magni huius conuiuii cœnationem intrarent, compellere videbatur; cùm

mutato repente cõsilio inhiantes immortali huic cibo mentes procul arceret; accedendum succlamaret, appropinquantes ingestis de Cœlo terroribus Angelico hoc pastu excluderet; vitam diuina hac esca vescentibus sponderet, mortem prægustantibus certam, minimeque dubiam minitaretur. Euanuit quæ temporaria tantùm fuit opinio; si enim dempseris aut imperatam religiosis claustris aliquot, aut sponte ab illis admissam esuriem sacram, saginantur hoc cibo Christiani ferè reliqui omnes, quibus quotidianus hic frangitur, & comedendus apponitur panis; maior nunquam, quàm per id ætatis conspecta ritè sacrificantium turba; vix vnquam splendidiore luxit in Sacerdotibus sanctitas, vix numerosior laïcorum sacra hæc Mysteria percipientium copia, vix vnquam copiosius ex hoc epulo firmandis ad omnem sanctitatem animabus robur effluxit,

Iansenii errores.

Exoleuit itaque nullis nixa fundamentis opinio, quæ ad miseram præcipui Christianæ religionis mysterij proscriptionem impia sumpserat arma. Vtinam pariter extingueretur Ianseniana circa fidem nouitas, quæ pro Diui Augustini doctrina in speciem propugnanda, sed quod verius est, impugnanda, truncandaque per Galliam magno reipublicæ detrimento grassata fautores habuit hibetque non paucos quos eiusdem exterminatores esse decuerat, Luctuosum sanè fuit; è portione etiam Christi præcipua, & à quibus in partem hæreditatis assumptus est Christus, emersos esse nonnullos, quos aberratio mentis in deprauatarum huiusmodi opinionum scopulos alliserit, vnde triste fidei, ac calamitosum Ecclesiæ sequeretur naufragium. Quàm verò tenaciter arreptis recentibus his opinionibus ad hæreścant nonnulli, explicari vix potest. Insanas cupium moles citiùs longè, quàm nouatores istos ex hausta semel erroris prauitate dimoueris his tametsi Sanctorum Patrum sanctiones obiiciantur & scripta, Romani Antistitis vox, oraculi loco habenda; Ecclesiæ denique mens & imperium, piis monitis, iussisque nunquam non obstrepunt, puncti calcitrant, impactum stimulum eluctari nituntur; crescit in illis è motuum conciendorum prohibitione inflammatior turbandi, tumultuandique cupiditas; titubantem, lapsantemque causam suam editorum librorum multitudine fulcire satagunt, hanc ambiguarum vocum tenebris obuoluunt, & quia recta incedere nequeunt, anfractus quærunt & diuerticula, quæ sunt mera infirmitatis indicia.

Ianseniani tenaciter adhærent autori suo.

Quantò congruentiùs facerent, si otium, calamumque ad verio-

ra iuxta ac sanctiora transferrent, abstinerentque à tam exitiali proponenda doctrina, quæ tamen vt in aures vulgi cum aliqua suauitate dimanet, variis eam obtrudunt pigmentis oblitam; & quamuis prolectent satis audientium animas ipsæ nouitatis illecebræ, & populare aliquid spondeant, in pensi ùs tamen eas comunt, expoliuntque, quóque emptores minimè desint, exquisiti sermonis leporibus conuestitas venditant.; iurares nuperas has fallacias, perinde ac Demosthenis enthymemata ad lucernam elucubratas, aut Gorgiæ Leontini schemata locuplete textura nitentia. *Opiniones suas eloquẽtiæ fuco oblinunt.*

Infinitos penè in errorem induxit hæc eloquentiæ laruа, propinatumque gemmatis poculis virus, maximè cùm castigati in speciem, prætextatique putarentur propinantium mores, cùm in horum plerisque præniteret compositi vultus suauitas, & ad tempus induta quædam honestatis & pudoris imago. Perniciosa errorum monstra formosis sub pellibus personata delitescunt; errorumque satores, nescio quid augusti diuinique mentiuntur, quo in illaqueandos hominum animos occulti grassari possint cuniculis; sic quæ fallacia commentierant veteres, vt tanquam vera, & quasi de tripode parta persuaderent, agi se diuino quodam afflatu iactabant; hinc Numæ Pompilio diuini colloquij, & Publio Africano cælestis originis fama quæsita. *Pietatis specie in animos irrepunt.*

Nouitas hæc pestilens frequentibus hominum cœtibus in disputationis argumentum sæpius data, arreptaque cupidiùs; per omnes item circunducta est circulos; ab ignaris flagrantissimo studio accepta, quo imperitiores inter famam aucuparentur solertiæ. Quin & mulieres hanc sui quodammodo iuris effecerunt, sua non rarò arbitria in doctorum hominum corona depromere ausæ. Innatam his verecundiam numerosa sustulit ad eundem lapidem offendentium turba; nec hæ tantùm propinatum sibi virus intimis in præcordiis admiserunt, sed sparserunt etiam in plurimos, veteri repetito more, quo perfœminarum ministerium vulgata passim fuere deprauatarum opinionum deliria. Proditum enim est fœminas, eorum, qui nouos in religionem errores induxerunt, emissarias extitisse; nam cùm natiua his insit sermonis suauitas; & si virtus absit, accersatur virtutis, pudorisque simulatio quædam, irrepebant molliter in audientium animos nouæ huiusmodi Cassandræ, aut Egeriæ; quæque proponebant dogmata, hæc quanquam futilia forent, oraculorum passim habebantur in loco. Nonne Ariana deliramenta peruulga- *Iansenianis multi.* *Virus idem hauriũt, sparguntq; mulieres.*

runt Alexandrinæ Virgines multæ, adeò commentitiarum Præceptoris sui opinionum amantes, tenacesque, eas vt obstinatissimis studijs, propugnarent, ac conciliatrice gratiæ forma, inditoque à natura verborum profluuio varijs in locis disseminarent.

Pugnant cōtra Ianseniaanos Apostolici Viri. Episcopi Galliæ.

Adhærebant, vti iam dixi, Ianseniauis erroribus Gallorum complures, periclitabatur Romana religio, ni exorto, nondum tamen satis corroborato malo, ne latiùs effunderetur, moram opposuissent Apostolici viri; nec enim spes erat aliqua, vt exitialis hæc opinio, aut suopte impetu, aut temporis diuturnitate fracta nemine huic aduersante concideret; vociferandum itaque, ac, vt ita loquar, Ecclesiasticis latrandum erat canibus vt hæc procul à nobis profligata abscederet. *Vix quippe tollitur error, si repugnantem habeat neminem, silentium in consensum trahitur, & approbata creduntur, quæ refutata non sunt; quin & Doctorum taciturnitate inualescit malum, dum interea spatium accipit corroborandi sui.* Exorti itaque sunt Gallia tota singulari eruditione, acrique defendendæ religionis studio præstantissimi viri, qui in noua hæc dogmata Christianæ veritatis arma stringerent; nec postremi in hac bellantium cohorte Iansenianos aggressi sunt Societatis I E S V Patres, quanquam & primos, feréque solos insurrexisse dequesti sint aliàs Iansenistæ, aut Iansenistarum fautores. Illustre sanè hoc acroama, hancque nobis aduersantium vocem lubens audirem, à quibus Societatis nostræ virtus magnificè prædicatur. Verùm nec religiosi certaminis huius primordia nobis asciscimus nec victoriæ palmam decerpimus soli.

Patres Societatis IESV.

Nonne Doctissimi & Illustrissimi Ecclesiæ Principes; Petrus de Marca Archiepiscopus Tolosanus, Isaacus Habert Vabrensis Antistes, Ludouicus Abelly Ruthenēsis Præsul aduersus Ianseniană nouitatem stylum acuerunt? nonne 80. Galliæ Antistites ad Christi IESV Vicarium contra pestilentem hanc doctrinam multa scripserunt? nonne Sorbonicorum pars maxima contra Iansenium, ac commentitias eius opiniones inflammato pietatis & veritatis studio multò antè quàm damnarentur, exarsit.

Et alii.

De sacris Cœnobitarum Ordinibus hoc habeo dicere; Generalibus scilicet, Benedictinorum, Fuliensium, Capucinorum, aliorumque, comitiis Iansenismum esse proscriptum. Rex ipse Augustiniani effati non immemor, *Pertinere hoc ad Reges vt tranquillam habere velint Matrem suam Ecclesiam, & pacata sacra omnia præstent, & quieta.* ; Periculosos hos regni religionisque turbines à Gallico re-

gno

gno procul amandaturus, Ad Romanum Pontificem literas dedit, cui præ omnibus incumbit aduersus ortas hæreses arma spiritualia tractare, Ecclesiæque disttingere fulmen. Ad eum itaque delata res est, quippe supremum controuersiarum arbitrum. Hic verò Catholicæ veritati, Ecclesiæ tranquillitati, decessorum Pontificum more strenuè consulturus, iustis Regis, Doctorumque postulatis benignè annuit, sumptoque ad discutiendam opinionum prauitatem spatio, quinos in iis errores damnauit. Haud abs re fuerit censuram hic Pontificiam attexere. *Rex ipse cōtra hos errores ad Pontificem scripsit.*

INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorum Dei.

Pontificia Bulla.

VNIVERSIS Christi Fidelibus salutem & Apostolicam Benedictionem Cùm occasione impressionis libelli cui titulus AVGVSTINVS CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS, inter alias eius opiniones orta fuerit præsertim in Galliis controuersia super quinque ex illis; complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, vt easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam & perspicuam ferremus sententiam.

TENOR VERO PRÆfatarum Propositionum est prout sequitur.

PRIMA Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus & conantibus se-

cundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

SECVNDA. interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

TERTIA. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

QVARTA. Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

QVINTA. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, vt Ecclesia Dei nobis ex alto commissa purgatis prauarum opinionum erroribus tutò militare, & tanquam nauis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis securè nauigare, & ad optatum salutis portum peruenire possit.

Pro rei grauitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, à pluribus in sacra Theologia Magistris, easdem quinque propositiones, vt supra, nobis oblatas fecimus sigillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce, tum scri-

pta relata maturè considerauimus, eosdemque Magistros variis coram nobis actis congregationibus prolixè super eisdem, ac super earum qua libet differentes audiuimus.

Cùm autem ab initio huiusce modi discussionis ad diuinum implorandum auxilium, multorum Christi fidelium preces tum priuatim, tum publicè indixissemus; post modum iteratis eisdem feruentius, ac per nos implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem diuino Numine fauente ad infrascriptam deuenimus declarationem & definitionem.

Primam prædictarum propositionum *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant* temerariam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. *Damnantur.*

Secundam. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur,* hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Tertiam. *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*, Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus,

Quartam. *Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*, Falsam, & Hæreticam declaramus & vti talem damnamus.

Quintam. *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu; vt Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, Diuinæ pietati derogantem, & Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus vtriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur sub censuris & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in iure expressis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, *Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum ordinariis, nec non Hæreticæ prauitatis inquisitoribus, vt Contradictores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque iuris & facti remedia opportuna, in-*

uocato etiam ad hoc: si opus fuerit: auxilio brachii sæcularis omnino coerceant: & compescant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque Propositionibus factam approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Iansenii Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kal. Iunii Pontificatus nostri anno nono.

HI. DATARIVS.

G. GVALTERIVS.

P. CIAMPINVS.

Anno à Natiuitate D. N. IESV Christi millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo tertio, indictione sexta, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. INNOCENTII diuina Prouidentia Papæ X. anno nono, die verò nona mensis Iunij, supra dicta constitutio affixa, & publicata fuit in Ecclesia Lateran. ac basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valuis, ac in acie Campi Floræ per me Hieronymum Marcellam Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

Pro D. Mag. Cursorum *P. Paulus Desiderius Cursor.*

Rex Pontif. censurã promulgari iubet.

Extat Ludouici XIV. Regis diploma quo post contestatam, quam præ se tulit semper erga Romanam Sedem obseruantiam, cunctis Galliæ Præsulibus mandat, vt Pontificiam hanc Bullam Iansenianos errores damnantem per diœceses suas euulgari, Pontificisque super hac re voluntati à commissis sibi gregibus morem geri curent: quod licet horum plerique exequi maturarint, tamen vsque adeo altas complurium in mentibus radices defixit Iansenianarum opinionum corruptela, vt Episcoporum iussa, Pontificiamque bullam contemptui habuerint, perinde quasi vi extortam, aut nunquam emersam è veritatis oraculo, quamobrem ipsum veritatis oraculum à Deo in terris constitutum ad censuram quodammodo vocarunt, quasi Ianseniani sensus parum intelligens aut ignarum; & quod hinc sequitur, contra meras vmbras, aut laruas Andabatarum more congressum.

Librorum pro tuenda Iansenij doctrina contra Dei Vicarium editorum numerum inire vix possem, horum aliquos referam ab eodem Innocentio die 23. Aprilis an. 1654. anathemate perculsos, quos (vt in alia bulla habetur) post damnatum iterum, tertióque Iansenium damnat sub grauibus censuris, additque.

Nemo igitur cuiuscunque gradus, & conditionis existat etiam speciali, seu specialissima nota dignus libros infra scriptos, aut aliquem ex illis apud se retinere, legere, imprimere, vel imprimi curare audeat, sed statim à præsentis decreti notitia, quicunque illos habuerit, locorum Ordinariis, seu inquisitoribus consignare teneatur sub pœnis & censuris in indice librorum prohibitorum contentis.

Damnantur itaque Apologiæ pro Iansenio variæ, Eiusdem funeralis laudatio à F. Ioanne à Lapide habita; vt & somnium Hipponense, siue de controuersijs. Liberti Fromundi S. T. Doctoris breuis Anatomia hominis. Planctus Augustinianæ veritatis. Emunctorium lucernæ Augustinianæ. Samuelis Maresij Apologia nouissima pro S. Augustino, Iansenio, & Iansenistis contra Pontificem & Iesuitas Groningæ an. 1654. Familiaris San-Cyrani Abbatis Theologia, &c. *Alii libri ab Innocentio damnati.*

Hæc omnia è Pontificia bulla excerpta rata habuit Alexander VII. Innocentij successor, ac sepulchrale Iansenij elogium deradi iussit; nam *cùm gloria vmbra quædam sit, comesque virtutum, non decorè satis aptabatur prauarum opinionum autori; nec marmore, aut ære pingendus erat ad diuturniorem posterorum memoriam, qui eradendus è mortalium fastis, perpetuisque obliuionis contumulandus erat tenebris.* Verùm proh sæculi huius dedecus! laudatores, fuique commendatores quamplurimos nactus est hic falsorum dogmatum autor, & cui vitæ huius vsuram conferre non possunt, hanc vt relictis ab eo monumentis afferant, nullum non lapidem mouent. In ciuitatibus enim non opum magis amplitudine, quàm pietatis laude præstantibus posthabita Pontificiorum oraculorum veritate, non mutiunt tantùm priuatos intra parietes, sed in propatulo has propositionum fallacias miris efferunt laudibus, quas & proseminant è sacris Ecclesiarum pulpitis diuini verbi præcones, intemperanter sanè & impiè, quis enim id neget? Insinceros circa fidem & sanctitatem homines omnis ferè tulit ætas; nec certè denegari id potest, quasi verò nulla vnquam templa fallacium Prophetarum vocibus instrepuerint, aut profano nunquam igne aræ caluerint, aut reprobatis à Deo victimis pollutę nusquam fuerint. Sic autem incipit Alexandri VII. bulla, qua Innocentij X. constitutionem super damnatis quinque Iansenij propositionibus roborat.

Innocentii Bul. ab Alex VII. confirmatur.

Sepulchrale Iansenii Elogium abradi iubet.

Iansenismi fatores variis in vrbibus.

ALEXANDER EPIScopus seruus seruorum Dei.

Alexandri contra Iansen. Bulla.

VNiuersis Christi Fidelibus salutem & Apostolicam Benedictionem. Ad sacram B. Petri sedem, & Vniuersalis Ecclesiæ regimen inscrutabili Diuinæ Prouidentiæ dispositione nullis nostris suffragantibus meritis euecti, nihil nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quàm vt sanctę Fidei nostræ, ac Sacrorum dogmatum integritati tradita nobis à Deo potestate consuleremus.. Ac licet ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, nouæ decisionis, seu declarationis accessione nequaquam indigeant, quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubiũ reuocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latiùs diuagetur, promptum Apostolicæ auctoritatis; remedium censuimus non esse differendum. Emanauit siquidem alias à fel. recordationis Innocentio PP. X. Prædecessore nostro Constitutio, declaratio; & definitio tenorio quisequitur, videlicet.

Innocentius &c. Cum occasione impressionis libri cui titulus Augustinus Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis &c. (vt supra retulimus) Post allatam Innocentii bullam & propositionum censuram pergit Alexander, ac post damnatas easdem propositiones hæc, quæ sequuntur, adiungit.

Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propositiones vel in libro prædicto eiusdem Cornelii Iansenii non reperiri, sed fictè & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eadem intento damnatas fuisse asserere magno cum Christi fidelium scandalo non reformident. Nos omnia, quę hac in re gesta sunt sufficienter & attentè perspeximus, vt pote, qui eiusdem Innocentii prædecessoris iussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalatus munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica autoritate eadem causa discussa est eâ profectò diligentiâ, quâ maior desiderari non posset, quamcunque dubitationem super præmissis in posterum auferre volentes: vt omnes Christi fideles in eiusdem fidei vnitate se se contineant: ex debito nostri Pastoralis Officii; ac matura deliberatione præinsertam Innocentii

prædecessoris nostri Constitutionem, declarationem, & definitionem harum serie confirmamus, approbamus, & innouamus, & quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Iansenii, cui titulus est Augustinus *excerptas: ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse declaramus, & definimus: & vti tales, iuxta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione & definitione vnicuique illarum sigillatim inuritur: iterum damnamus &c. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ 1656. 7. Kal. Nouembris, Pontificatus nostri anno 2.*

Iacobus Cardinalis Prodatarius.

Abrasum Iansenii *Epitaphium Alexandri* VII. *Pontificis iussu supra ostendi, huiusmodi autem erat.*

EPITAPHIVM IANSENII.

D. O. M.

Cornelius Iansenius hic situs est
Satis dixi.
Virtus, eruditio, fama cætera loquentur,
Louanij diu admirationi fuit,
Hîc incœpit tantùm.
Ad Episcopale fastigium euectus
Vt Belgio ostenderetur.
Vt fulgor luxit, & mox extinctus est,
Sic humana omnia.
Etiam breuia, cùm longa sunt,
Funeri tamen suo superstes
Viuet in Augustino.
Arcanarum cogitationum eius
Si quis vnquam fidelissimus interpres

Ingenium diuinum, studium acre, vitam
totam.
Huic operi arduo & pio dederat
Et cum eo finitus est.
Ecclesia in terris fructum capiet,
Ipse in cælis iam mercedem.
Sic voue, & apprecare lector
Extinctus est contagio an. MDCXXXVIII.
Pridie non. Maij Aetatis anno nondũ LIII.

Vtinam sepulchrale hoc decus promeritus fuisset Iansenius, sic enim Ecclesiasticæ, quam obtinuerat, dignitatis numeros impleuisset omnes, piique iuxtà ac Doctoris magni famam retulisset. Sed quia huic elogio repugnantia scripserat, id propterea expungi mandauit Alexander Breui Apostolico ad Franciscum de Robles Iprensem Antistitem misso. Paruit hic Romano Pontifici repugnantibus Iansenianis multis frementibusque, cui idcirco per Breue aliud Apostolicum Romanus idem gratulatus est Pontifex.

BREVE APOSTOLICVM AD Episcopum Iprensem Alexander Papa VII.

VEnerabilis Frater salutem & Apostolicam Benedictionem. Dirui Cornelii Iansenii Iprensis olim Episcopi tumulo inscriptum sepulchralem lapidem iamdudum cupiebamus. Id enim nonnisi magna cum eorum pernicie, qui sanctam hanc sedem, eiusque præcepta obseruant, vel eorum, qui hæc detrectant, approbatione omitti poterat, Fraternitas autem tua non modò id ex sententia nostra curauit: verùm aduersus repugnantes, animo, constantiaque planè sacerdotali obuiam iit, omnes: & in Apostolicam sedem obseruantiæ admonens, & pro animarum salute vel maximis periculis caput esse offerendum. Constabit iam suus isti Ecclesiæ nitor, mundaque & placens

cens

cens erit Domino Domus sua. De quo zelo, & erga rem Diuinam incensa voluntate, vt amamus te plurimùm, ita gratum acceptumque summopere fuisse nobis & his testamur, & pluribus confirmabit dilectus Dominus Ferdin. Niphus, à quo fusius hæc accipiet fraternitas tua, cui Apostolicam Benedictionem impertimur lætaque omnia à Deo ex animo precamur. Datum Romæ 29. Ianuarii 1656.

Signatum, NATALIS RODINIVS.

Harum autem Propositionum censuram, cùm plerique accurauerint, tum Rex præsertim, Galliæque Præsules; cuius rei fidem faciunt Pontificiæ ad eos missæ literæ.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO Nostro Ludouico Francorum Regi Christianissimo Innocentius PP. X.

Et ad Regem Christianissimum.

CHarissime in Christo Fili Noster salutem, & Apostolicam Benedictionem. Constitutionem, quã post longam accuratis examinis indaginem & Spiritus sancti lumen publicè, ac priuatim sæpius imploratum, quid sentiendum sit de quibusdam propositionibus declarauimus, & definiuimus, Maiestati tuæ cum his literis mittimus. Ex ea sententiam Catholicæ fidei in graui hoc negotio à nobis audies, nec dubitamus, quin eadem futura sit cùm populis Christianis salutaris, tum summopere grata pietati tuæ, cùm præsertim & ipse per Oratorem tuum pro sanctæ huius Sedis super his decisione apud nos institeris. Maiestati tuæ Benedictionem Apostolicam amantissimè impartimur Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 31. Maii 1653. Pontificatus nostri anno 9.

F. FLORENTINVS.

EIVSDEM BREVE APOSTOLICVM ad Archiepiscopos & Episcopos Galliæ Innocentius PP. X.

Venerabiles Fratres salutem & Apostolicam Benedictionem. Rectè atque ordine fecit Fraternitatum Vestrarum pietas, quæ cùm in Ecclesiis istis, propositionum, de quibus ad nos scripsistis, occasione turbas ingentes excitari cerneret, ascendit ad locum hunc sanctum, quem elegit Dominus, vt catholicam super his veritatem à nobis quæreret. Nos igitur post longam accurati examinis indaginem, & preces luminum Patri Deo enixè porrectas, quid sentiendum sit de propositionibus illis declarauimus, ac definiuimus hac constitutione, quam cum his literis ad vos mittimus. Ex ea sententiam orthodoxa fidei in graui hoc negotio à Nobis audietis. Nec dubitamus, quin futura sit cùm populis Christianis salutaris, tum summopere grata insigni zelo Fraternitatum Vestrarum, quibus Benedictionem Apostolicam peramanter impartimur. Datũ Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 31. Maii. 1653. Pontificatus nostri anno 9. F. Florentinus.

Hactenus de Iansenio, deque Iansenij sectatoribus, quos maligno dente arrodere nunquam mihi animus fuit, miseror potiùs, miror que eorum plerosque, qui apud omnes eruditi putantur, quique solerti pollent ingenio, ad Catholicam veritatem non satis attendere, eique per Romanum Pontificem indagatæ, deuelatæque iustum denegare assensum. Eripiant se vtinam his deceptæ mentis ludibriis, Ecclesiæ tranquillitati consulant, qui tot in ea turbines excitarunt; videant quid futuri sint, cùm viuere desierint; & quod aliquando non poterunt; curare iam incipiant, quæ inter bona sua, eaque præcipua censere meritò debent, *Animam* scilicet, *& famam.*

Vallensium motus. Nunc de nouis Caluinianorum insultibus, quanquam iis omnibus concessa pax foret, dicendum esse videtur; ac primò quidem de nouis turbinibus per eos haud procul Albenaco excitatis, & sine partis vtriusque cæde, & absque vllo ferè martis experimento compressis. *Maria Monlordia.* Albenacum Viuariensis Prouinciæ vrbs est, haud ita ampla & nobilis; ab Heroina clarissima Maria Monlordia Marescalli olim Ornani coniuge tractus illius Domina laudem præcipuam, & commendationem accepit. *Albenaci Vbertas.* Ferax est ager tritici, vini, olei, sed nec au-

tumnalibus aliis fructibus caret; atque id causæ fuit cur hæretici non pauci vrbem hanc incoluerint, tracti scilicet peramœni huius soli illecebris. Albam quæ amplissima vrbs fuit, & Viuariensium, siue Heluiorum metropolis, quo maximè tempore imperitabant Honorius & Arcadius, Crescus Vandalorum Rex diripuit; huius autem è ruderibus extructa est Apsa perexigua quidem vrbs, sed in nobilem comitatum erecta; Episcopatus verò ab Oximio quinto Heluiorum Antistite in Viuariense Monasterium translatus, hodieque cum eiusdem nominis vrbe maiorem Heluiorum partem occupat. *Alba.* *Apsa.* *Episcopatus Viuariensis.*

Inter diœceseos huius vrbes non postrema est Albenacensis, munitissima Toparcharum arce, perantiquo Virginum illustri genere oriundarum Cœnobio, fundato insuper Societatis I E S V Collegio nobilitata; atque vt his pietatis adiumentis non careret, fecit binorum ex ea Societate Athletarum sanguis pro constabiliendis Catholicæ fidei dogmatis magna inibi constantia, alacritateque profusus; eò enim, cùm Caluinianorum errorum lues magis ac magis inualesceret, Religiosorum præsidum missu properè accurrit P. Iacobus Salesius Societatis I E S V Sacerdos cum Guillelmo Saltamochio laico. Hoc autem lubentius sterilem hanc Christi vineam, malè ab iis quorum intererat custoditam, peius ab hæreticis deformatam, excolendam ille suscepit, quo secretiore quodam monitu exploratius habuit, postremum hunc fore sibi sacris in expeditionibus conatum, reponendamque sibi post religiosum agonem, quam dudum ambierat, marcescentem nunquam palmam. Id autem multo antè quàm eò proficisceretur tempore absque vlla dubitatione coram multis affirmarat, hacque vna mentem cœlestibus gaudiis inhiantem expectatione sustentabat, Deo gratias identidem agens, qui manus suas ad prælium, & digitos suos formaret ad bellum. *Albenacenses Religiosorum domus.* *Collegium Soc. I E S V.* *Illic pro Christi fide ab hæreticis cæsi Sales & Saltamoch.* *Id præsagierat Salesius.*

Anno 1592. mense Decembri Albenacum cum Guillelmo primum attigit, statimque, quia cunctationes ægrè patitur ardens lucrandarum animarum studium, iniunctum sibi à Deo aggressus est munus, inuocataque Supremi Numinis ope, cuius est infantilem etiam ad eximia peragenda roborare balbutiem, conciones illic sacras tam exquisita doctrina pietatéque conditas, tam vberi Catholicorum fructu, tantaque omnium etiam hæreticorum admiratione instituit, vt palam contestarentur omnes conspectum à se vnquam nemi- nem, auditumque, qui nouum hunc Sacerdotem æquaret tum inflammato dicendi ardore, tum exaggerato multiplicis eruditionis *Albenaci sacras conciones instituit.*

instructu. Quin & Catholicorum Albenacensium, qui pauci tum supererant, communis hæc erat, ac multa cum gratulatione audiebatur identidem vox, congesta cœlitus Concionatori suo ea munera esse, quæ ab Euangelicis Præconibus cunctis expetenda meritò forent, reperirentur tamen in paucis; talem sibi obtigisse Apostolicum Virum, qualem sibi animo diu antè finxerant, qualemque maximè vellent: columen eum esse religionis Romanæ, aut Damascenum alterum, inexpugnabilem fidei adamantem, qui collapsam penè rem Catholicam Albenaci fulciret, ac ridendas hæreticorum Ministrorum præsertim, quibuscum congrediebatur, refutaret insanias. Dum curas omnes ad ferendam, firmandamque in audientium animis fidem, augendamque pietatem intenderet, reperirenturque tamen laxioris licentiorisque vitæ nonnulli, qui in auita peccandi licentia obfirmati, piis Ecclesiastæ tanti hortamentis obstreperent; peracres interdum comminationes paternis inserebat monitis, Christi Domini memor Hierosolymitanam Iudæis cladem præcinentis, ni posito

Eius præsagitio vera.

proprerè noxarum antiquarum onere, præscriptis sibi iustitiæ cæterarumque virtutum callibus insisterent. Consimiliter ille, quo Albenacenses Christianis præceptis obsequentiores haberet, cælestes iis identidem intentabat minas. Certè collectas ab hæreticis copias aduersus Arclatenses Salyos maturare se simulantibus, eorum in vrbem haud sine magna Catholicorum strage, Romanæque fidei periculo propediem effundendas esse præsagiit; quod, ne pium Vatem tanquam falsa proloquutum criminari quis posset, præter Albenacensium omnium expectationem aduenit; nam sexta Februarij die an. 1593 orta

Hæret. Albenacum irrumpunt duce Sariasio.

nondum luce quindeni milites, violatis, quæ pactæ iam erant, induciis Albenacum admotis scalis inuadunt, hæreticisque cohortibus ad montis ima præstolantibus portas vrbis aperiunt, vrbanis non repugnantibus, imò ne hiscere quidem excubitoribus ausis.

Pridie quàm vrbem occuparet Sariasius, hæretici huius agminis ductor, Salesius spiritualibus doctrinæ, pietatisque armis instructus fœminæ nobilissimæ mentem in hæresi tuenda constantis ac veriùs pertinacis oppugnare instabat; nec abstitit vnquam, quin expugnasset

Salesius fœminam nobilem Deo aggregat.

omnino; quod illa beneficium à Salesio secundum Deum acceptum præ se tulit semper, ac perquam diligenter excoluit; tamque deinceps in Romana conseruanda religione visa est constans, quàm in hæresi profitenda contumax olim fuerat. Interea trucibus vndique clamoribus, crebroque armorum strepitu circumsonabant vrbis com-

pita, dum Salesius tutam castri stationem, quæ ad vitandum capitis discrimen offerebatur, reiiciens; in Diuæ Annæ templum albescente nondum cœlo proficiscitur: quo in loco post exoratam appropinquante fato, fidei mentisque constantiam, quàm liquidis cæli voluptatibus perfusus fuerit, dum perennem Cælitum gloriam in proximo iam esse, terminandis breui cruciatibus comparandam intellexit, verbis satis explicari non potest. Exin domum cum Guilelmo iuncto sibi socio adiutoreque regressus, cum eodem procumbit in genua, ac se sociumque communem in victimam Christo IESV ritè ac peramanter offert, pro mortalibus à noxarum illuuie perpurgandis piacularem in victimam dato. *Offert se in victimam Deo.*

Cùm supplices ad Deum preces funderent, terni domum subeunt ex improuiso milites, editoque minaci clamore, quinam hi homines sint, percontantur. Illi continuò esse se Societatis IESV religiosos affirmant: tum hæretici. Quidquid pecuniarum attulistis actutum promite. Ad hæc Salesius, tricenos solidos, qui nobis è summa Turnoni data reliqui sunt, damus non inuiti; si plurium habendorum spes huc vos attulit, excusate quæso Religiosorum inopiam, quibus parca res admodum traditur, tenueque demensum: si verò maius aliquid, quin & necem expetitis nostram; agite verò quid prolixiores nectitis moras? Iam diu vitam hanc nostram vni Deo deuotam, nuncupatamque ægrè trahimus, cælestis vnius, ad quam quotidianis votis trahimur, appetentes. Et quia vili pretio beata stare non potest immortalitas; aggerate si lubet tormenta; indulgebit nobis æterna Bonitas infractam his in tolerandis constantiam, multiplicabit & palmas. Vix hæc proloquutus erat Salesius, cùm in eum ferociter grassatores irruunt, pugnisque crudeliter impactis eius in conclaue irrumpunt, ac quidquid religiosæ supellectilis erat curiosè perscrutati, spiritualem gazam, cereos nempe agnos, Pontificia benedictione impertitos, reliquiarum thecam, librosque per paucos secum auferunt. Exin pios pugiles alias in ædes commigrare iussos, perque vrbis compita transeuntes probris & maledictis incessunt, quasi primarios Papisticarum fraudum architectos; tum in Fayei hospitium, aut carcerem potiùs tractis excubitores apponunt. *Pecunia spoliatur, & supellectili sacra.* *In Fayei ædes trahuntur ambo.*

Adsunt interea prædicantes terni; vulpinaque primùm fraude grassantes, simulato scitæ cuiusdam vrbanitatis funguntur officio. Caluinianæ doctrinæ quàm vberes hactenus processus fuerint familiari, ac beneuola in speciem allocutione commemorant; versóque

Sectæ ministri vetitam escam ieiunis frustra offerunt.

ad Salesium vultu. Næ tu (inquiunt) cùm acre, præstansque à natura ingenium sortitus sis, mirari satis non possumus papisticis te adeo superstitionibus deditum, vt Euangelicam veritatem dignoscere nequeas; cúmque eum frustra ad defectionem sollicitarent; superuenit vnus aliquis, qui ieiunos adhuc Iesuitas inclinato in vesperam die perstare assereret. Prædicantes excusata diuturnioris inediæ ignoratione, esculenti aliquid afferri præcipiunt. Dies erat sabbati, quo pugilibus sanctis carneum appositum est iusculum; illi continuò respuere, quippe vetitum hoc tempore Catholicis cibum. Atque hinc sumpta est disceptandi de hac prohibitione occasio victore semper Salesio, indignantibus, frementibusque sectæ Ministris ab vno se, vti querebantur, Papista tam fortiter debellari. Tum ridiculi contra Catholicos sparsi sales, ludibrióque habita est eorum religio, quod cunctis sui cultoribus lautitiis huiusmodi interdictum vellet. postmodum de Sacramentis, ac præsertim de augustissimo Christi Corpore solennis instituta est disputatio, in qua cùm sacrosanctum Eucharistiæ mysterium, eiusque veritatem promptis tum è codicibus sacris, tum è Sanctorum patrum autoritate testimoniis Salesius edocuisset, hæreticorúmque confutasset errores; enim verò conclamarunt illico tum prædicantes, tum qui aderant milites, tollendum de medio pharisæum hunc impium, qui vel vnus reformatam recens religionem, fabularum, quas vbique ingerebat inanitate haud difficulter conuellere posset. Verùm vt carnificis officio fungeretur, nemo vnus induci poterat, imò non deerant, qui iureiurando affirmarent, cruentas se priùs cognatis suis manus allaturos, quàm huic Sacerdoti Romano. Nam quorsum hominem interficerent nihil pœnarum commeritum; aut in eum ferrum expedirent, qui nunquam arma tractarat? Cui aliquando versum est vitio, si religioni, de cuius veritate non ambigat, mordicus hæreat, eiusque impugnatores pro virili refellere certet?

De variis religionis mysteriis disceptant victore Salesio.

Morti destinantur.

Necantur.

Satiasius efferatus in rabiem sicarios è sinu suo educit, truces homines, & ad quoduis tentandum facinus expeditos, Hi confestim sumptis armis, ac barbara crudelitate ferocientes, Salesium aggrediuntur, emissaque catapultæ glande, ac sica in pectus eius adacta nihil opponentem, aut exprobrantem enecant. Guillelmum verò pio religiosoque patri commori ambientem immisso in viscera gladio perimunt, cum hic ad momentaneam hanc perferendam pœnam semetipsum acueret, quippe cœlestis mox adfuturæ felicitatis sementem;

Salesius verò decussatos in Crucis figuram pollices sæpius osculare-tur., Andreas alter in asperrimis Christi Crucis suauitatibus blandè iucundéque conquiescens. Cædis eius authores & administri irrogatas ab vlciscente Numine pœnas quàm atrocissimas, iustas tamen dependerunt: aut enim de statione mentis deiecti, aut bonis omnibus naufragi facti, aut afflictam cladibus vitam miserè trahentes miserabiliore fato vitam clauserunt.

Irrogata diuinitus tortoribus pœna.

Haud inanis fuit binorum Athletarum pro Christo sanguis effusus, quippe multorum eiusdem societatis hominum ferax, qui eandem Christi vineam magnis suis laboribus excoluerunt, ac etiamnum cum ingenti animarum lucro excolere pergunt. Heroina illustrissima Maria Monlordia, cuius suprà memini, Societatis I E S V Collegium Albenaci à se erectum iustis prouentibus instruxit; quo Albenacensium, viciniæque totius saluti prospiceret: sedulorum enim operariorum per circumiacentes pagos quotidianus diffunditur labor; oppidatim siquidem excurrunt accersiti è Societate I E S V Sacerdotes, à nobilibus etiam familijs, quibus hic tractus abundat vltro expetuntur. Atque hinc fit, vt piis huiusmodi colonis commissa sibi noualia repurgantibus, Euangelici verbi semen, Fides, pietas, altiores nunc agant radices, & in vberiorem longè messem excrescant. Complures eiuratis erroribus ad Catholicorum sacra redierunt instante Monlordia, atque vt id vellent, propositis etiam præmiis, ac priuilegiis inuitante. Magnum hæc sanè religioni compendium attulit, dum Albenacense Caluinianorum fanum dirui iussit, ne qua in vrbe Numinis cultum, ciuiumque salutem impensiùs accurabat, pestilentiæ officina existeret.

Societatis IESV. Collegium à Monlordia Albenaci fundatum.

Operariorum labor & fructus.

Monlordia hæret. templum Alben. dirui iussit.

Et quia Vallum, quæ in proximo vrbs est, hæresis, hæreticorumque propugnaculum erat, indequoque sectæ prædicantem exulare iussit Applaudebat vniuersus Catholicorum grex mulieri verè forti optiméque de Romana religione meritæ: cùm hanc vrgens domesticæ rei cura Parisios ire compulit, vbi cum diuturniores, quàm è re Catholica foret, quámque optaret ipsa moras agere cogeretur; Vallenses hæretici ansâ inde rebellandi arreptâ, Abrahamum Durangium iuuenem adhuc, factoque doctrinæ suæ periculo indignum, qui ministerio fungeretur habitum, Valli tamen Ministrum eligunt, annitente Iusteto eius socero incredibilis apud sectarios autoritatis viro. Porro ad audiendas Prædicantis huius conciones Albenaco, Priuatio, Interamnioque confluebant agminatim sectarii, faustumque re-

Prædicantē Vallo excedere iubet.

Repugnant hæretici, & alium prædicantem inducunt.

ligionis in vrbem reditū plurimùm sibi gratulabantur; cum interea rei huius admonita Monlordia, per constitutos à se magistratus ministellum vallo exturbare satageret, sed frustra erant literæ Parisiis missæ, cùm validiores essent hæreticorum partes, nullius cessuræ viribus, nec Monlordiæ Dominæ suæ, quam vereri debebant, autoritati, nisi præsens hæc adfuisset, seuerasque Caluiniano præconi comminata fuisset pœnas, diutius abire cunctanti.

Expellitur. Inuitus tandem multùmque repugnans cum vxore liberisque suis excessit, anno circiter 1653. Nemausumque profectus, aduocata sectariorum concione, quanta, quàmque indigna passus esset, meditatâ diu oratione significauit; quin & miserationum conciliatrices lacrymas non frustra verbis adiunxit, miserata est enim concio tota calamitosam hominis sortem, maximè, verò cùm vxorem, liberosq; exulare pariter iussos ac collacrymantes intueretur. *Nemausi de Monlordia queritur.* Acriores tamen admouebat tum ad mœrorem, tum ad vindictam stimulos Caluinianorum Vallensium grex, suo, vti querebantur, pastore desertus, turpi fame macieque deformandus cùm nullus iam esset qui Euangelicum ei apponeret panem. Quare ne religio apud Vallenses labefactata tota concideret: hanc subitarijs armis fulcire decernunt, Delectibus itaque ex Occitania, & Cebennensi tractu properè colligendis Villafrancus, & Cassagnus præpositi: cùm id impigrè accurassent, repentinæ illico sub signis prodiere cohortes; & quia rarò flagitium aliquod rebelles concipiunt, quod non recti specie quadam obuelare nitantur, vt non indignà ab se attentari fidem facerent, Rouræo Comiti supplicem obtulere libellum quo præter ius, fasque omne inusitatis se modis à Monlordia diuexari querebantur, eoque prorupere vesaniæ, vt subsidiaria ab illo contra eandem arma flagitare non erubuerint; quasi verò indigna hæc postulantium menti non occurreret, Comitem ea Matre procreatum quæ cum Monlordiæ soror esset, pariq; cum ea Romanæ religionis studio teneretur, Bariacense quondā hæreticorū fanū solo æquari mandarat. *Vim parant hæretici contra Monlordiam.*

Arma quoque parant Harcurtius Princeps & Monlordia. Harcurtius Princeps Monlordiæ ex vxore nepos, ipsaque Monlordia cùm non ignorarent quid consilii caperetur ab hæreticis, copias extemplo conscribunt, horum cohortes non tam honesto marte debellaturi, quàm aut iniectis arctè constricturi vinculis, aut ad relicta ab ijs rastra, ligonesque remissuri. Erant enim hostium plerique armorum tractandorum ignari, figendis tantùm stimulo bobus, arandis, iterandisque agris intenti; sellularij non pauci, ac veteramentarii

tarij, caculæ, vilissimis denique mendicabulis pares. Collectum hunc ex opilionibus manipulum primo impetu difflare, proterere funditusque delere promptum erat Harcurtio; sed vt ab eorum necibus temperaret, fecit tum nobilium nonnullorum deprecatio, tum sectariorum pauor oblatum semel iterumque certamen recusantium. Octona bellatorum millia sub signis numerabat Harcurtius; auxiliares enim aduolabant è primaria Viuariensium, Aruernorum, ac Velaunorum nobilitate Toparchæ, Alegrius Comes, Polignacus Vicecomes, Castronouanus Marchio, Monasteriensis Abbas collectas è ditionibus suis vires cum Principis armis iunxerant, Tantus hic armorum apparatus atrox aliquid sectæ, sectarijsque fatale prænunciare videbatur. Sed cùm irruptionem pararet Catholicorum acies, intercessere (vt iam dixi) nonnullorum hortatus, affatim per Galliam vniuersam profusum esse sanguinis; ideoque à nouis temperandum cædibus admonentium; itaque bellicum studium omne in Catholicorum partibus elanguit. *Auxiliares primaria viciniæ nobilitate accurrunt.* *Nulla committitur pugna.*

Atque in hoc fluxas, procumbentesque sectariorum res commodùm intueri licuit. Illi enim, qui non vanos vel Regibus ipsis intulisse se metus iactitare soliti erant, ad tumultuarium Catholicorum exercitum adeò consternati, fractique sunt omnes, vt, tametsi subsidiariis Nemausensium ac Monspeliensium copiis, collectitiaque in militare vectigal pecunia abundè viderentur instructi, ne mussare quidem ausi fuerint. Procacia sunt plerumque imperitæ plebis ingenia, sed nihil vltra verba ausuta; impigræ iis insunt cum ignauis animis linguæ. Non desunt qui intempestiuæ Catholicos inertiæ damnent, quòd hostibus à fortuna, à recta mente, à Deo potius derelictis, quos anatum more crebra iaculorum emissione configere poterant, veniam tamen, quam non merebantur, indulserint. Verùm quia clementia cùm hominibus cunctis, tum Principibus præsertim, si tandem in iis reperiatur, scita quadam venustate insidet, eorum certè est ad maiorem heroicæ illius virtutis cultum, de iure suo non pauca remittere. *Fluxa Caluinian. res.* *Venia eis indulta.*

Post Vallensem tumultum Nemausi turbatum aliquoties est, ditaque nonnullorum cæde repentinus hostium resedit furor. Monspelii postmodum Consulatus occasione moti haud ita diu rixarum turbines in multorum perniciem desituri, nisi Præsidum interuenisset autoritas. Magistratus huius partem indulgeri sibi postulabant effli-ctim sectarii, qui totum olim magistratum sibi asciuerant. At quia *Nemausi turbatum.* *Et Monspel.*

nec fas, nec æquum putabatur ab hominibus religione dissentientibus vrbem administrari, reclamatum illicò fuit, reiectaque hugonotorum petitio; Quamobrem ad præcauenda discordiarum, quæ iaci poterant, semina, Consulum Catholicorum in quinquennium ferè totum Consularis protracta est dignitas. Exin astante, annitenteque Rouræo Comite, Monspeliensis tum arcis vrbisque gubernatore, noui creati sunt Consules, iique Catholici omnes. Fremebant interea, vindictamque minabantur; quin & percrebruerat rumor Cebennates Monspelii mox adfuturas cohortes, quæ sectarios, quidquid demum opponerent, oggannirentque Catholici, ad vrbanum hunc magistratum vi amorum prouehcrent, religiosorumque domos expilarent. Quapropter vt infamibus his grassatoribus omnis prædandi, Sacrorumque profanandorum præriperetur occasio, missi à Rouræo, dum legerentur Consules, ad Cœnobitarum templa stationarii aliquot; vidique ego toto matutino tempore cùm à Sacerdotibus Hostia de more Parenti Deo pacifica litaretur, Societatis IESV Templum ad externas Hæreticorum propulsandas vires armatis custodibus insessum; sed ne quid atrox contra Dei famulos aggrederentur, obstitit gubernatoris autoritas.

Catholici Cõsules à Rouræo comite lecti

Stationarii in Cœnobitarum templis excubant.

Distinebatur interea Rex in aggregandis regno prouinciis, imperiique Gallici Maiestate vltra Galliæ ipsius fines proferenda. E diuturnis Galliam inter & Hispaniam conflatis, perdurantibusque bellis, oriebantur promiscuæ, quod in campo martis fieri assolet, pugnantiũ strages, familiarum exinanitio, clamor, vulnera, sanguis palam ambigua tot cladium causa videbatur, dum eam in Gallos Hispani, contra Hispanos Galli potiori iure regererent. Et tametsi extra Galliam tota bellorum transferretur moles, vexabatur tamen Gallia noui pensitatione tributi in militare stipendium conferendi. Inter hæc Pax tum à victis tum à victoribus expetebatur, congeminabatur dulce ac salutare pacis nomen; vltro citroque commeabant pacis sequestri seu Irenarchæ à binis Regibus constituti, suggerebantur pacis conditiones, nulla tamen pax erat, dum appeteretur ardentiùs. Sed tandem flagrantiores inter partem vtramque iras vltra progredi vetuit veræ pacis autor, eiusque amantissimus Deus, quam, ne Christianus tamdiu incassum efflueret sanguis, actutum iniri, arctiùsque stabiliri voluit Regii occasione connubii. Maria quippe Teresia Catholici Regis filia Ludouico XIV. Regi nupta præteritos bellorum omnium turbines dispulit. Coniugalem hunc Regios inter iuuenes nexum

ratum, acceptumque Numini extitisse probauit manifestè Regius, qui ex eo collectus est fructus, Galliæ nempe Delphinus omnibus naturæ dotibus cumulatissimus puer. Cùm itaque expeditum in extraneos hostes post ingentes partas victorias conquiesceret ferrum, præcipuas Rex curas ad amplificandum, vti iam cœperat, Christi regnum conuertit, qui tam feliciter amplificauerat suum. Ac primò erectas ab Hæreticis ad mendacia sua proseminanda exedras, fanaque ab eisdem post edictum Nannetense contra Regum voluntatem extructa dirui iussit, Bouchudi primùm vsus opera rebus forensibus apud Gesios in Geneuensi tractu pleno iure præfecti; qui quàm diligentem operam, quantamque festinationem in exequendis Regis, ac Numinis potius mandatis attulerit, declarant satis sparsi per Galliam totâ libelli locupletibus virtutum eius testimoniis conferti; quanquam maioribus voluminibus digna videretur tanti viri fama, qui quot in Giensi iurisdictione hæreticorum fana disiecit, tot erexit ille sibi laudis nunquam perituræ trophæa, tot moles, tot propugnacula Romanæ tuendæ religioni præstruxit. Paria in Phocensi prouincia ab Rege imperata, ab Regiis administris fortiter acta, in Occitania inferiore falrē alicubi, aliisq; nonnullis prouincijs idem præstitum, adhucq; ab ijs vrgebitur opus, quibus similis demandata est cura, ne in eos cadat; quod apud Tacitum legitur. *Regia edicta codicillis mandata non paucis; nulli aut pauci admodum exequuntur.*

Pax stabilita occasione Regii coniugii.

Destructa haret. fana apud Gesios.

Bouchudi laus.

Diruta etiam haret. templa apud Phocenses.

Templorum hæreticorum cladem subsequuta est Arausionensis arcis deiectio; fuerat hæc ad id vsque temporis tutus rebellionis receptus, Præsidiarj à Rege castro impositi, & ad oppidanis agnita, cultaque vehementiùs Regis Maiestas, parere abnuentibus imposita mulcta. Nuntiatis inibi faustis Galliæ Delphini natalibus, vt diu ille vt feliciter, vt prosperè qui eum genuerat viueret, coniunctis studijs ab vtriusque religionis viris acclamatum illico est. Vnus aliquis sectæ addictus, dum cunctantiùs id exequi notaretur, quin & tacito Rege Regisque filio, felicitatem, longæuitatemque Orangio Principi apprecaretur, damnatur ad remos, probroso consceleratos inter famulitio expiaturus quod contra rectè precantium agmen ob dissonam hanc absonamque vocem deliquerat.

Arausionēsis arx. diruta.

Nunc de Montalbanensium sectariorum assultibus; & atrocibus ausis pauca referam, tum literarum monumentis mandata, tum nondum publico data. Haud ex vano asseruere non pauci, aut sectæ ipsius genio omnem erga Magnates reuerentiam abiicientis, aut pra-

Montalbanēsis tumultus.

ua Montalbanensium Hæreticorum assuetudine, factum, prætetitarumque rebellionum fiduciâ, vt hi cuncta Principis sui iussa contemnerent; sacra, profanaque iuxta haberent, dum pœnarum, criminibus suis infligendarum metus abesset; & nullum hunc fore, imò facturos se metum cauillabantur factiosi, qui Regi ipsi multis instructo copijs audacter olim restiterant. Nimirum quam sibi fortunam, aut finxit, aut experta est aliquando rebellio, recessuram nunquam existimat; nimiaque obcæcata fiduciâ res suas alienasque haud clarè intuetur: aut si contuetur, non librat. Hinc in Episcopum cùm cæteris dotibus tum verò singulari pietate, doctrina, eloquentiaque præstantem scommata passim ingesta, sparsi in sacra Diui Iacobi æde libelli, quibus certum ei destinabatur exitium. Par omnino sors parabatur Hotmanno supremo tum rei iudiciariæ apud Burdigalenses & Montalbanenses præfecto, ni à Regijs exequendis mandatis absisteret, quibus iubebatur Societatis IESV Patribus, qui in semipartito collegio hactenus docuerant, aliam collegii partem tradere Professoribus hæreticis vacuam, Puylaurentium iam ire, illicque profiteri coactis. Interea ferociores à ganeonibus in religiosos Societatis Magistros intentabantur minæ, ni regijs edictis intercederent; daturos se operam, vt in puteum, qui in proximo erat, agerentur cuncti præcipites.

Indigna ab hæreticis in Episcopum gesta.

Minæ iactæ in Hotmannũ & Soc. IESV Patres.

Volitabant vrbe tota huiusmodi homines, è fæce plebis delecti, sellularii, coriarii, manciones Catholicorũ cædes anhelabant, cùm Episcopus, Hotmannus, & Societatis IESV Patres ad Regem tanquam ad certissimũ violatæ religionis asylum perfugiunt; quantis afflicta mater Ecclesia contumeliis in Præsulis, piorumque Religiosorum vexatione, ac trucibus barbarorum comminationibus fuerit, Regem per literas edocent, & hac de re pium Principem commoneri, pro remedio fuit; quippe haud ignarum absque religione stare regna non posse; quæ quia cum religione nascuntur, cum religione pariter adolescant necesse est; hic militum manipulum Montalbanum properare iubet; paucique intercessere dies, cùm Saulucio, Hotmannoque ductoribus hastati complures repugnante nemine vrbem ingressi sunt; quo tempore tanta rebelles consternatio incessit, vt, si minùs spiritu veritatis afflati, imminentis certè pœnæ formidine perculsi, Caluini fraudes abiecerint, paucisque demptis, qui ad profana sacra remigrarunt, steterint reliqui in hausta semel religionis veritate immoti, tametsi vrbem circumcursare sectæ Prædicantes non desine-

Rex Catholicos protegit.

Armatos cõtra rebellium greges immisit.

rent, obtrusisque identidem nummulis, aut spe mercedis vberioris iniecta, hos, qui aggregati iam Deo fuerant, ad defectionē sollicitarent; alios; qui nondum resipuerant, ad tenendam in nouis erroribus constantiam inflammarent. Interim de præcipuis seditionis auctoribus, & incentoribus sumptum est supplicium; reliquos, qui aut fugæ se dederant, aut leuiùs quàm alii deliquerant, terror inuasit non modicus paris exitus sortiendi, si turbulentorum imitarentur audaciam. Sic demum effrænes resedere lymphatorum ganeonum motus; traditaque Societati IESV Collegii totius administratio. Amœniores iam sunt Montalbanenses Musæ, quia iam Catholicæ totæ, non iam bilingues, non dissonæ, quia vnius eiusdemque religiones cultrices: atque vt fortunato hoc otio perfrui liceat, strenuè allaborat suprema subsidiorum curia Cadurco illuc euocata. Inuigilant sapientes illi Iustitiæ præstites, ne quid labis Romana Religio è quotidiana cum heterodoxis societate contrahat; ne qui semel Catholicam amplexus est fidem, ad priores sectæ reuoluatur errores. *Puniuntur.* *Collegium totum Societati datur.* *Subsidiorum Curia Montalbanum euocata.*

Ex quo refractariis, & Regium confringentibus iugum congrua sancita est pœna, à pristinis cladibus, cladiumque metu respirauit vrbs tota; perdomuit pœnarum metus, quos ius, quos æquitas, quos oblata sæpius Regum clementia iustum ad obsequium non inflexerat; obmutescere iam coguntur, qui, vt vidi olim iuuenis, impia, sacrilega, obscœna, & fotadica dicta ore impuro castis religiosorum illac transeuntium auribus ingerebant. Conciderunt indomiti arrogantis vrbis spiritus, etiam contra legitimos Reges suos violentiùs olim, & virulentiùs insurgere ausæ. Sic mulctanda Regi visa est vrbs, vt non funditus interiret, sed vt sapere tandem condisceret è diuturniore, in quo iacuerat, excitata veterno; ac demum intelligeret scelerum non immemorem Deum, & tametsi destinatam consceleratis pœnam diu cunctetur, acutiora in eos destinare tela, quibus crebrò, sed absque vlla ipsorum fruge pepercit. *Pax Montalbanensis.*

Sequitur Milliauæa seditio, à sectariorum nonnullorum rebellione profecta. Manauerat à Christianissimo Rege non tam edicti noui constitutio, quàm veteris ante multos annos conditi confirmatio, quo hæretici mortuorum suorum cadauera non adulta die, sed aut mane, aut vesperi, cùm paululum Solis refracta lux esset, & denis tantùm funus prosequentibus efferre iubebantur; mandato huic regio reclamatum statim est à Milliauæis cultoribus sectæ; quin & dum Cœnobita Capucinus nimiam in eorum exequiis pompam carperet, *Milliauaa seditio ob funerum pompam.*

Hæreticorum in Capucinũ feritas.

ac manifestè regia violari iussa ostenderet; non tulere peropportunam monitoris vocem; sed perinde quasi emersæ ab inferis furiæ faces admouissent, inuolarunt confestim in hominem pugnis, calcibus, fustibus toto corpore laniatum, exanimẽq; reliquerũt, expectabatur mors, sed adhibita chirurgorum manu conualuit; manent tamen vulnerũ cicatrices, in certum cœnobiticæ erga Regem fidei, & Caluinianæ perfidiæ, crudelitatisque documentum. Non impune habenda erat sæuitia tanta.; quamobrem Regis iussu Millauium profecti sunt capitalium causarum cognitores nonnulli, qui de re tota diligenter inquirerent, ac in immanis huius sceleris compertos legum vi agerent; è quibus alii ante Patrum Capucinorum ædes sola interula tecti, ardentemque cereum manu præferentes, rebellionem, feritatémque præteritam confiteri sunt iussi; alii in patibulum acti, aut diffractis brachiis pedibusque rotæ impositi, aut ad remos damnati. Pecuniaria nonnullis est imposita multa, inter Ecclesiasticos, Capucinos, Cœnobitasque reliquos ad restaurandas ædes sacras diuidenda. Fatalem hunc exitum habuit Milliauensis rebellio; vtinam auscultarent deinceps sectarii sanctionibus regiis, non verò prauis corruptorum hominum placitis; non enim post hac corpore simul & anima interirent, qui pessimus contumaciæ, & rebellionis est fructus,

Plectuntur.

Nihil admodũ turbatur à Monsp. hæret.

De Monspeliensibus Hæreticis nihil penè occurrit, quod hîc inferam: nihil admodum per id temporis turbatum ab illis; amant quidem horum plerique sectariorum reliquorum audaciam, æmulari tamen non ambiunt, funestos eorum exitus veriti. Et in hoc laude aliqua impertiendos esse crediderim, quod alienam insaniam in commodum suum vertere soleant. Crebrescunt in eos quæ perterrefaciant, minæ; clades eorum templis imminere dicuntur; compertum est quippe peragratam à nonnullis Regis iussu Galliæ Narbonensis seu Occitaniæ partem, inspecturis diligenter, num post edictum Nannetense noua ab Hæreticis ædificata sint fana, quæ exturbari oportebat; Et pleraque huiusmodi inueniuntur, quæ integra tamen, hactenus intactaque esse perseuerant. Erit aliquando, cùm Hæreticis (quos saluos esse cupio,) ad frugem veritatemque reuocatis, in cuncta eorum templa ipsis volentibus iustus detonabit furor, iisque pro rutis vesana simul concidet erroris tuendi, propagandique licentia, cùm vna futura sit omnibus fides, Ecclesia vna, vnus denique Pastor Christi IESV Vicarius.


Atque vt auspicatissimum tempus illud quàm citissimè nobis obo-

riatur, sollicitas omnino curas, regiasque intendit Christianissimus Rex, impleturus scilicet excelsum hoc religiosi tituli decus. In Caluin.& Iansen. iure inuehitur, nouitios eorum errores exturbare satagit, ne Francicorum liliorum candor inquinetur his sordibus; quæ lilia cunctis floribus præstantiora cum vni potissimum sibi seposuerit, selegeritque Deus; congruum certè fuit, vt *Francorum Regnum Christianorum omnium caput existeret, è cuius exaltatione sublimatio penderet Apostolicæ sedis.* Sic eodem quo veritatis oracula fundebat ore loquutus est Paulus I. Rom. Antistes. Hæc cum ignorare non possit Christianissimus Rex, non solùm Christianam rem in Gallia diligenter accurat, sed in remotissimas Canadensium regiones per Apostolicos viros Christi fidem inuehi iubet; hæc autem ne à nefariis Mahumetanæ superstitionis asseclis Hungariam infestantibus befaletur, delegatis eò cum potenti exercitu fortissimis Gallicæ Nobilitatis ducibus, peruigili sollicitudine cauet; & iam (quia cum auxiliaribus copiis sua quoque misit auspicia) complures concidisse Turcas Gallicis armis attritos certi attulere nuncii, testanturque vexilla plurima Lutetiam Parisiorum ad Regem perlata, erepta barbaris, eorumque sanguine cruentata. Si qui è Gallicis copiis inter dimicandum cæsi fuerint, mortem naturę debitam pro tuenda Catholica religione contra vehementissimos eius impugnatores strenuè fortiterque profusam, illustrat quàm maximè, tum suscepti belli huius æquitas, de qua dubitari non potest, tum cuius sub signis auspiciisque meruere Christianissimus Rex, qui fractis in Hungaria perfidorum ducum, militumque conatibus, prolusit maioribus & laudabilioribus factis; longiùs quippe latiúsque formidatum iamdiu Turcis Gallicum martem illaturus est, vt qui actum duntaxat vnum contra immanem illam gentem, alienæ ditioni cupidiùs inhiantem gloriosè confecit, postremum tragœdię lugubris actum in Ottomannico regno consummet, & in subacta, Gallicæque dominationi asserta Constantinopoli, aurea veteris religionis tempora, locupletissimum S. Sophiæ templum, Constantini, Theodosii, Marcianique Imperatorum virtutes, teneramque Eudoxiarum illic olim dominatarum pietatem restauret. Et ditissimam hanc regionem palmis consitam armis Gallicis peragraturum Christianissimum Regem antiqua pollicentur oracula HÆC PORTA DOMINI, IVSTI INTRABVNT IN EAM. *Psal.* 1[illegible]

Gallica copia contra Turcas in Hungariam missa

HÆC PORTA DOMINI. Quidni Turcici Palatium Im-

peratoris intelligam, M A G N I sordidiore iactantia D O M I N I appellati? P O R T A enim eiusdem Imperatoris est Sedes. Quòd si vt à Vate sancto pronunciatum est, in eam intraturi sunt Iusti, eò certè penetraturus est Rex Christianissimus: neque enim à Patre Ludouico X I I I. Iusto hausisset vitam, nisi Iustitiam vnà cum vita traxisset. Hoc ergo Rex oraculo fultus, contra Ottomannicas vires pugnabit fortiter, vincet feliciter, gloriosè triumphabit.



FINIS.




ELENCHVS AVTORVM,

vnde ista deprompsimus.

BAuderius in vita Toyrasij.
Bernardus Histor.
Bulengerus.
Dupleixius.
Gariellus.
Genebrardus.
Henricus Auberius.
Odo Gyssæus.
Ossatus Cardinal.
Iacobus Fuligati in vita Bellarmini.
Iacobus Gretserus.
Matthæus.
Memoriales libri Monspel. Gignacens. Rohanij &c.
Richeomus.
Rousseletus in Lilio sacro.
Simon Ducros. in vita Mommorancij.
Spondanus.
Strada.
Thuanus.
Timotheus à S. Fide de desperatione Chameri.
Verdala Episc. Magalon.

Hhh



INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A

M

Priua-

FINIS.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAr grace & Priuilege du Roy, datté du 18. Ianuier 1656. il est permis à Iean Boude nost e Imprimeur ordinaire de Tolose, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ou debiter par tel Imprimeur ou Libraire que bon luy semblera, le Liure intitulé *Historia Hæresis G[illegible] ortæ & propugnatæ, &c.* en deux Tomes in quarto, ou en tel marge & volume que bon luy semblera, & ce pendant le temps & terme de dix années, à compter du iour & datte de la fin de l'impression dudit liure: faisant defenses à tous Imprimeurs & Libraires de les imprimer ny vendre sans le consentement dudit exposant, à peine de trois mil liures d'amende, & de tous despens, dommages & interests, & tout autant comme il est plus à plain porté par ledit Priuilege. Par le Roy en son Conseil. Signé MALLAY.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le [illegible] Nouembre 1664.

ERRATA.

PAgina 11. lege [illegible]catio[illegible]es. 13. pertineret. 20. toleranda. 22. exercitum. 2[illegible] differret. 48. iter 61. & 62. lege ad cruda quæque toleranda paratior, quam vt oculos veritati aperiat 66. æternam. 72. abhorrentem. 72. imperarent [illegible] [illegible]ensi. 125. hortatur. 126. aures. 142. motor. [illegible]54. contra. 159. [illegible]omin[illegible]. 178. sermonibus. 187. in marg. adde [illegible]catur. 190. angustias. 191. vitæ [illegible]95. curas. 214. remigraturi. 228. veicam, 217. liberrate. 241. p[illegible]goedi[illegible]um, furcas. 246. autem habeat. 252. absque 25[illegible] adforet. 265. si obtruserit. 2[illegible] vltim. lin. accessurum affirmabant. 273. [illegible]b[illegible]lo[illegible]es 2[illegible] ho-mines. 326. pictauienses. 333. milites, deleque. 336. dep[illegible]nendi. 338. cum. 361. portum 370. desertum. 372. nutui. 376. cur[illegible]ruum. 377. eia. 386. regum 394. illuc. 408 elogio 410. videant, 421. religionis. 423. labefactetur. alia facilè corriget beneuolus lector.